
PHAMAC
DE J.
DUBOIS



Res Fol. R 2 VII C
5030
103920
Double

PHARMACOPOEA;

CUI ADIECTA SUNT

PARAPHRASIS

ET

MISCENDORUM

MEDICAMENTORUM

MODUS.

Primum Gallicè ſcripta

A

BRICIO BAUDERONO

M. D. EXIMIO.

Nunc vero a Sene Doctiſſimo

PHILEMONE HOLLANDO

ANGLO, M. D.

In Latinum ſermonem converſa.

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

Huic Accedunt

IOANNIS DU BOYS

PHARMACOPOEI

PARISIENSIS

OBSERVATIONES

In Methodum Miſcendorum medicamentorum Topicorum, &c.

LONDINI,

Typis EDVVARDI GRIFFINI, Sumptibus RICHARDI WHITAKERI, apud quem proſtant ſub Inſignibus Regalibus in Cœmeterio D. Pauli. 1639.

BIBLIOTHÈQUE
TOULOUSE
UNIVERSITAIRE

V. V.

CLARISSIMIS ORNATISSIMIS DOCTISSIMIS PRÆSIDI

CÆTERISQVE

COLLEGII MEDICORVM LONDINENSIVM

ARCHIATRIS

Opus hoc vere medicum & Pharmaceuticum à Patre

PHILEMONE HOLLANDO

ARCHIATRO COVENT.

Ad publicum emolumentum inchoatum, perfectum, vestroque Celeberrimo Collegio, devotum, & destinatum

HENRICVS HOLLANDVS

D. Φ. F & H.

LONDINOPOLITANVS

Quam

Humillimè

D. D.

C. Q.

Epitaphium Interpretis, à seipso confectum.

NEmo habet hîc? nemon'? hospes salveto, *Philêmon*
Holland hâc recubat ritè repostus humo.
Si quæras ratio quænam sit nominis? Hæc est,
Totus-terra fui, *terráque-totus* ero.
At redivivus morte *tua* servabor *Jësu:*
Una fides votis hæc est via sola salutis:
Hâc spe fretus ego, culpâ pœnáque solutus
Jámque renatus, & inde novo conspectus amictu,
Cœtu in sanctorum post redimitus ero.
Claudicat incessu senior mea Musa; videsné?
Claudatur Capulo mecum simul ipsa: Valeto.

In obitum senis ter venerabilis D. PHILEMONIS HOLLANDI, *Archiatri Coventrensis, qui obiit die* IX *Febr.* 1636. LXXXV. *Anno ætatis suæ.*

ORdiar unde *tuas* laudes *Hollande Philêmon*,
Quem tantus pietatis honos ditavit? & *Artis*
Non *Phœbus* Medicas *vires*, non ipse *Machaon*
Callebat melius: nec erat, cui dextra salubris
Tam facilè invitos potuit depellere morbos.
Hei mihi! quod propriis fuit insanabilis Herbis.
Illi semper erant secessus, & otia Cordi,
Aversus legis studio, & *clamore Forensi*,
Nec res alterius, nec publica Munia curans.
PACIFICI REGIS vitam sine Litibus egit
Æmulus: hinc, Christo fuit ipso teste, beatus.
Nec fuit in Terris, qui sic juvenile regebat
Ingenium, & præcepta dabat, mentésque feroces
Eloquio instruxit: nam sævæ nescius Iræ
Et pulchros mores, & prima elementa docebat.
Multos, à primo versos idiomate, *Libros*
In nostrum *Interpres* curabat reddere, *fidus*.
Quem *Pater Omnipotens* post plurima Lustra peracta
Transtulit in Cœlum, & radiantibus intulit Astris.

Ejus Amator, imò Admirator T. H. *Gen.*

ANAGRAMMA AVTHORIS, à seipso confectum.

Brevius id curabis.

Bricius Bauderius.

vel,

Bricius Bauderonus.

Viros abunde curabis.

Anagramma duplex Græcum Interpretis, à seipso confectum.

ΦΙΛΗΜΟΝ ΟΛΑΝΔΩΣ.

ΝΟΣΦΙ ΛΗΜΑ ΔΟΛΩΝ, ΦΙΛΩΝ ΣΗΜ' ΑΔΟΛΟΝ.

Si hoc verbulum (ἐστὶ) duplici supradicto Anagrammati adjeceris *Epichus* tibi pallulat *Heroïcus*.

Νόσφι λῆμα δολῶν, φιλῶν σῆμ' ἄδολον (ἐστὶ)

Anagramma filii Interpretis, hujus Operis vulgatoris:

HENRICUS HOLANDUS.

URNA, HIS COLENDUS.

URNA petitne decus cultum vé sepulchra? videtur
URNA Anagramma ait, HIS-*ce* COLENDUS *erit*.

Tuissimus *Donaldus L.*

Benevolis huius Libri lectoribus fausta omnia precatur *Alexander Reidus*, Medicinæ Doctor.

NVllum esse existimo apud gentes paulo humaniores Pharmacopœum solertiorem cui Domini Bauderoni Medicinæ Doctoris Galli de re medica optime meriti Pharmacopœa famâ saltem non innotuerit: visum est illi linguâ suâ vulgari tantum publicare, non in alium (haud dubiè) finem quam ut in recta medicamentorum compositione suæ gentis Pharmacopœis linguæ Latinæ minus gnaris facem præferret. Eum propositum sibi finem assequutum esse nemo nisi admodum pervicax inficias ibit: Si modo non oscitanter, sed attentè Paraphrases ac componendi rationem perleget, ac rationum momenta quibus sua stabilit accuratè perpendet. Medicamentorum formulas alii fideliter ac diligenter descripsere; hic vero dum componendi modos subjicit, omnibus palmam præripit. Hoc vere affirmare possum, nullum esse Pharmacopœum Gallicum qui hac in parte autorem istum ut ducem non sequatur. Quum vero liber hic Pharmacopœis omnibus apprimè sit utilis, dolendum eum in alias linguas non fuisse transfusum, ut omnes inde uberes fructus caperent. Quam ergo laudem meretur doctissimus ille senex Philemon Holland *nostras medicinæ Doctor egregius (quem honoris causa nomino) qui ætate ingravescente, ac viribus fatiscentibus filii rogatu opus hoc Latinitate donavit. Quum in multis optimis autoribus vertendis sese supra fidem fœlicem præstiterit, non est quod quis ambigat versionem ipsam & rerum contentarum*

BIBLIOTHÈQUE UNIVERSITAIRE TOULOUSE

tentarum veritate, & styli splendore cum ipso archetypo certare. Quam multijuga eruditione, ac facundia non vulgari instructus fuerit venerandus senex, vel unus Plinius fidem fecerit. Elaborandum etiam vobis est, ad quorum manus versio hæc perveniet, ut senis filio superstiti Domino Henrico grates si positis dignas persolvatis, cujus diligentia, atq; in defunctos benevolentia ac religione, effectum est, ut è tenebris eruta lucem nunc aspiciat, non Pharmacopœis tantum, sed & medicis in artis suæ praxi desudantibus sine dubio profutura. Londini scribebam in musæolo meo Calend. Septemb. anno vero ab exhibito in carne Messia supra millesimum sexcentesimum tricesimo octavo.

Imprimatur.

THO. WYKES.

Octobr. 10. 1638.



BRICI BAVDERONI
PARAPHRASIS IN PHARMACOPOEAM.

Liber primus, Sectio prima.

De conditis in genere.



Ondita remediis omnibus aliis deinceps nominatis præmiſimus, quòd palato grata ſint, quòd ad naturam noſtram propiùs accedant, et tam alimenti quam medicamenti vicem præſtare poſſint. Condiuntur autem vel plantæ, vel earum partes, quatuor ob cauſas præcipuas. Prima eſt, ut ægrotum guſtui plus placeant. Secunda, ut diutiùs virtutem ipſæ conſervent ſuam. Tertia, ut vires proprias plùs juſto debiles adaugeant, actionéſque ſuas adventitia miſtura meliores efficiant. Quarta, ut qualitatem ſi quam habent noſtro conſilio adverſam, triturâ, infuſione, coctione, uſtione aut lotione, ſalva interim ea quæ nobis amica eſt & ſalutaris, vel reprimant vel prorſus tollant, uti ex hiis quæ ſubſequuntur diſſertationibus liquido cuivis apparebit.

Quatuor rationes quare ſtirpes condiantur.

Cujuſvis plantæ pars condiri debet, dum viget maximè, & minimè aliàs, ſicuti *Dioſcorides* in ſuâ præfatione, & poſt eum *Galenus* præcipiunt. Exempli gratia: Radices quæ tenui, rara & exili ſubſtantiâ conſtant, primo vere, cum pullulare incipiunt: antequam virtus earum primaria transferatur in caulem & folia. Quales ſunt radices *Apii*, ſive *Eleoſelini*, *Bugloſſi*, *Cichorei*, & aliarum complurium. E contrà, quæ ſunt ſubſtantiâ craſsâ, denſâ, & ponderosâ, quæque humiditate abundant ſuperfluâ, condire oportet in autumno quando folia decidere incipiunt, & ſuperflua Humiditas per æſtivos calores conſumpta eſt, dúmque radicalis illa & principalis ſola, cujus cauſa condiri ſolent, ſupereſt. Eæ autem ſunt, *Helenii*, *Satyrii*, *Iridis*, *Scillarum*, & multarum aliarum. Nec ſolum obſervare oportet anni tempora, ſed etiam Cœli ſtatum, ut aer ſit clarus & ſerenus, ut luna in pleno vigore ſuo, vegetiores ſunt & minùs in condiendo diminuuntur.

Quando plantæ condire oportet.

De condituris in ſpecie.

De radicibus Satyrii & Cynoſorchis.

RAdices hæ duæ, parum inter ſe virtute differunt, & conſimili modo condiuntur. Diſcrimen eſt in delectu *Cynoſorchis*, ſive *Teſticuli canis*. Cujus cum plures ſint ſpecies, nos eam accipimus, quæ binas radices producit, rotundas illas quidem & bulbiformes, quarum una multo craſſior eſt alterâ. Et quoniam viribus diſſimiles ſunt, pro ſyntecticis & iis qui rebus venereis minùs habiles ſunt eam ſeligimus nos quæ craſſior eſt & habitior: alteram verò quod veneri adverſa ſit, relinquimus. Itidem quod puſilla eſt, & authore *Dioſcoride* flaccida, marcida & parum ſucculenta. Quod ad ſatyrium attinet, duarum ejus ſpecierum quas deſcribit *Dioſcorides* priorem hiſce in regionibus a *Matthiolo* depictam non habemus: verum ſecundam cognomine Erythronium, quæ in hortis noſtris ſtudioſe colitur, Indi *Papas* appellant, hujus folia priori ſpeciei a *Dioſcoride* deſcriptæ multum diſſimilia ſunt, aliis autem notis nequaquam diſcrepat. Flos enim puſillus eſt, figurâ volubili æmulus, in quinque puncta ſive acumina deſinens, colore albo, ad pallidum inclinante, cujus è medio emicant quina grana ſive ſemina flava, oblonga, ſuis quæque claviculis ſuffulta, & in medio eorum, fibula parva viridis haud aliter quam in noſtrati *Lilio* albo & vulgari, quod etiamnum odore refert: qui quantumvis minus feriat nares, tamen multo ſuavior eſt. Fructus ejus orbicularis & multo craſſior eſt, quam ille qui ſemen lini continet, colore virenti ſed diluto, in cujus etiam ambitu lineæ quædam viſuntur diſtinctæ ſemilunari forma & acuminatæ ſicut ipſe flos. Semen incluſum, puſillum, durum & ſubrubrum, ſicut illud *Naſturtii* domeſtici. Radices ejus primo fibroſæ & candidæ, quarum in ambitu proveniunt aliæ radices rotundæ, minutis fibulis, *Filipendulæ* non abſimiles, candidæ, ut illæ tam extrà quam interius, eædemq; teneriuſcula; quæ cum ad perfectionem ſuam venerint, pellicula ſive membrana quadam tenui & ſubtili cooperiuntur colore rubenti, unde nomen *Erythronium*: tota autem ſubſtantia ſua perſiſtunt ſemper albæ & bulboſæ, ſicut *Dioſcoridi* tubera, Gallicè *Truffes*, quorum alia craſſiora ſunt, alia minora pro natura culturæ & natura loci in quo creſcunt. Sapor eorum dilutus; ſatis tamen guſtui gratus. Temperatura iis flatulenta, calida, & primo in gradu humida, reddit ea ſatis commoda ignavis, debilibus, frigidis aut maleficiatis luſus & veneris minus habilibus, quibus veſci licet veſperi & cubitum ituris. Mane autem multò ante paſtum quantum illis viſum fuerit, conditis tamen, ut poſtea dicetur. Aſthmaticis, phthiſicis & Atrophia laborantibus uti par eſt in aurora & ad finem paſtus.

Planta hæc qua de agitur, adeo fœcunda eſt, ut ſi caulis ejus condatur aut ponatur in terra (ſicut vitis) (unà cum foliis ſuis) modo ſummitas ejuſdem extet bis aut ter in anno, ſi permittatur creſcere ad perfectionem ſuam, emittit ex una propagines ultra quinquaginta, nec ceſſabit interea flores & fructus proferre ſuos æque ac iſtud minime factum eſſet. Hoc ſolum intereſſe reperitur, quod poſtremæ radices non æque craſſæ proveniunt ac primæ, quod non tam diu reſiderint in terra nec ſatis temporis habuerint ad acquirendum juſtam magnitudinem matrum ſuarum, primarum ſc. radicum.

Ad haſce radices condiendas ſive in melle * Narbonenſi vel Provinciali, ſive ut delicatioribus ſatisfiat in ſaccharo, colligere oportet eas, quo tempore vigent maxime, plenâ jam lunâ in menſi Octobri. Hoc modo delectæ, in condiendo marceſcunt minus, & plus virium habent.

* Languedoca.

Radices etiam vel bulbi *Cynoſorchis* colligendi itidem ſunt, in plenilunio quidem, ſed verno tempore (priuſquam virtus earum transferatur in folia & caules) minimè autem in autumno: Condiuntur autem eadem ratione, Videlicet: *Accipe quantum videbitur earum; quas lavabis & coques in aquæ ſufficienti quantitate donec admodum teneræ fiant: poſt exiccande lineis pannis. Decoctio clarificata decoquetur cum æqua mellis deſpumati & cocti portione, ſive ſaccharo ex Inſula Madera, & radicum in ſyrupum: poſt imponentur dictæ radices, ſive Satyrii fuerint ſive*

Cynoſorchis

Cynoſorchis (exiccatæ) ut denuo in dicto ſyrupo, ita ut per totum annum incorruptæ & minimè rancidæ ſervari poſſint. Poſtquam refrixerint reponentur in fictilibus vaſis probe vitreatis & obturatis, quæ ad uſum ſervari debent.

Hiis radicibus ita conditis Cathecticos uti oportet primo mane & in fine refectionis ſuæ: ignavi verò & ad res venereas minùs habiles, tam viri quam fœminæ, in aurora & veſperi cubitum ituri, capient ex iis quantum videbitur.

De radicibus Symphyti majoris, Iridis, Acori & Inulæ Campanæ.

RAdices hæ (uti complures aliæ) ſicut præcedentes condiuntur, niſi quod minimè ſolidæ & integræ, ſed conciſæ in rotulas vel oblongas formulas, quod juſto grandiores ſint: ſicut etiam quæ ſunt amaræ, ut radices *Helenii* ſive *Inulæ Campanæ*. Hæ autem per aliquot dies antè in aquâ clarâ macerandæ ſunt, quam mutari etiam oportet quotidiè ad minuendam earum amaritudinem. Hæ autem ſanis minimè in uſum veniunt, ſed ægris duntaxat: veluti *Symphyti, Iridis, Acori, &c.* Conſuluerim ego, ut poſtquam ſatis coctæ fuerint in aqua, in mortario marmoreo contundantur cum piſtillo ligneo, & per ſetaceum tranſmittantur, & adjuncto ſaccharo aliquantulum plus cocto quam in ſyrupum, dum adhuc ſuper ignem ſunt recoquantur ſimul, donec humor earum excrementitius prorſus conſumatur: ut tum demũ recondantur. Atque ita radices a ſuis filamentis omnibus ſecretæ ægrorum palato jucundiores ſunt & Pharmacopœis minus operoſæ. *Helenii* porro radices hunc in modum conditæ, quam optimæ fuerint: ſed quia ſani iis utuntur ad præcautionem peſtis, condiendæ illæ ſunt in longum vel in rotulas illas ut dictum eſt ſciſſæ, ut reduci poſſint in condita ſicca, vel liquida ad ſatis cuique faciendum quoad fieri poterit.

De radic. Bugloſſi, Borag. & Cichorei.

COndiuntur hæ radices ſicut dictum eſt de illis *Satyrii Erythronii* & *Cynoſorchis*, ſive *Teſticuli canis*, niſi quod matrix illa ſive durior medulla & meditullium quæ intus latet eximenda eſt, & radices ipſæ vel in longum concidantur vel integræ dimittantur: Poſt in aqua laventur, & in aqua ad teneritudinem coquantur. Deinde lineo panno eodemque puro exiccentur, & decoctio, ſi impura eſt, depuretur cum Saccharo & albuminibus ovorum, & per pannum laneum tranſcoletur, ut in ſyrupum tum demum ad perfectionem decoquatur. Quo facto antequam ollula ab igne removeatur, injiciendæ ſunt radices coctæ jam in aqua & exiccatæ, ut ſimul recoquantur, uſque ad humoris reſiduï & ſuperflui conſumptionem, ut ita demum ad uſus neceſſarios ſervari poſſint.

De radice Eryngii.

ERyngium, Gal. *panicaut* Sylvio & quibuſdam aliis, creditur eſſe Arabum *Secacul*. Radix hæc olim ex Indiis orientalibus exportata, paucis hominibus hodiè cognita eſt: quam *Rondeletius* in Pharmacopœa ſua, eam eſſe arbitratur quam Aromatarii *Gingember Mechin* nominant. Qui ſcire cupit quidnam illud ſit, legat quæ *Serapio* Author magni apud Arabas nominis & antiquiſſimus ſcripſit in libro de ſimplicibus Cap. 89. & tractatu ſeptimo Cap. 35. Et poſt eum, *Avicenna* libro 2. Cap. 670. in tractatu etiam ſeptimo libr. 5. & in Synonymis ſuis. Quinetiam, *Haly* filius *Abbatis* Cap. 21. A quibus ſcire poterit quid ſit. In hortis Aleppo urbis Syriæ, colitur planta quædam, caule & foliis perſimilis noſtræ *Paſtinacæ:* quam arbitrantur nonnulli verum eſſe Arabum *Secacul. Eryngium* cum ſimilem ferè habeat quam *Secacul* facultatem, eadem ratione condiri debet modo ex Indiis ad nos apportetur verum & genuinum. Accipe ergo radicum ab omni ſorde exterius mundatarum, & interno etiam meditullio exempto, libras duas: quas digitalibus ſive pollicaribus fruſtis conciſas, in aqua ſuper cineres calidas per viginti quatuor horarum ſpatium infundes ut teneriores deveniant. Inſequente die, eadem in aqua bulliant, donec quam molliſſimæ & perquam teneræ fiant: deinde

Secacul quid.

Quomodo radix Eryngii condiri debet.

lineis pannis exterge, ſicut ante dictum. Quo facto nos *caryophyllis* & *zinziberis* particulis inſertis farcimus, quemadmodum *Meſue* in *ſuo Grabadino ſive Antidotario Diſtinct.* 4. præcipit. Deinde ſuccum noſtrum ſi impurior eſt, cum ipſa decoctione & ovorum albuminibus clarum reddimus. Colatura ſæpius per laneum pannum, ſive manicam Hippocratis tranſmiſſa in juſtum Syrupum decoquitur. Poſt adjectas radices, *Canellæ*, *Caryophyllorum & Zinziberis*, ſing. quaſi ſemuncia in unum nodulum poſita & ſæpius expreſſa aromatizamus, ad earum ſcilicet vires debiliores augendas. Quidam per totum annum permittunt in ſyrupo infundi: quod factu non eſt opus, cum per expreſſionem illam virtus earum transfuſa ſit. Radices tum demum in vaſis ſuis bene opertis reponendæ ſunt & ſervandæ ad uſum, ſicut ante, in radicibus *Satyrii* & *Cynoſorchis* dictum eſt. Radices *Apii*, *Hippoſelini*, ſive *Oleris atri*, Gallicè *Grande Hache* ſive *Ache*, perperam in officinis appellant *Petroſelinum Macedonicum*, & quod a *Smyrnio* & *Leviſtico* differt: item *Baucia* Arabum quæ eſt *Paſtinaca hortenſis*, & *Siſarum* ſive *Siſer Dioſcoridis* Gallice *Chervis* & *Carottes*, multæque aliæ, quas brevitatis cauſa prætereo, condiuntur omnes ſicut *Eryngium*. De radicibus peregrinis, ſicut eſt *Zinziber viride*, de *Secacul* ſive *Zinzibere Mechin* ſive *Paſtinaca Syriaca*, *Zedoaria* etiam, &c. condiri oportet recentes & in locis ubi naſcuntur unde comparandę ſunt & coemendę jam conditę, uti ab Oriente ad nos in magna copia apportantur.

Hippoſelinum.

Baucia Siſarum.

De Corticibus.

Modus condiendi Cortices.

COrtices ſive putamina, *Citriorum*, *Limonum*, *Aurantiorum*, & conſimilium hoc modo condiuntur. Harum Corticum, ſive aliorum, qui amari guſtui ſunt quantum videtur: Infundantur ſeu macerentur per viginti quatuor horas ſuper calidos cineres in Lixivio dulci, quod fit ex nodulo cinerum in aqua clara infuſo, quoniam hujuſmodi cortices ſunt ob duritiem ſubſtantię ſuę ad coquendū difficiles. Deinde in alia aqua ad teneritudinem decoquantur. Poſt, lineis pannis exterſi recoquantur cum ęquali pondere ſacchari ex Madera paulo plus quam in ſyrupum, donec humiditas eorum aquoſa prorſus abierit. Deinde reponentur ad uſum, intra ollas ſuas, ut ita demum in condituras ſiccas convertantur. Atque ita conditas cito lavari oportet in aqua tepida, vel cultello radantur, deinde immitantur in optimum ſaccharum, idemque in electuarium ſolidum recoctum, in quo bis vel ter bullire permittantur: Poſt furcilla argentea tollantur, & ſuper chartam candidam, vel ligneos aſſeres perpolitos & lævigatos diſponantur: ut intra ſtupham ſive in calenti ſole, ſeu in furno aut clibano temperate calido detineantur per quinque dies, ut hac ratione paulatim humiditas illa quæ reſtat, abſumatur: & poſt cruſtam inductam in loco ſicco ponantur: qua ratione perſiſtent diu clari & palato pergrati. Nihilominus novitiis Pharmacopæis conſultum velim, ut Magiſtros hoc in genere ſeplaſiarios, in condituris ſeſe exercentes & operantes, aſpicere velint, quo certiores in videndo quam in ſcripta aliena legendo, evadant. Quinetiam, quia non omnes eodem modo hac in arte verſantur & operantur.

De caulibus Lactucæ & Scolymi.

INter ſtirpium caules, eos condimus ferè qui ſunt *Lactucæ* & *Scolymorum*: illos ad ſedandum eorum ſitim qui calentiores ſunt, quos ob gratum ſaporem ſuum, appellant Gallicè *Gorge d'Ange*. 1. palatum Angeli: hoſce verò ad augendum calorem pulmonum qui humore qualicunque refrigerantur, incidendo, attenuando & detergendo craſſitiem & viſcoſitatem materiæ in illis contentę, nec minus ad promovendum in res venereas eos qui ignavi ſunt & frigidiores.

Lactucarum caules colligendi ſunt paulo poſt exortum ſuum & dum teneri ſunt, non autem quando producunt flores & ſemina, quòd tum duriores. Poſt delibrare eos oportet & pelle ſua nudare, deinde in ferventi aqua bulliant donec teneri admodum ſint, mox ſiccentur in umbra ſub dio, intra duos lineos pannos, vel ſaltem lineo ipſo panno detergere, poſtea eos in ſaccharo ad ſyrupum cocto decoquere,

ſicut

ſicut ante dictum eſt de *Satyrio* & *Cynoſorchi*, ut ita demum conſerventur ad uſum. Quomodo autem reducantur in condita ſicca, fieri oportet ſicut ante de corticibus diximus.

Cardui albi condiri debent ſicut lactucæ, præterquam quod vice ſacchari mel album Narbonenſe, vel Hiſpanienſe, ſive etiam Provinciale accipiendum eſt, ac tum demum in ſuo ſyrupo ſervandi ſunt, quandoquidem mel conducit magis quam ſaccharum.

De fructuum conditura in genere.

OMnes fructus peregrini ſive ſint ſive non, communiter & generatim condiuntur ſaccharo ipſis in regionibus ubi naſcuntur, iidemque recentes & integri vel etiam partes eorum ſolum, ſive cum maturi ſunt, ſeu minus: ut tranſportentur in regiones ubi non proveniunt, atque ut omni tempore in uſum veniant, in defectu recentium. Tales ſunt *Myrobalani*, *Nux moſcata*, *Caſſia* & alii. Ex illis qui *in noſtra* regione naſcuntur, alii condiuntur integri & nondum maturi, idemque in melle vel in ſaccharo: quales ſunt *Nuces*, *Amygdalæ*, *uvæ*. &c. alii vero cum maturuerint, ſicut *Berberis* nominata *eſpine vinette*, acerba *Ceraſa*, amara *Ceraſa*, *Pyra*, *Mali Armeniaca*, &c. Sive partes eorum, ſicut *Cydonii* mali pulpa, *cucurbitarum*, *Prunorum*, &c. Cortices eorum veluti *Citriorum*, *Aurantiorum*, & *Limonum*.

De fructuum Conditura in ſpecie.

ACcipe *Nucum* menſe Junio antequam duræ ſint, quantum volueris, quas deglabis ſive putamine ſuo ſpoliabis, & tranſverſim perforabis undequaque, trajicies acu oblonga lignea vel etiam ſubula; quas ita perforatas permittas per novem, vel decem dies macerari in aqua calente ad minuendam earum amaritudinem, quam quotidie mutabis: deinde eas in alia aqua decoques uſque ad teneritudinem: poſt eas exterſas lineo panno, infixis *Caryophyllis*, & *Canella* ſive *Cynamomo* in longum conciſo (prius in aqua ad mollitiem acquirendam infuſa) in ipſis foraminibus antea factis infercies.

Quidam, *Garyophyllorum* vice, ponunt corticem *Aurantiorum* ſiccatam, & in longas exileſque particulas inciſam: in gratiam vero pauperum, loco ſacchari mel candidum. Quo facto accipiunt plus ponderis ſacchari quam ipſarum nucum, quod cum aqua coqui curant in ſyrupum; deinde immittunt nuces ita cum cortice *Aurantiorum* infixa præparatas, ut ſcilicet recoquantur, donec humiditas ſua ſit abſumpta, ut diutius cum ſyrupo ſuo conſervari poſſint incorruptæ. Alii porro, cum nuces illæ coctæ ſunt, & ut dictum eſt, cum particulis illis ſuffixis paratæ in ſuam ollam immittunt, nec coqui cum ſyrupo permittant, ſed cum ſemifrixerit ſyrupus, effundunt & adhuc incoctum propter humiditatem ſuam, recoquunt & offundunt. Hunc in modum perſiſtunt toties facere quoad percoctus ſit, deinde ab opere ſuo ceſſant, & in uſum neceſſarium conſervant. Hoc autem in hunc finem repetunt, ut teneriores evadant. Hujuſmodi ratio agendi eſt valde operoſa & longa, quam ego approbare nequeo, ſed primam potius, quæ fere ubique in uſum recipitur. Ut nuces hæ nigrorem non contrahant, ſed candidæ ſemper ſint, a principio deglubere eas ad medium uſque corticem convenit, ac confeſtim in aquam claram immittere, donec totæ ſunt decorticatæ. Poſtea abſque omni perfoſſione ſive perforatione & inferctu, in aquæ juſta quantitate & ſacchari coquere eas par eſt, ſicut in præcedentibus dictum eſt: & hoc ſane modo perſiſtunt ſemper candidæ.

Quomodo Nuces fiant ſemper candidæ, & non nigreſcant.

De Prunorum, Pyrorum, Malorum Perſicorum & Præcocium fructuum conditura.

OMnes hi fructus eodem prorſus modo condiendi ſunt, tum cum ferè, ſed non omnino maturi. Principio, primum eorum putamen adimendum eſt: deinde cum pari ſacchari puri quantitate in aqua ſufficiente, bullire eos oportet, donec tene-

tenereſcant & ſervari incorrupti poſſint. Poſtea ſuas in ollas imponendi ſunt, & cum refrixerint papyro candido operiantur.

De Amygdalis.

Amygdalæ dulces condiuntur ſaccharo & melle candido, ſed non eadem ratione. Primo quidem recentes, & cum corticibus Julio menſe, ſicut de nucibus dictum eſt, niſi quod eas macerare non oportet, nec perforare, nec infercire.

Secundò, aridæ corticéque ſuo tam craſſo, quam ſubtili pellicula exutæ, in ſaccharo, in forma Drageæ. Quomodo autem fieri oportet dicere non opus eſt: Ipſum oculis melius diſcere in videndo artifices ſive magiſtros operantes, quam aliorum ſcripta legendo decet.

Tertiò, cum melle candido, quemadmodum Tragemata ſive bellaria, *Nogat* & *Tortons* Gallicè vocant, fieri ſolent: condita ſatis jucunda (*Tortons* præcipuè) Narbonenſi Provinciæ peculiaria & non alibi quod ſciam.

De Olivis.

Olivæ, non in ſaccharo, ac non in melle quidem condiuntur; ſed in muria ſive aqua ſalſa; in qua permittuntur macerari, donec ſatis amaritudinem ſuam depoſuerint: idque dum adhuc virides ſunt & immaturæ. Qui eas ſuos in uſus proprios condiunt, & non ut venales ſint: ad opus accelerandum eas antea incidunt.

De Ceraſis.

Accipe *Ceraſorum* grandiuſculorum, ſive acerborum ſeu amarorum plene maturorum (quorum petioli per medium amputati ſunt) libras duas: quos in authepſam ſuper ignem clarum & minime fumidum impones, cum pauxillo aquæ, vel ſucco aliorum *Ceraſorum* ſubacidorum, ſi cupis ut ſint acidiores. (Color autem eorum non erit adeo gratus) & affunde illis ſacchari optimi craſſiuſculi contriti libram unam, & ſimul ad juſtum ſyrupum perfectè decoquantur. Inter coquendum ſpumam innatantem cochleari argenteo ſive ex alia quacunque materia auferri oportet. Poſtea calentes, in vitreis vaſis ad hoc deſtinatis reponi debent, & affundi ſupra ſyrupi quantum opus eſt ad ea replenda: cum jam refrixerint, operiri debent chartis puris, & conſervari ad uſum.

De Oxyacantha & Uvis immaturis.

Hoc in loco, non animus mihi eſt de *Oxyacantha* Græcorum, guſtu amara, fructu ſcilicet noſtri *Oxyacanthi* dicere, ſed de illa Arabum, quæ dicitur *Berberis* ſapore acido. Quæ eodem modo conditur quo uvæ immaturæ. Accipe ergo vel *Oxyacanthæ* ſeu *Berberis*, vel *Uvarum* immaturarum quantum volueris, cum æquali pondere ſacchari optimi, quæ in authepſa vel ahenulo cum pauxillo aquæ ſuper ignem clarum coquantur ad juſtam conſiſtentiam: ſicut de *Ceraſis* acidulis dictum eſt: qui enim novit bene condire illas, noverit & haſce etiam.

De Pulpa Fructuum in genere.

Pulpa ſeu caro fructuum, vario modo ad cujuſque arbitrium condiuntur: quod ſigillatim & prolixè, arduum fuerit deſcribere. Quædam tamen exempla dabo, quæ & aliorum vicem ſupplere poterint: videlicet pomorum Citriorum ſive grandium Citriorum, & Cucurbitarum quæ Gallicè appellantur Carbaſſes, nomine ab Hispanis mutuato, qui cucurbitas noſtras appellant Carbaſſes, uti plus ufitatas, & conſimili ratione condiuntur. Cortice ergo fructuum horum dempto, ſive Cucurbitæ fuerint, ſive pomorum Citriorum, pulpa ſecundum fructus longitudinem ad duorum digitorum inſtar diſſecetur, ad craſſitiem vero averſi majuſculi cujuſ-

dam

dam cultelli dissecetur. Eam vero ut firmior & solidior fiat, in muria sive aqua salsa, sicut olivas per aliquot dies macerabis: Cum autem condire volueris, aqua dulci, per unum aut alterum diem ad salsuginem tollendam infundere oportet. Deinde in sufficienti alterius aquæ quantitate decoquendam curabis, donec teneritudinem acquisierit: post, sicut ante diximus, lineis pannis iisdemque nitidis exsiccata, in saccharo ad syrupum cocto, uti in radicum serie dictum est recoquetur: vel etiam sæpius saccharum in syrupum decoctum, & semicalidum, uti antea de Nucibus dictum est, affundatur: hanc autem operationem & methodum, minimè approbare possim. Ad siccam autem earum condituram idem, quod antea de corticibus & caulibus dictum est, fieri debet.

De Pulpa fructuum in specie.

De Pulpa Cydoniorum.

CAro, sive pulpa *Cydoniorum*, vel in quartas cujusque Cydonii portiones integras, vel in Cydoniatum conficitur, uti a nobis dicetur. Accipe Cydoniorum jam maturorum & majusculorum, quæ in quatuor vel sex partes divides, decorticabis & a suis seminibus, interiori membrana, omnique aliena fabulosa materia perpurgabis duas libras, sacchari Maderensis libram & semissem, quæ in authepsa cum aqua satis multa super ignem clarum & non fumigantem decoqui curabis, usquequo syrupus consistentiam electuarii mollis acquisiverit, semper tollendo cochleari spumam quæ supernatat. Post disponi quæque debent, cavendo interim ne rumpantur, in ollis suis, ac tum demum affundi quod sufficit syrupi ut cooperiri possint. Cum refrixerint, totum quod est papyro pura operietur, & in loco sicco usui reponantur. Cydoniatum eadem ratione fit, nisi quod ut fiat speciosius, Cydonia paulo viridiora seligere oportet, quam quæ portiunculis illis inserviunt, & dum coquantur parum sive non omnino agitentur, nisi cum tabuerint & quasi cocta fuerint: ac tum demum pistillo sive spatula lignea, ne forte colorem suum miniatum & rubicantem amittant, comminuuntur. Coctura perfici cognoveris, cum Cydoniatum & in ambitu & in fundo reliquerit authepsam nitidam: vel etiam si portio ejusdem posita super mensulam vel quadram cum refrixerit, permaneat firma, digitóque leviter contacta non adhæreat. *Tum vero propere ab igne remotum*, in pyxides abietinas ad hoc destinatas & ordine super tabulam aut mensam dispositas imponatur: per aliquot horas postea reponi poterunt, sicut ante de particulis illis & portionibus dictum est. Qui duas partes Cydoniorum & unam sacchari accipiunt, Cydoniatum suum plus quidem astringens sed minus oculis speciosum, & minus palato gratum faciunt: Contrà qui æquales portiones & sacchari & Cydoniorum sumunt, habebunt illud speciosius, gratius, & minùs astringens.

Diacydonium purgans.

QUi voluerint Cydoniatum facere laxativum, præcedenti, & quando coctum est & authepsa sive ænulum ab igne amotum, duabus libris Cydoniati, adjicere debent scammonii semunciam pro delicatioribus, vel 6. dragmas, & canellæ sive Cynamomi subtiliter pulverizati duos scrupulos: quod pro singulis Cydoniati unciis, rependebit semiscrupulo scammonii: quantum sc. satis erit ad purgandam bilem illis qui moveri faciles sunt, & adeo delicati, ut pilulis uti non possint aut nolint, nec catharticis medicamentis. Eos verò in commodum suum fallere oportet. Siquidem illis purganda est pituita, scammonii loco imponere par est, Turpethi selecti unciam unam, & Zinziberis quatuor scrupulos ad Cydoniati duas libras postquam authepsa ab igne remota est: sin verò & bilem & pituitam crassam & viscosam purgare libet, dimidium unius & alterius accipere convenit, quæ miscere oportet, ut à nobis dictum est: & sic medicamentum familiare & jucundum habueris. Tales autem species nequaquam gustum Cydoniati alterabit, & color nequaquam fere minor erit quam sine illis. Dosis augenda vel minuenda erit magis aut minus pro ratione ætatis, anni tempore & ægrorum temperamentis.

Dia-

Dia. Cynorrhodon.

PUlpa fructus Cynorrhodi, sive Rosæ caninæ quod vulgò apud nos *Eglantier*, & per Antiphrasin *Gratecul* dicitur, eadem ratione qua Cydoniatum ut diximus, *conditur*, constringendo comminuit sabulum in renibus eorum qui calculosi sunt.

Herbæ quas condire velis, sunt naturâ vel humidæ, vel siccæ. Si humidæ sunt, succus extrahendus, idemque in duplo sacchari coquendus in formam syrupi, vel paulo majori quantitate: post residuum sive residentiam ejusdem succi, adjicere oportet, cum idem in marmoreo mortario cum pistillo ligneo perfectè contritus fuerit, dum adhuc super ignem & fervens fuerit: post in olla sua servandus erit.

Si siccæ sint, quales sunt *Absinthium Ponticum*, *Capilli veneris* & *Ceterach*, primum auferendi sunt ramuli & pediculi, post exactè contundendæ sunt in mortario marmoreo, & duplum sacchari pulverizati adjiciendum. Et denuo cum totum incorporatum fuerit in sua olla per aliquot dies custodiendum in sole, & per vices agitandum, ac usui servandum.

Nonnulli, & percommode quidem, talium herbarum siccarum, seorsim decoctionem faciunt, ad supplendum succi defectum, in qua liquefieri faciunt purum saccharum, & decoquant in formam electuarii mollis. Deinde herbam ipsam summa cum cura selectam & contritam, ut dictum est, adjiciant: quam saccharo incorporatam & frigefactam, conservant in usus necessarios. Atque hæc quidem methodus alterâ melior est.

De florum conditura in genere.

QUamvis ex omni flore, conserva fieri possit, tamen quos usus obtinet retinemus quosdam & non alios. Eorum qui in usum veniunt, quidam naturâ suâ sunt humidi, ut *Violariæ*, *Bugloſſi*, *Boraginis*, *Cichorei Nenupharis*, *&c.* Alii verò sicci sunt, *Thamaricis*, *Stœchados*, *Salviæ*, *Rorismarini*, *&c.* Sunt & qui mediam rationem habent, cujusmodi sunt *Rosarum*, *Betonicæ*, *&c.*

Quidam consulunt, ut qui humidi sunt, media ex parte ad Solem intra lintea duo arefiant, ut una pars humiditatis eorum diminuatur. Deinde postquam in mortario contusi sunt, duplum sacchari puri crassiusculè contriti adjiciatur: & totam massam probe incorporatam, in sole intra fictilia vitrata servent, semélque de die, spatula conservam suam agitent, & ollam sive vas fictile obturent duplici charta sive membrana Pergamena humectata, ne virtus florum aerea deperdatur. Hodie ut plurimum conservæ florum eodem modo conficiuntur, excepto quod non siccari faciunt flores, humidi cum sint suâ naturâ, sed prorsus recentes (ſ pius cum inter siccandum nativus eorum color deperit: argumento certissimo quod vel eorum virtus omnino deperdita est, vel magna ex parte, sicut *Mesue* in libro suo de Simplicibus purgantibus & capite de Rosa docet) tum contundantur: post, sacchari duplum adjiciatur: & cum omnino incorporati sunt, in fictilibus ollulis bene obturatis serventur, idque ob rationes prædictas: quas permittunt per mensem aut quadraginta dies solibus exponi, & bis vel ter in septimana moveri & agitari, ut calor solaris omni ex parte eos decoquat. Illi porro haud probè faciunt qui simplici charta ollam tegunt, quam etiam grandiuscula perforant acicula quam diu illi soli exponunt: cum contrà probe contegi oportet, ne vires florum exhalent.

Quando conſervæ fiunt.

Error improbatus.

De florum Conditura in specie.

Conserva Rosarum Mollis.

QUod *Mesue* distinctione quarta *Zaccharum rosatum* appellat, *Nicolaus* in suo Antidotario *Rhodosaccharum* nuncupat, & nos *Conserva Rosarum*. Quæ hunc in modum fit. Accipe Rosarum rubrarum partem unam, quarum ungues cultello

five

sive forfice abscissi sunt. Unguem vocamus, candidam illam particulam, quæ ambit foliculum, vel summitatem florum rosarum, & non granula illa flava, quæ sunt in Rosæ medio, quæ cum siccata sunt apparent nigra, & quæ Inscii quidam *Antheram* nominant, nomine sci. Compositionis, cujus *Dioscorides* & *Galenus* libro sexto, de Medicamentis secundum Locos, temporibus eorum & non hodie receptæ meminerunt. Semen enim qui in fructu continetur, cum maturuit, rubet.

Rosæ ergo unguibus hunc in modum abscissis magna cum cura contundi debent in marmoreo mortario, pistillo ligneo: deinde sacchari puri duabus partibus adjectis, incorporentur simul, & in olla sua clausa in totum plena serventur, sicut ante diximus, per triginta vel quadraginta dies solibus exposita, quotidie eos agitando spatula: ut calor ille solis eos ex omni parte decoquat: Hac ratione talis conserva per biennium speciosa & ægrorum palatis pergrata servabitur.

Quidam curant saccharum in aqua rosarum liquefieri, & coqui deinde in Electuarium. Post rosas ipsas ibidem studiose mundatas & in mortario, ut ante dictum est, contusas macerant, illisque adjiciunt Omphacii quid ex uvis immaturis expressi vel succi Aurantiorum, qui illis bellum colorem inducit: quem quidem colorem per unum integrum annum conservabit immutatum, dummodo conserva suam in ollam reponatur parum calidam, parvulam illi crustam superius inducat, quæ obstabit quo minus aër ambiens colorem immutet suum.

Conserva Rosarum solida.

ACcipe rosarum ante siccatarum, suisque ut præcedentes unguibus purgatarum unciam unam: quas in subtilem pulverem redactas *tribus drachmis vel semuncia* succi uvarum immaturarum sive Limonum irrorabis: Post, sacchari puri sume libram unam, quod liquefieri curabis in aqua rosacea, & in electuarium solidum decoqui: post authepsam sive lebetem ab igne remotam, insperges pulverem rosarum ut dictum est irroratum. Cum totum quasi refrixerit, cum spatula lignea ex anteriori parte latiore, morsulatim sive per placentulas disponendum est super chartam puram & intra vitrea vasa obturata, vel in loculamentis bene operculatis, usui servandum. Succus autem adjiciendus est solummodo ad miniatum colorem inducendum, nequaquam vero ad virtutem ejus vel alterandam vel minuendam, quam per annum dimidium servabit, dummodo aer non attingat: Post sex menses vividus ille color paulatim evanescit, ac tum quidem virtus minor erit quam in molli vel liquidiore: e contra, quamdiu recens est, pares vires obtinebit: quandoquidem, rosarum recentium mundatarum & exiccatarum semilibra, ad semiunciam non ultra deveniet, sicut cuiq; experientia compertum erit.

De Conservis Violarum, Buglossi, Nymphææ, Althææ & Lilii convallium.

COnservæ *Violarum*, *Buglossi*, *Boraginis*, *Nymphææ*, *Calthæ*, & *Lilii convallium*, eodem modo conficiantur, quo Conserva Rosarum, sive liquida ea sit sive solida, nisi quod unguium rosarum vice, demenda est viridis illa & herbacea pars quæ in Violis, Nenuphare, Buglosso & Boragine apparet: ac tum demum in usum reponendæ.

Conserva florum Tamaricis.

HÆc conserva sicut ante diximus *, ex herbis siccis sive parum humidis natura sua fieri debet, hunc in modum. Accipe florum *Tamaricis* recentium quantum volueris, quos in aqua decoquendos curabis. Colatura ovorum candidis clarificabitur, & cum sacchari purissimi libra una coquatur in electuarium molle: & ad illa infundes aliorum florum *Tamaricis* curiosè à suis caulibus & ramulis mundatorum semilibram, & cum in mortario marmoreo, pistillo ligneo contusi fuerint, in olla sua bene operculo tecta in usus necessarios conservabis. Conservæ florum *Betonicæ*, *Salviæ*,

* *In foliorum conditura.*

Salviæ, Roriſmarini, Stœchadis, Primulæ Veris, &c. eodem modo perfici poterint, quo *Roſarum* & *Tamaricis.*

Conſerva Mellis Roſarum.

QUod Arabes *Geleniabin* vocant, Græci *Rhodomeli*, Latini *Mel Roſatum*, & nos Galli *Miel Roſat* appellamus; *Meſvæ* tempore, *Conſerva mellis roſati* tribus modis fieri ſolebat.

1. Primo, cum Roſarum recentium non adhuc plene expanſarum earundemq; contuſarum parte una & mellis deſpumati triplo ſimul decoctis.

2. Secundo, cum ſucci roſarum rubrarum, & mellis deſpumati æquis partibus, & hocce Mel roſatum colatum vocant.

3. Tertio, cum roſarum & ſucci, una parte & dimidia, mellis autem tribus partibus: quæ decoquebant, & conſervabant.

Porro hodie primus modus uſitatus eſt & uſu receptus: ſicut *Meſve* in Diſtinctione quarta præcipit: niſi quod Roſæ ad medium exiccari non debent, ſed recentes & expanſæ ſuisque caliculis & flavis granulis ſeparatæ: quas in mortario ligneo piſtillo contundi oportet: poſt imponi in grande vas fictile vitratum anguſti orificii, & mellis deſpumati triplum pondus omnino calidè affundendum: Quod obturatum, ſpatio duodecim vel quindecim dierum ſoli exponetur: aut etiam viginti quatuor horas ſuper cineres calidos, ſi neceſſitas illud non permittat. Quando vero in uſum venit, ſive paulo ante, portio ejuſdem una ſumenda eſt, adjecto aquæ roſarum modico decoquenda, & ad uſum neceſſarium tale mel expreſſum conſervandum, quod mel roſatum colatum appellatur. Loco autem aquæ roſarum conducere magis arbitror, ut ad ſingulas mellis libras, accipiantur tres aut quatuor unciæ ſucci aliarum roſarum, & vice infuſionis unius, hoc tribus vicibus fiat. Atq; ita tale mel roſatum, ad hoc quod *Meſue* promittit, excellentiſſimum fuerit.

Conſilium faciendi Mel Roſatum *præſtantiſſimum.*

De Melle Anthoſato.

QUantumvis *Anthos* generale vocabulum ſit & omnibus in genere floribus commune, medicis tamen per Antonomaſiam pro ſpecie, & flore ſolo Roriſmarini accipitur: qui cum triplo mellis deſpumati remiſtus, ſicut antea de melle roſato dictum eſt, *Mel Anthoſatum* appellant, & Arabes *Alchilil*, ſive *Alkikil*. Quando volueris hoc decoquere, vice aquæ aut ſucci, tantundem vini vel parem quantitatem decoctionis cum aliis Rorismarini floribus factæ accipere oportet: Ac ſic quidem quam optimum ad id quod pollicetur fuerit. *Mel violatum*, conſimili ratione quâ mel roſatum fit.

Mel violatum.

De Melle Mercuriali.

ACcipe ſucci Mercurialis, *Linozoſtis* a Græcis dictæ, & mellis æquas partes, quæ depurentur & decoquantur ſimul in formam ſyrupi, quem conſervari in uſus neceſſarios oportet. Clyſteribus autem inſervit. Quis hujus Author fuit, nobis incertum eſt.

De Melle Scillitico.

HOc mel perparum uſitatum eſt, & hoc modo fit. Accipe Scillarum præparatarum, ſicut in ſequente ſectione dicetur in aceto Scillitico, unam partem, & Mellis deſpumati tres partes, quod quo vetuſtius, eo melius. Totum autem in fictile vas vitratum imponatur, & ſoli exponatur, vel in alio loco calente teneatur, & vicibus mutetur, ut calor æqualiter ad omnes partes pertineat. Jam vero hæ ſcillæ de melle extrahendæ non ſunt, quemadmodum in præparatione Aceti Scillitici dicemus, niſi quando in uſum venerint. Ac tum quidem adjecto vini modico coquendæ ſunt cum melle ſuo, & in uſus exprimendæ.

De

De Melle Passulato.

SYlvius in doctis ad *Mesuen* annotationibus suis *Mel*, seu *sapam uvarum passularum*, pro *Melle Passulato* appellat: Ego vero vulgarem retinendo appellationem in hanc præsentem potiùs quam sequentem reduxi: & in hunc modum fit. Accipe libram unam uvarum passarum pinguium sive de Agibis quæ ex *Hispania*, vel *Narbonensi Provincia*, vel *Damasco* principali urbe *Syriæ* importantur, quarum arillæ sive granula ademptæ sunt: has autem quasi viginti quatuor horarum spacio, in tribus aquæ calidæ libris macerabis, deinde super ignem ad medias aut binas tertias decoques.

De Melle Anacardino.

QUi locos illos incolunt in quibus *Anacardia* nascuntur aut commode inde poterunt ea comparare recentia, *Mel Anacardinum* conficere possint, ita uti *Azaravius* docet, *viz.* recentia ea contundendo, & eousque in aqua decoquendo donec unius coloris sit, subrubri sc. & obscuri: Post, argenteo cochleari, quod desuper natat colligendo: conservando illud ut pro melle Anacardino inserviat. Aut etiam Colatura Anacardiorum recentium crassiu cule contusorum & decoctorum (ut dictum est) accipienda, quam etiam cum melle despumato coctam oportet, & ea forma qua totum conservari incorruptum possit ad usum.

Qui autem Anacardia minus commode parare possunt recentia, ea debent accipere arida, qualia ab *Indiis* importantur: quæ crasso modo contunden & in modica ac eti quantitate per septem dies macerabunt: octavo autem in aqua decoquent ad medietatis consumptionem, ac deinde expriment. Colatura bullire debet cum melle despumato, ad consistentiam eam, qua possint incorrupta conservari ad usus necessarios.

Habes jam, Lector, tam in genere, quam in specie rationem faciendi *Condita* & *Conserva*, tam melle quam saccharo, quæ vulgo & communiter in usu sunt. Consimili Methodo, alia quorum mentionem non fecimus, sive radices, caules, cortices, fructus, pulpæ, sive flores fuerint, ad cujusque usum & commodum condiri possunt. *Epilogus.*

Sectio secunda, de succis.

De Sapis in genere.

QUanquam *Christophorus* & quidam alii inter *Rob* & *Robub* differentiam ponunt, tamen nulla est omnino, uti ex scriptis *Arabum* colligere licet: *Serapionis* nimirum, *Tractatu septimo*, & *Cap.* 25. *Avicennæ* item, *Lib.* 5. initio *tractatus sexti. Rhazæ* etiam & *Mesues*, in principio sextæ distinctionis: Hoc solum excepto, quod per *Rob* & *Robub*, simpliciter & absque additione positum, intelligunt vinum nostrum coctum, quod Latinis *Sapa* est, *Serapum* & *Defrutum*: sicut Græcis τὸ σίραπον, sive σίραπον & ἕψημα. Omnino etenim quotiescunque aliud significare volunt, nomen plantæ adjiciunt: exempli causa, *Rob Absynthii, Eupatorii, &c. Rob* igitur & *Robub* nihil aliud est quam unus solus succus, cujus humor sive per solem, seu per ignem consumptus est: ita ut diutius incorruptus servari possit: sicut *Aloës, Acatiæ, Hypocistis, succus Glycyrrhizæ, Vinum coctum*, sive Vinum coctum, &c. Quodsi præter plantæ succum adhibitum quid mellis habeat vel saccharum conservandi sui causâ jam nomen *Rob* simplicis deperdit, & compositum appellatur: uti *Rob Mororum, nucum, pyrorum, Berberis, Cerasorum, Omphacii, &c.*

De sapis simplicibus in specie.

Rob per Emphasim & simpliciter positum, quod nostrum esse Vinum coctum diximus, tribus modis fit. Unum vulgo appellatur *Raisiné*, quod fit de racemis Uvarum maturarum in grandi lebete sive Aheno coctarum sine ullo liquore, & deinde per setaceum inversum vel densum pannum novum lineum transmissum: cujus pulpa recocta sit, ad mellis spissitudinem, & est servanda. Alterum de musto ad aliquot dies condito & servato quod tempore quandam acquirit acrimoniam, quæ impedit quo minùs sciri possit, quomodo bonum & laudabile vinum coctum sit. Inde fit, quod neque Antiqui, nec hujus ætatis Medici recentiores minimè utantur hisce vinis coctis quorum jam meminimus, sed sequente. Tertius & præstantissimus modus fit de musto quam recentissimo, ex uvis albis satis maturis, à laudabili planta & è solo quam optimo provenientibus, eodemque super ignem clarum decocto in aheno ad consumptionem duarum tertiarum, semper aufer spumam quæ sursum enatat, ut clarius, speciosius & gratius fiat. Neque opus ut uvæ eligantur nigræ ad acquirendum vino cocto rubedinem: nam inter coquendum, satis acquirit coloris, & utcunque dulcius fit, & anodynum magis, quam quod ex nigris uvis fit, calefacit & humectat, nutrit etiam & ventrem solvit. Non Græci solum, verumetiam Arabes, in compositionibus suis (sc. syrupo de Epithymo, Diamoro, Diacodio) & Neoterici, in curatione multorum morborum tam internorum quam externorum hoc usi sunt & utuntur quotidie. Coqui quinetiam, ad faciendum condimenta sua sapidissima hoc utuntur. Quod ad alias *Rob* & *Rebub* simplicium species, sumunt omnia cognomen plantæ è qua fiunt, & consimili ratione præparantur, hunc in modum.

Quomodo deficcanda sunt succi sine ulla additione, ut diu conserventur.

Accipe succi, quicunque ille fuerit, duas libras, quem coqui curabis super ignem clarum ad medietatis consumptionem: post colabis & residere permittes. Postquam clarus & purus fuerit, recoquetur ad spissitudinem, sive consistentiam vini cocti, syrupi, sive mellis despumati. Tales succi, hac ratione exuta humiditate aquosa sua, intra vitrea vasa, vel in fictilibus probè vitratis, incorrupti conservabuntur. Sin verò parum sacchari, aut mellis adjiciatur, melius & diutius servabuntur. Optimum verò est in tempus præsens necessitatis ea præparare. Cujusmodi sunt, succi Absinthii & Eupatorii ad pilulas aggregativas, & alias, quarum Mesue meminit.

De Sapis Compositis.

Diamorum D. N. Salernitæ.

℞. *Succi Mororum Batinorum. i. rubi humilis, lib. unam. Mororum Celsi. i. domesticorum ex arbore pendentium. Mellis optimi despumati, utriusq; lib. dimidiam. Sapæ nostratis. unc. tres.*

Coquantur simul cum facilitate donec syrupi crassitudinem nanciscantur & usui reponantur.

Paraphrasis.

DE pluribus Diamori descriptionibus nos hanc retinuimus, ut magis usitatam, & quam *Salernitanus* de quinta *Mesuei* distinctione mutuatus est, mutando duntaxat doses medicamentorum, sicut cuique videre est, si quis utrasque descriptiones simul inter se conferre volet. Consulerem ego, ut vinum coctum auferatur: nulla illius ratione habita quod *Platearius* scripsit in fine Cõmentarii sui quem fecit de Diamoro. Primo, quod hic syrupus, inventum fuit *Græcorum* qui nullum vini cocti faciunt mentionem: ut videre est in *Galeni* lib. sexto de medicamentis secundum locos: in *Pauli Aeginetæ*, lib. 7. cap. 14. *Tralliani*, lib. 4. *Myrepsi* Sect. 9. Secundo quod astrictio succi Mororum non tanta est, ut opus sit alio correctivo ad reprimendam suam asperitatem & siccitatem, quam mellis ipsius: nam calore suo satis resolvit & digerit materiam decumbentem & defluentem, absque ulla vini cocti additione. Præterea, adjungi semper possit, si opus fuerit, at non adimi.

De

De Mixtura.

PRo methodica operandi ratione, secundum *Græcorum* & *Arabum* doctrinam, eligenda sunt Mora tam sylvestria quam domestica, quæ non sunt plenè matura, sed quæ aliquantulum virorem sapiant: unde duæ partes sylvestrium & una domesticorum accipienda est: & ideo plus succi extrahendum est quam par est, qui decoquendum est super ignem clarum, ad tertiæ partis consumptionem, & subsidere permittendum: ac tum clarioris & purioris partis, una libra & dimidia capienda est, quæ dosis est isthic duorum succorum requisita, quibus adjungenda est semilibra mellis albi despumati: ac tum demum decoquantur, in formam syrupi. Post adjicere poterit vinum Coctum, postquam lebes ab igne remotus est, qui velit opinionem meam sequi: Cum totum refrixerit, servandum est in usus. Jam vero Pharmacopœis, qui parum de suo existimatione & officio versus ægros solliciti sunt, consultum velim nec prætexere sibi causam & excusationem, quod latinè nesciant, nec suppetant illis Doctores qui sese instruant: Nonnulli enim eorum sunt qui plus improbitate & fraude effrænataque avaritia delinquunt, quam insciti à & ignorantiâ. Quando enim suum Diamorum componunt, accipiunt succum non depuratum, & mel crudum, quod decoqui curant in syrupum, vel etiam mustum coctum: neque ultra laborant utrum bene an male hoc cedat: hoc autem in causa est, quod Medici sua & fine frustrentur, ægris etiam fraudi sit & nocumento. In principio igitur inflammationum oris, succus solus depuratus melior est diamoro. Quod si inflammatio major sit, adeo ut astrictio non sufficiat fluxioni sistendæ, Dianucum insequens uti licet, vel decoctionem aliquam ex astringentibus adjicere. E contrà vero in augmento & statu mali, præstat Diamorum quam succus solus. *Galen.*

Admonitio ad Pharmacopœos.

Pharmacopœorum Error.

Dianucum simplex. D. M.

℞. *Succi nucum juglandium viridium, Junio mense extracti & depurati. lib. quatuor Mellis despumati lib. duas. Coquantur in syrupi crassitudinem, & usui reponantur.*

Paraphrasis.

NOlim ego Pharmacopœis Author esse, ut in officinis suis aliud Dianucum quam hoc supra dictum præparent: quandoquidem Docti & bene experti Medici, doctrinam Galeni, lib. sexto de Medicamentis secundum locos, sequentes probe callent illud, quod sciant necessarium esse pro ratione temporum morbi quatuor adjicere. Methodus componendi, similis illi est, quam in præcedente Diamoro declaravimus.

Sapa Ribes, Berberis & Omphacii.

℞. *Succi utriusve fructus lib. decem. Coque igni lento ad tertiæ partis consumptionem. Cola & subsidere permitte donec clarescat. Clarum deinde igni clementi percoque ad justam crassitudinem, quo servari possit. Consulo ut sacchari albi lib. duæ addantur & coquantur in syrupum: sic jucundior evadit, & diutius durat.*

Paraphrasis.

OB grandem quam nostra Grossularia domestica cum Ribes affinitatem habet à *Serapione* descripto cap. 241, libri sui de simplicibus, fructus ejus rubicundus pro Ribes jure existimari poterit. Ad faciendum igitur Rob de Ribes, accipere convenit succi uvarum nostrarum crisparum rubrarum (quas *Valerola* observatione secunda lib. 2. speciem esse Oxyacanthæ ex Indiis allatæ arbitratur) lib. decem, quæ ad tertiæ partis consumptionem decoquendæ sunt: quarum colatura post-

postquam recederit, clarior illius pars recoquenda est ad spissitudinem musti cocti sive sapæ, ut ita demum servari possit. Consulerem ego ut ad talem succi quantitatem duæ sacchari libræ addantur: qua ratione & diutius durabit & Palato jucundior erit, nec ejusdem virtus minor, in syrupi consistentiam cum cocta sit. Rob, sive sapa ex uvis immaturis, Græcis *Omphacium*, & illa etiam Berberis (pro Oxyacantha Græcorum accepta) quam nos Gallicè *Espine vinette* sive *Berbiris* appellamus, confici eodem modo debet quo illud de ribes fieri diximus.

Rob Cerasorum acidorum. ἄδηλον.

℞. *Succi Cerasorum acidorum depurati lib. quatuor. Sacchari albi lib. duas. Coquantur simul ad justam crassitiem & usui reponantur.*

Paraphrasis.

GElatina Cerasorum acidorum & austerorum collocari poterit in serie Rob, quæ perpulchra quidem est & palato febricitantium jucunda: cum ex quatuor libris succi eorum depurati, & duabus libris sacchari puri factum sit, ut diximus. Quidam Pharmacopœi nostri de pulpæ eorum per cribrum transmissæ (& non de succo) duabus partibus & sacchari una faciunt, & eam ad usus necessarios, in fictilibus ollis vitratis, vel vitreis recondunt.

Miva Cydoniorum simplex & composita. D. M.

℞. *Succi Cydoniorum acidorum lib. viginti, coque ad medias: deinde infunde, vini veteris optimi, lib. decem. Mellis despumati, vel sacchari albi, ut sit gratior, lib. sex. Coquantur ad justam crassitudinem, si simplicem compositurus es; Si compositam, aromatizetur pulvere sequenti.*

℞. *Cinamomi selecti*
Cardamomi, utriusq; drach. tres.
Caryophyllorum
Croci
Trochisc. Gallia moscatæ, singul. drach. duas.
Zinziberis
Mastiches
Xyloaloës seu ligni Aloës
Macis singul. drach. unam & dimidium.
Moschi scrupulum unum. Fiat pulvis sindone ligatus & inter coquendum frequenter expressus.

Paraphrasis.

HÆc Gelatina sive Miva tam simplex quam composita descripta est a *Mesue* in sua *Grabadin*, Distinctione sexta, quæ olim usitatior erat quam nunc dierum, quamvis præstantissima sit: propterea quod aliter conficimus, clariorem & gratiorem, minore sumptu, hoc modo. Accipe Cydoniorum, non plene maturorum, quantum volueris, quæ purgabis non à putaminibus suis, sed seminibus & membranis non adeò exquisitè & exacte ac ad Cydoniatum confíciendum: quæ in quatuor partes singula dissecabis, easque in magna quantitate aquæ coqui curabis, quousque quam tenerrimæ fiant. Deinde, exprimi eas fortiter curabis per linteum novum. Post, accipere oportet decoctionis lib. duas & sacchari puri unam, quas sine ulla depuratione decoqui facias super prunas sive carbones lucidos, in lebete sive cacabo nitido & lucente: spumam semper supernatantem spatula seu argenteo cochleari auferendo, donec percoctæ sunt, & super formulas quasdem ligneas conjiciantur, de industria in hunc usum antea concinnatas & humectatas in aqua, post autem spongia pura detersas. Hoc facto cum jam ferme refrixerint, submovendæ sunt ab illis formulis, ut in pyxides abietinas impositæ in usus suos conserventur. Coctura Gelatinæ justa hinc cognoscetur, si calida ejusdem una guttula super quandam laminam nitentem vel quadram posita, cum refrixerit, submoueri possit nitida: ac tum quidem cacabus ab igne amovendus

Modus faciendi Gelatinam Cydoniorum.

dus est ne Gelatina nigrescat. Quamdiu decoquitur moveri & agitari minimè debet, ac ne operiri quidem, nec multo igne coqui. Sani qui sunt hac ad voluptatem utuntur, ægroti verò ut sanitatem recipiant. Ante justam coctionem, si aromatizetur solummodo Canella sive Cinnamomo, maci & nuce moschata confractis in particulas, singulis in modica quantitate, & in nodulum unum ligatis, sæpius eum exprimendo, supplebit illius compositæ Mesuæi defectum, & plus ægrorum palato quam sua ipsius conveniet. *Coctura Gelatinæ justa, ut cognoscatur.*

De Julepis in genere.

IVlep, sive *Iuleb* nomen est *Persicum* & potionem significat jucundam, quam Neoterici *Græci* velut *Actuarius* & *Simeon*, appellarunt ζελάπον & ζέλαπον. per quod vocabulum, intelligunt syrupum simplicem & minus coctum, sive factum fuerit ex aquis stillatitiis, veluti rosarum, violarum, &c. aut ex simplici decoctione, sicut quod sequitur de Jujubis : seu ex aliquo succo in sole, vel ad ignem depurato, cum saccharo, minimè autem cum melle, sicut videre est in sexta Distinctione *Mesuæi*.

Hodie autem, & sæpe à medicis impropriè loquentibus capitur *Julepus* pro digestivo, qualia *Græci* antiquiores appellarunt προποτίσματα *i. Prægustationes*, seu præcursores vel antecessores purgationum universalium. *Iulepus* ergo quod valdè simplex & minus quam syrupus coctus, pergratus ægrotis est : nec adeò diu conservatur, præsertim si cum decoctione factus est, sicut ille Jujubarum. Ac inde est quod non paretur antequam usus postulat, idemque minore in quantitate. *Christophori* opinio non probari debet in Commentario suo, quem in sextam distinctionem *Mesuæi* composuit dicentis, *Iulepum plus coquendum esse quàm syrupum.* Fieri quidem potest quod suo tempore Julepus magis coctus fuerit : hodiè verò contrarium omnino videtur ; atque ita res excusari poterit.

De Julepis in specie.

Julepus Rosarum & Violarum. D. M.

℞. *Aquæ Rosarum, vel Violarum in Alembico vitreo distillatæ, libras tres. Sacchari albi lib. duas : coque utendi tempore.*

QUamvis aquæ distillatæ servari possint solæ per unum annum, & ulterius, cum saccharo tamen hii Julepi neutiquam parari debent, nisi in usum præsentem tantum : quandoquidem qualitas eorum refrigerans tempore amittitur, atque adeò eo citius per calorem sacchari : ac non ita speciosus & jucundus est. Alii Pharmacopœi qui in rem suam attentiores sunt quam commodum ægrotorum, & contra Authorum mentem liquifieri curant saccharum suum in aqua fontana, & cum jam coctum est, adjiciunt aquæ rosarum aut violarum duas aut tres uncias, ut liquido dicere possint ibidem eam esse, nec cessant interea æquè carè illum vendere, ac alterum, cui imposita esset quantitas justa aquæ destillatæ. *Hic damnatur vitium, non virtus.*

Julepus Zizyphorum. D. M.

℞. *Zizypha seu Jujubas magnas & pingues centum numero, aquæ fontanæ lib. quatuor : coque ad medias, cum sacchari albi libra una, in Iulepum.*

Paraphasis.

QUantumvis Julepus iste ad Tussim præcipuè valeat, valdeque jucundus est, at parum usitatus : eum tamen non omisi hic inserere, uti pro exemplo inserviat junioribus medicis ; quique etiamnum non satis in praxi versati sunt, vel ut præpararent eum, vel ad imitationem *Mesuæi* ut componerent alios, qui inservire possint, cum occasio postulabit.

De

De mixtura, vel componendi ratione.

ACcipe Jujubas grandiores & recentissimas quæ haberi possunt numero centum, quas confractas coquendas curabis in aquæ lib. quatuor ad dimidii consumptionem. Colatura cum ovorum albuminibus clarefiat, & sacchari albi in pulverem redacti Maderensis, ut possit tum demum perfecte decoqui in formam syrupi, sive Julepi simplicis, quo solo in præsenti utendum, vel cum Ptisana durante siti.

De syrupis in genere.

PHarmacopœus magis satagere debet, ut sciat benè in arte sua versari, quam curiosè nimis in nominum Etymologias inquirere: quandoquidem hoc facit solum ad explendum animum suum, nec ultro proficit: tamen ut curiosulis illis morem geram, scire eos oportet quod *Actuarius lib.* 5. dicit, quod vocabulum istum de *Syrop*, peregrinum est & barbarum, & dicendum est *Serapium*. Quidam derivari volunt de *Syria* & *opos*, quasi dicere velint, *Liquor de Syria*, fortasse, quod medici illius regionis, primo eo usi sunt, & talem appellationem indiderint. Quod ad meipsum attinet, opinor hoc vocabulum compositum esse à σύρω. *i.* traho, & ὀπὸς. *i.* liquor: quod videam syrupos nostros compositos esse, vel de succis, vel decoctionibus radicum, herbarum, fructuum, seminum & florum, forti expressione manuum, & cum hæ sæpenumero non sufficiant prælis.

De inventione Syruporum.

SYrupi excogitati sunt & inventi, duas ob causas præcipuas, videlicet, saporem & durationem: Medici enim antiquiores, cum vidissent numerum ægrotorum indies accrescere, idque omnibus anni temporibus, omni ætate, sexu & temperamento: & quod succi, seu liquores, infusiones & decoctiones, è radicibus, herbis, fructibus, seminibus & floribus, quibus sese solebant adjuvare, non per totum annum incorruptè servari possent, consultiùs illis visum est, succos eos ad solem exiccare, ac deinde ad ignem, ut sc. aquosam illam humiditatem consumerent, (causam sc. illius citæ corruptionis) atque has appellarunt *Rob* & *Robub*: alii *Syræon*, alii præterea *Sapam*, de quibus ante diximus. Præterea cum ingratum eorum saporem animadverterent, & quod talis exiccatio cuivis non sufficeret, saccharum adjungere cœperunt: talesque succos ita dulcefactos Julepos, sive Syrupos simplices nominarunt, & experientiâ diuturnâ compererunt hujusmodi remedia diutius perdurare (& ad digerendum & præparandum humores, antequam purgarentur loco apozematum, commoda esse) in virtute sua, & ægris admodum grata. Denique, cum mortales sint voluptatibus dediti & redditi jam molles & delicati, magisque valetudinarii: coacti sunt ut palato gratificarentur, remedia omnibus modis componere: & ad corrigendum amaritudinem & alium quemvis injucundum saporem admiscere, non solum mel & saccharum, sed uvas etiam passas, ficus, pruna, glycyrrhizam, & similia ad operationes eorum & meliores & salubriores reddendas, quod jam inde à retroactis sæculis in hodiernum diem observatum est. Tale remedii genus à *Nicolao Myrepso* δρόσατα vocatur, peculiari sibi nomine & non ab alio quod sciam usitato.

De usu syruporum.

USum ab effectis quæ producunt sumunt quæ cognoscuntur non per qualitates suas solum primas, secundas, tertias; verumetiam per affinitatem quandam particularem, quæ illis est cum nostri corporis partibus, potius quam aliorum: denique per specificas suas & occultas proprietates.

Primum effectum è qualitatibus primis deprehenditur, quibus corpus humanum frigidius per qualemcunque materiam frigidam redditum calefaciamus: veluti Syrupo de *Calamentha*, *de mentha*, *de Stœchade*, *&c.* E contra refrigeramus corpus quod nimium febre vel alia quapiam ratione calidum factum est, *Syrupo Nenupharis*, *Violarum*,

Violarum, Granatorum, &c. Ac sic quidem de aliis duabus qualitatibus siccâ & humidâ dicendum est. Secundùm effectum prodit de secundis & tertiis qualitatibus per quas occludimus vias & meatus plus æqua apertas & laxas: sicut syrupo *Myrtillorum, Cydoniorum, de Rosis siccis, & de Berberis, &c.*

Contraria ratione, reseramus vias obstipatas & occlusas, per Syrupos *de 5 radicibus aperitivis, de Eupatorio, de Artemisia*, &c. incidendo & attenuando materias crassas & viscosas, quæ prompte strictos meatus & angustos obturant. Aliis porrò incrassamus materias nimis tenues & subtiles, nimirum, syrupis *Papaveris, Violarum, Diacodii*, &c. Aliis porro syrupis utimur ad detergendum quod nimis adhæret, veluti *Melle Rosato*. Aliis ad leniendas & lævigandas asperitates, asperæ sc. arteriæ, pulmonum, &c. qualis ille est *De jujubis, Tussilaginis* sive *Ungulæ caballinæ, Capillorum veneris & Violarum*, &c.

Tertium effectum sumitur ab illis quæ appellationem retinent partis, ad quam præcipuè destinati sunt: cujusmodi sunt, Cephalici qui caput respiciunt: veluti *Betonicæ, Stœchadis, Oxymel Scilliticum, Mel Rosatum*: Thoracici sive pectorales, uti *de Prassio*, de *Tussilagine, Iujubis, Hyssopo, &c.* Stomachici & Gastrici ad stomachum & ventriculum, veluti *Menthæ & Absinthii, &c.* Cardiaci pro Corde, uti *Melissæ & Buglossi*. Nephritici ad renes: sicut *Althææ, Betonicæ, de Raphano*, &c. Hepatici qui student Hepati, quales *Endiviæ, de Cichorea*, &c. Splenici qui lieni familiares sunt, *de Scolopendrio, Chamedry, Calamintha*. Hysterici qui matrici commodi sunt, uti *Artemisiæ*, &c. Arthritici, ad junctûras, *Oxymel Scilliticum*.

Qui sunt ab effectu quarto, per essentialem formam operantur vel facultatem cœlestem, sive substantiæ similitudinem, quæ omnia eôdem redeunt. Hii autem vel ex delectu humorem, qui sibi proprius est & familiaris (ut communiter loquar) purgant (purgatio enim est naturæ opus, non medicamentorum) vel venenis resistunt, & dicuntur *Alexiteria*.

Purgantium, alii bilem purgare dicuntur, sicut ille *de Cichorea cum Rhabarbaro compositus: Violaceus* de succo factus, vel novem infusionibus; alii serositates purgant, ut ille *Rosaceus*, ex pluribus similiter infusionibus. Alii Melancholiam dejiciunt, sicut *de Fumaria compositus*, vel *de Epithymo*, vel *Pomis*, &c. Alii porro pituitam, velut *Mel mercuriale*. Sanguis autem per Phlebotomiam & non per syrupos elective purgantes: qui enim sanguinem purgant potius inter venena, quam inter medicamenta purgantia recenseri debent. Syrupi vero Alexiterii, sive Amuleta, complurimi sunt, sicut ille *de Acetositate Citrii, Limonum, Aurantiorum, Omphacii, Granatorum*, &c.

De differentia syruporum.

DIfferentia syruporum tanta est quanta specierum ipsarum: reduci nihilominus possunt in duas classes; nimirum vel simplices sunt vel compositi. Simplicem appellamus, (non qui talis revera sit, omnes enim sunt compositi) illum, qui minus est compositus. Veluti syrupus acetosus simplex, respectu illius qui est magis compositus, & Oxymel simplex & compositum. Compositi subdividi rursus possunt in tres series: Sunt enim vel alterantes, vel purgantes, vel Alexiterii. Alterantes & Alexiterii, vel calidi sunt vel frigidi: sicci vel humidi: Purgantes, quatenus tales sunt, calidi sunt omnes, minus tamen alii aliis: quorum hii dejiciunt Choleram sive bilem, illi melancholiam: alii pituitam sive seroſos humores. Deinceps, sequitur ut qui sint simplices qui compositi exponamus.

De syrupis in specie.

Syrupus Acetatus Simplex. D. M.

℞. *Sacchari albi lib. quinque. Aquæ fontis lib. quatuor. Coquantur in vase vitrato ad dimidias, semper despumando carbonibus incensis aut flamma exigua & sine fumo.*

Tunc adde Aceti vini albi clari lib. duas; aut si valentiorem requiris, lib. tres. Si valentissimum, lib. quatuor, & percoque in syrupum usui reponendum.

Paraphrasis.

SYrupus hic a *Mesue* in distinct. Sexta describitur; qui nequaquam ab Oxymelite simplici differt, à *Galeno* descripto, lib. quarto de sanitate, nisi quod saccharum pro melle ponatur, nec adeo antiquus est. Tempore enim *Galeni* saccharum admodum erat rarum. Uterque autem syrupus, incidit, attenuat, detergit materias crassas & viscosas. Syrupus acetatus hominibus & morbis biliosis magis competit, pulchrior enim est & jucundior Oxymelite: E contra Oxymel complexionibus sive temperamentis frigidis, morbis etiam a pituita progenitis, plus conducit quam ille alter acetatus, idque ratione mellis. Unus autem itemque alter, aceti ratione, Matrici, Pectori, Melancholiæ & partibus spermaticis adversantur, secundum Divini *Hippocratis* doctrinam, in lib. Acutorum. Dosis Aceti ad Pharmacopœi arbitrium referenda est, qui illum ex mandato Medici compositurus est: & ratione habita ad vires ejusdem aceti majores vel minores: Præstat vero minus illius quàm plus justo imponere, quod facilius sit addere quam minuere.

Nota.

De mixtura sive componendi ratione.

ACcipe Sacchari puri lib. quinque, aquæ fontanæ quatuor libras: coqui curabis, ut præcipit *Mesue*, super carbones accensos (ob fumum) in vase sive lebete vel fictili vitreato, ad medietatis consumptionem, auferendo semper quæ supernatat spumam, syrupo ferè sed non perfectè cocto, adjicies paulatim boni aceti albi duas libras, quæ coqui simul curabis, quousque paulo minus quam solent alii syrupi coctum sit: quandoquidem acetum corruptioni resistat & illum conservabit. Adde quod quovis tempore fieri possit, & quoniam, quo recentior eo gratior sit, Pharmacopœus plus aut minus indere pro libito poterit. Si requiratur ut fortior & valentior sit, pro duabus libris imponere tres libras licebit, & si tres non sufficiant, ad quatuor progrediendum est, ut Author ipse voluit, ad imitationem *Galeni*, qui loco præcitato Oxymel, debile, forte & mediocre componit. Redarguendi igitur merito sunt & quidem graviter, qui ut hic syrupus clarior fit, eundem cum aceto destillato componunt: qui sua acrimonia ventriculum & viscera omnia ægrorum corrodit: ob colorem unum & solum non oportuit tantum malorum inferre: Quinetiam si conficiatur cum saccharo puro, vel pulverato de *Madera* clarefacto, & de aceto vini albi, satis clarus ille fuerit & jucundus. Similiter errant illi qui absque aqua illum faciunt cum aceto solo & saccharo: Immiscetur enim aqua ad reprimendam aceti acrimoniam. Qui nesciunt modum & rationem coquendi syrupos, legant quæ Sylvius eruditè in secundo libro Pharmacopœæ suæ, capite de Coctione collegit, illic reperient quod illis satisfaciet.

Error improbatus.

Oxysaccharum simplex. D. N. Myrepsi.

℞. *Sacchari optimi lib. unam. Succi mali Punici depurati unciæ octo. Aceti vini albi unc. quatuor. Coque in Syrupum.*

Paraphrasis.

OXysaccharum hoc a *Nicolao Myrepso Alexandrino* describitur, sectione 37. cap. 21. libri de Antidotis: qui nomen a basi sua accipit, succo sc. malorum Punicorum sive Granatorum acidorum. Facultas ejus refrigerans per acetum augetur quorum acrimoniam saccharum temperat, ea conservat, & operationem eorum promovet.

De

De mixtura, ſive componendi ratione.

SAccharum illud purum hic liquefieri oportet in ſucco Punicorum ad ſolem purificato, & per laneum colum vel manicam Hippocratis tranſmiſſo, & non in aqua, ſicut in præcedente ſyrupo diximus, quod acritudo ſucci Punicorum non adeo inimica eſt partibus ſpermaticis ut acetum.

Coquendus erit hic ſyrupus in conſimili vaſe quo ſyrupum acetatum coqui diximus, & in fine, acetum adjiciendum eſt, ac tum uſui reponendus. Hujus uſus multo certior, & ſecurior eſt in omni ætate, ſexu, tempore, & morbis quibuſque biliosis & pituitoſis, in partibus etiam ſpermaticis, quam præcedens, quod minus aceti habet.

De Syrupis acetoſitatis Citrii, limonum, Omphacii, Granatorum è ſucco Oxalidis, Oxyacanthæ, Ribes, Arantiorum & Cydoniorum. D. M.

℞. *Succi cujuſvis horum in ſole depurati & colo laneo ſine expreſſione (ſed ſponte ſua) tranſmiſſi lib. ſeptem, ſacchari albi lib. quinq̃, coque in ſyrupum.*

Paraphraſis.

OMnes hii ſyrupi unâ eademque ratione fiunt. Accipe ſeptem libras ſucci cujuſvis ſupradicti, qui depurari debet in ſole, vel ſi neceſſitas poſtulat non expectare, vel tempus anni non permittat, ſuper ignem cum ovorum albuminibus, poſt colari per laneum pannum vel manicam Hippocratis, vel etiam per filtrum ſi viſcoſus ſit, qualis eſt limonum, Acetoſitatis Citrii, & ſine expreſſione in hunc finem, ne talis ſyrupus paucis poſt diebus in Candorem concreſcat, cujus ſola viſcoſitas cauſa eſt. Tali in ſucco ſic purifacto decoquetur ſaccharum, ut antea dictum eſt de Oxyſaccharo, & ſyrupo acetato ſimplici. Si in præſenti quis uti eo velit, dimittere poterit pro quaque ſacchari libra, quatuor uncias liquoris: ut jucundior ſit (modo tres unciæ non ſufficiant) & non corrumpatur.

Meſue in ſyrupo Granatorum (ſive Punicorum) bene ſuadet & conſulit quo magis cardiacus ſit (quod nunc dierum minimè fieri ſolet) ut in ſucco per aliquot horas & ſuper cineres calentes maceretur ſericum crudum in ſucco Grani tinctorii ſive Cocci baphici anteà tinctum, donec rubeſiat. Qui Narbonenſem provinciam incolunt locoſque eos ubi Granum tinctorium provenit, ſucco ejuſdem ſericum ſuum crudum inficere ſolent, & hoc facere quod nos diximus: Quibus autem non ita commodum eſt, accipere poterint ſericum crudum & granum illud ſiccum, quod contuſum, bullire curabunt cum ſerico, in ſucco granatorum uſquequo devenerit rubrum, ac tum illud exprimi curabunt. Hæc colatura poſtquam ſedimentum depoſuerit, & per colum laneum trajecta fuerit, decoquenda eſt cum ſaccharo, ut ſupra diximus. Tum demum cardiacus magis eſt hic ſyrupus, quam ille Aurantiorum. Syrupus Omphacii magis refrigerat quam ullus alius: Cydoniorum plus aſtringit: Oxalidis ad deobſtruendum efficacior. Limonum & Citriorum tam ad vermes, & corruptos humores, quam ad venena & peſtem cæteris omnibus præſtantior eſt.

Syrupus de pomis ſimplex. D. M.

℞. *Succorum pomorum acidorum & redolentium utriuſq̃ lib. quinq̃, coquantur ad dimidias: deinde biduo reſidere permitte, donec clareſcant: tunc colentur, & cum ſacchari libris tribus, fiat ſyrupus.*

Quidam huic ſucco nondum per reſidentiam purgato, immergunt ſericum crudum cocco baphico recenti tinctum, ut cocci ac ſerici facultatem receperit: ſicq̃ eſt præſtantior.

Paraphrasis.

Etsi syrupus iste minùs usitatus sit, quam compositus, quem in ordine purgantium describemus, tamen eximiè ad syncopas, palpitationes cordis, bilioſas vomitiones, ad appetitum excitandum, sitim sedandum, & putridis humoribus resistendum valet: præcipuè verò si sericum tinctum in succo cocci baphici contusi & in succo pomorum infusum fuerit: vel etiam, si in eo bullierit modicum granorum tinctorii cum serico crudo, sicut in syrupo granatorum diximus, donec rubedinem acquisivit, postea cum residerit clarus & colatus, coquendum erit saccharum ad debitam consistentiam qui in usum recondi poterit. Quo magis redolentia fuerint poma, eo melior syrupus erit.

Syrupus de Rosis siccis, incerti Authoris.

℞. *Rosarum rubrarum siccarum, libram unam. Infunde horis 24. in aquæ libris quatuor super Cineres calidos. Altero die coque ad tertiæ partis consumptionem. Expressum clarificetur cum sacchari albi libris duabus, & percoquantur in syrupum. Si ex tribus Rosarum infusionibus fiat, ad omnia potentior erit.*

Paraphrasis.

Syrupus iste, Neotericorum inventum & non antiquorum: Quis autem Inventor fuit, scire mihi nondum liquet: Si fiat cum tribus Rosarum siccarum infusionibus: omnino præstantior erit, quàm ex unica sola: tam ad corroborandum, quam ad sistendum omnem effrænatam evacuationem. Paulò plus decoqui debet, quam syrupi acidi, ut æstatis fervore non acescat, quod certum argumentum est quod corruptus sit, & ægris inutilis. Ad hoc evitandum, non parari debet antequam in præsentem usum veniat, & in parva quantitate. Rosas enim siccas toto anno conservamus.

Infusio Rosarum & Violarum. D. M.

℞. *Foliorum florum rosarum aut Violarum recentium lib. sex. Horis octo macerentur libris quindecim aquæ calfactæ, in vase terreo vitrato, stricti oris, operculato; postea colentur; Eidem aquæ calfactæ, Rosarum aut Violarum recentium tantundem rursus immittatur, eaque per idem spatium macerentur, deìn colentur. Id si velis servare, oleo effuso & eodem vase bene operculato dies quadraginta insola: Vocatur id Mucharum Rosarum aut violarum.*

Syrupus Rosatus simplex. D. M.

℞. *Prædictæ infusionis Rosarum clarificatæ: sacchari optimi, utriusq; pares portiones. Coque in syrupum, usui reponendum.*

Syrupus Violatus simplex. D. M.

℞. *Infusionis prædictæ Violarum clarificatæ: sacchari optimi utriusq; pares portiones: Coque in syrupum usui reponendum.*

Paraphrasis.

Mesue appellat infusionem solam, sive Rosarum sit, sive Violarum, Mucharum, de quo nostros syrupos simplices Rosarum & Violarum facimus: qui ab illo neutiquam differunt nisi saccharo, quod nos adjunximus, æquè ob durationem, ac ob saporem. Experientia compertum nos habemus, syrupos simplices in facultate Julepum Violatum & Rosatum superare, cum saccharo & aqua destillata factum, quem *Actuarius* appellat ζελάπιον. Cuique ætati sexui & tempori conducunt: syrupus

pus etiam Rosatus pectoris ægritudinibus inservit : ob modicam astrictionem quam habet, in principio fluxionum.

Mixtura sive componendi ratio.

ACcipe quindecim quasi libras aquæ calidæ, & affunde vel immitte sex libras rosarum aut violarum : quas infundes in terreo vase sive fictili vitrato, stricti orificii pro spatio horarum octo, ne facultas exhalet : postea eandem aquam recalfactam exprimere oportet : & colaturæ denuò Rosarum aut violarum parem quantitatem imponere in idem vas, exprimereque, non violenter tamen (ne forte per eam expressionem, extrahatur quædam acrimonia & molesta nimis viscositas, quæ est in herbacea parte violarum.) Infusio in phialis servanda est (at imponendum prius suprà parum quid olei olivarum) per aliquot septimanas in sole : vel (secundum praxin nostram) colatura cum albuminibus ovorum clarifiat, & per colum laneum trajiciatur, sive per Manicam Hippocratis : & cum consimili quantitate sacchari puri Maderensis decoquatur in syrupum : ac sic quidem ratione sacchari, facultas ejus diu perdurabit. Nos vero hic syrupum Rosatum non cum duabus infusionibus paramus, sed novem atque adeò decem, quem in ordine Purgantium syruporum describemus.

Quomodo syrupus violatus colorem ipsum violarum acquirere possit.

Quidam Pharmacopœi satagentes, ut suo syrupo violato colorem ipsum violarum impertiant, infusiones faciunt ita ut diximus. Præterea, purgant violas herbacea illa parte acsi vellent conservas earum facere, quarum capiunt circiter duas uncias, quas in marmoreo mortario pistillo ligneo contundunt, & impositis in cribrum novum syrupum coctum & ab igne sublatum, ter aut quater affundunt; sic retinebit colorem & odorem violarum, dummodo postea non permittatur bullire : Quod si præ humiditate violarum, syrupus justo minus est decoctus, tenere eum oportet in stupha, vel alio calido loco, ut hujusmodi humiditas paulatim evaporet, & diu durare, aut conservari possit : vel antequam affundatur super contusas violas, eum paulo plus decoquere.

Alii, violarum electarum (ut dictum est) extrahunt succi circiter uncias duas, quem adjiciunt syrupo ad perfectionem cocto, authepsa jam ab igne desuper amota : alteruter operandi modus laudibilis est & jucundus. Veruntamen, ægrorum numerus aliquoties adeo increbescit, ut talis syrupus, & infusiones ipsæ utcunque servatæ, ante annum revolutum deficiant, & priusquam recentes confici possint, ita ut Pharmacopœi infusiones violarum siccarum parare coacti sint; sicut antè de recentibus dictum est. Ac urgente quidem necessitate tolerari hoc poterit, dummodo cautum sit, ne violæ per exiccationem malè curatam, vel diuturnitate temporis, colorem nativum suum exuant : quod si forte acciderit, non plus virtutis habuerint quam paleæ; Et cum ab omni immunditie quæ intus est liberatæ sint, trium unciarum quantitas ad singulas aquæ libras requiritur : ac tum in aqua calida per diem unum totum infundantur, & post unicam solam ebullitionem adjuncto saccharo quantum sufficiat, syrupum conficiat, quo uti possit, donec melius quid sibi suppetat.

Syrupus Adiantinus, incerti Authoris.

℞. *Adianthi, i. capilli veneris, a sordibus diligenter mundati & parum incisi, quantum sufficit. Infunde in aqua calente, horis duodecim in vase terreo vitrato oris stricti, operculato : dein semel ferue fac. colaturæ injice sacchari albissimi libras quatuor. Clarificentur, colentur, & percoquantur in syrupum.*

Paraphrasis.

QUamvis de auctore hujus syrupi nobis non constet; tamen ex eo quem *Mesue* in Antidotario suo, distinctione secunda descripsit, desumptus est : & qui fit de duabus unciis Glycyrrhizæ, capillorum veneris quinque unciis, iisdemque in

aquæ

aquæ libris quatuor maceratis, per viginti quatuor horas, & ad medias decoctis. Colatura clarificata, cum aquæ Capilli veneris & ſacchari ſingulorum unciis octo, coquenda eſt in ſyrupum conſervandum. Atque hoc modo quem deſcripſimus confectus, in *Languedoca*, *Provinciaque* uſu receptus eſt, & alibi, ubi genuinus Capillus veneris reperitur pulcherrimus, idemque jucundiſſimus. Hujus vice alio utimur nos ſyrupo, de pluribus capillaribus facto, qualem in ſerie ſyruporum Alterantium compoſitorum deſcribemus: minus illum, quidem aſpectui gratum, ſed non minoris quam iſte, virtutis.

De mixtura ſive componendi ratione.

ACcipe veri Capilli veneris ab omnibus radicibus, foliis demortuis & ſordibus purgati quantum ſufficit, quem incides & infundes in aqua calente, per diem unum integrum terreno vaſe vitrato obturato. Inſequenti die unicam Ebullitionem ſuper ignem ei dare ſufficit: Quoniam ſuperficialis ſit ipſius facultas, & facile reſolvi poſſet. Deinde cum expreſſa fuerit, colatura cum ovorum albuminibus depuranda eſt, & colanda, ac tum demum quinque libris decoctionis immittendæ ſunt ſacchari quatuor libræ, & in ſyrupum coquendæ ad uſus.

Syrupus Nymphææ incerti Auctoris.

℞. *Foliorum florum Nymphææ albæ libras duas. Semel ferue fac in aquæ libris tribus. Colaturæ ſi eadem florum quantitas bis aut ter incoquatur, hic ſyrupus ad omnia erit efficacior. Colatura clarificata coquatur cum Sacchari albi libris duabus in ſyrupum.*

Paraphraſis.

IN quibuſdam locis paratur hic ſyrupus ſecundum præſentem deſcriptionem: in aliis verò, ſecundum eam quam *Franciſcus Pedemontanus* compoſuit, quam etiam in ſerie compoſitorum componemus. Qui hanc deſcriptionem ſequuntur, ſuum ſyrupum cum tribus infuſionibus componunt, ut facultatem efficaciorem acquirat, uti ſequitur.

De mixtura ſive componendi ratione.

REcipe florem candidum ſolum Nenupharis, Gallicè *Blanc d' eau* appellati: quoniam aquis innaſcitur, & foliis virentibus abjectis, graniſque flavis quæ intus ſunt, quantum ſufficit, quod macerari permittes per noctem unam in aqua ſuper calentes Cineres in olla terrena fictili vitrata & obturata: inſequenti die fines ſemel ſuper ignem ebullire, dein exprimes, & denuò tantum impones florum, quantum antea, & ab ebullitione exprimes & tertia vice idem ut dictum eſt facies. Colatura clarificanda eſt, cui libras duas ſacchari Maderenſis puri adjicies: & omnia ſimul percoquantur exiguo igne in ſyrupum reponendum. Sequitur de ſyrupis ſimplicibus, qui cum herbarum ſuccis fiunt.

Syrupus Intybi ſativi. D. N. Præpoſiti.

℞. *Succi Endiviæ ſativæ a fæce purgati libras octo, ſacchari albi libras quinque & ſemiſſem. Coque in ſyrupum.*

Paraphraſis.

HUnc ſyrupum non oportet facere cum ſucco Endiviæ vulgaris, quæ nihil aliud eſt, quam ſilveſtris *Dioſcoridis* Lactuca, quæ lac emittit & amara eſt: ſed de domeſtica endivia, *ſcariola* appellata nomine depravato à Seriola ſive Seride parva, vel etiam de Cichorea domeſtica, quam Latini nominant Intybum. Succus ad ſolem depuratus

depuratus clarifiet cum ovorum albuminibus, & saccharum etiam si impurum fuerit: quale est Cassonade. Post cumsemirefrixerit, coletur per laneum colum, vel manicam Hippocratis: tum demum coquatur in syrupum.

Illi igitur perperam faciunt, qui quamprimum succus suus, decoctio, aut syrupus amovetur ab igne, colari permittunt, non expectantes donec semirefrixerit: quoniam actualis color colum illum laneum aduxit, & in causa est quod per illud transmittatur tenuior pars residentiæ, & postea non adeo speciosus sit syrupus. Hoc autem caveri, & observari debet, non in syrupis solum, sed etiam in Apozematibus. *Error improbatus.*

Syrupus Fumariæ simplex, incerti Auctoris.

℞. *Succi Fumariæ depurati & clarificati, saccharo albi, utriusq; pares portiones. Coque in syrupum usui necessario servandum.*

Paraphrasis.

SYrupus hic paratur, ut præcedens. Nos hîc posuimus æqualem Sacchari, ac succi quantitatem, ad corrigendum insignem amarorem suum, atque ut ægrotis placeat magis.

Mistura non dissimilis priori est.

Syrupus Buglossi, vel Boraginis simplex.

℞. *Succi utriusq; herbæ clarificati & adhuc calidi libras octo: florum ejusdem herbæ lib. unam: semel fervefiant, colentur, & cum sacchari albi libris quatuor, coque in syrupum.*

Paraphrasis.

PHarmacopœus si paratum habeat in officina sua syrupum de pomis simplicem, sicut è *Mesue* transcripsimus, uti eo poterit, pro illis de Bugloſſo, aut Boragine: similiter etiam si condiat radices, *uti ante diximus in conditorum serie: syrupus* earum supplere possit hujus defectum; vel qui habet de Boragine, altero carere possit, quod consimiles habeant facultates.

De mixtura, sive componendi ratione.

HIi syrupi præparari debent in vere: quando herbæ ipsæ humiditate abundant, & quantitatem succi suppeditant: minime autem in æstate, tunc temporis enim succus adeo pusillus est, & viscosus, ut difficulter sine additione aquæ extrahi possit: etiamsi herba ipsa contusa biduo teneatur in hypogæo sive cellario, vel super ignem calefacta; Tunc succus depurari debet ad solem & clarifieri, (quia suâ naturâ viscosus est) super ignem, adjiciendo in fine flores Bugloſſi vel Boraginis, & post unam ebullitionem, permittendo illos per aliquot horas infundi: authepsa jam duplici lineo panno obtecta: deinde confestim leviter exprimi, & bis aut ter colatura trajici debet per colum laneum, quò clarior reddatur: Hoc facto saccharum purum & non * pulveratum, imponendum est, & totum hoc in syrupum decoquendum est, & in usus necessarios reponendum. * Cassonade dictum.

In syrupum de succo Acetosæ.

SYrupus de succo Oxalidis, secundum *Mesuen*, fit cum tribus libris succi ad solem depurati vel super ignem, & duabus libris sacchari *Maderensis*, sicut præcedens, ut in usum necessarium inserviat. Syrupum illum Myrtillorum prætermittam: quoniam paucis in locis recentes inveniuntur, ut succus inde requisitus extrahatur, & satis mihi cum composito faciam, qui facile fieri possit, & qui consimili facultate præditus

præditus sit, sicut postea describetur. Omitto etiam plures alios syrupos, hos minime in usum receptos, illos præcedentibus, aut futuris non dissimiles, quibus eorum vice uti licebit. Jam sequitur ut de compositis, & de alterantibus, post de purgantibus dicamus.

De syrupis compositis alterantibus.

Syrupus Acetatus compositus D. M.

℞. *Radicum Apii, Fœniculi, Intybi, singul. uncias tres, seminum Anisi, Apii, Fœniculi, singul, unciam unam. Sem. Intybi, seu Endiviæ Sativæ, unciæ semissem. Hæc omnia igni lento coquantur ad dimidias in aquæ fontanæ lib. decem, expressioni adde, sacchari albi lib. tres. clarificentur, colentur, & coquantur in syrupum: sub fine addendo aceti acris, quantum libet pro variis scopis, ut in syrupo acetato simplici diximus.*

Paraphrasis.

SYrupus iste nomen ab Aceto Basi suâ sumpsit: cognomen verò ob differentiam à Simplici in principio sectionis descripto. Radices Apii & Fœniculi adhibentur ad reserandos meatus obstructos, in hepate, liene & renibus. Semina, ad incidendam & attenuandam pituitam spissam & glutinosam: ad dissipandum etiam flatus, & adducendam tenuiorem humorum partem, per vias & meatus urinæ. Radix & semen Endiviæ imponuntur ad dirigendam Basis ipsius facultatem ad hepar: saccharum, ad detergendum & reddendum earum actionem meliorem, & facultatem earum conservandam.

De Mistura, sive componendi ratione.

IN principio decoctionis, imponendæ sunt radices Fœniculi & Apii suis à medullis mundatæ, & in Mortario cum pistillo ligneo contusæ, vel concisæ. Postea Endiviæ sive Scariolæ (quoniam hæ non adeo longam coctionem admittunt) consimili modo mundatæ, & contusæ. Paulo post semina Fœniculi, Apii & Anisi immittenda sunt: sub finem illa etiam Endiviæ, ita ut aqua deveniat ad medietatem. Decoctio ab igne ablata, cooperietur, & eadem cum semirefrixerit, exprimetur. Colatura clarefiet, & paulatim destillabit, & cum saccharo puro decoquetur in syrupum, intra ollam, seu vas fictile terreum & vitratum, adjiciendo, paulo ante finem, quantitatem Aceti albi justam, & ratione habitâ morbi, & virium ejus majorum, vel minorum, sicut antea in syrupo Acetato simplici expositum est. Cavendum denique ne coquatur in æneo vase, quoniam inter coquendum inde contrahet acrimoniam quandam ægris nocivam.

Oxysaccharum compositum. D. N. Præpositi.

℞. *Radicum Fœniculi, Rusci, Asparagi, Graminis; Herbarum Capilli Veneris, Linguæ Cervinæ, seu Phyllitidis Dioscor. Scolopendrii, seu Asplenii vulgo Ceterach. Polytrichi, seu trichomanis Dioscor. Hepaticæ, Violarum, singul. libram unam.*

Radices mundatæ & contusæ unà cum herbis incisis, triduo macerentur, in succo Granatorum acidorum. Quarto die parum bulliant, & cum forti expressione colentur: Colatura clarificetur, coletur, & cum sacchari albi quantitate sufficienti percoquatur in syrupum, usui reponendum.

Paraphrasis.

PRæpositus sumpsit Oxysaccharum hoc è capitibus primo, quarto, & nono libri quinti *Actuarii*, auferendo quædam medicamenta præcalida, & substituendo alia magis temperata, & quæ plus convenirent proposito suo quod promittit, quam

quæ

quæ præscripserat ille. Basis est Punicorum sive Granatorum succus, unde nomen suum desumere non potuit, quoniam duo alii in *Mesue*, ab iis appellationem suam acceperant. Facultas refrigerans intenditur & augetur per Hepaticam, & per eandem ad hepar ducitur. Radices imponuntur ad deoppilandum & trahendum facultatem suam ad renes & vesicam: Capillares ad lienem: Violæ ad corrigendam eorum siccitatem: saccharum adhibetur ad promovendum eorum operationem, & conservandum.

De Mixtura sive componendi ratione.

RAdices imprimis tam extra quam intra mundandæ sunt, eædemque accuratè confringendæ, ut earum facultas eo magis in decoctionem transferatur: quas integras per biduum totum infundes super cineres calidos in terreno fictili vase vitrato, cum succi Granatorum acidorum magnâ quantitate: Tertio die adjunges herbas concisas. Quarto mediocriter eas bullire curabis, super ignem lucidum in eodem vase: & cum omnes quasi semifrixerint, fortiter exprimes. Colatura clarefiet, cum albuminibus ovorum: & cum æqua sacchari optimi quantitate, in eodem etiam vase, decoquetur in syrupum, paulo minus coctum quam alii de succis facti vel decoctionibus herbarum, hoc consilio, ut & aspectui & gustui gratior sit: nec cessabit interea conservari. Succus etiam absque saccharo servatur, melius tamen cum eo. Hic syrupus si quis alius, excellit.

Sequitur, nunc de Thoracicis syrupis.

Syrupus de Glycyrrhiza. D. M.

℞. *Glycyrrhizæ rasæ & contusæ uncias duas. Adianti albi, seu Capilli veneris unciam unam. Hyssopi sicci unciam dimidiam. Macerentur simul horis 24. in aquæ pluviæ vel fontanæ lib. quatuor. Coque ad dimidias, expressum clarificatum. Mellis optimi & despumati, saccharı albissimi & Penidiarum singul. uncias octo, aquæ rosarum uncias sex. Percoquantur in syrupum.*

Paraphrasis.

SYrupus iste nomen a Basi sua Glycyrrhiza sumpsit. Facultas ejus attenuans & incisiva per Hyssopum & Capillum veneris augetur: detergens autem per Mel, Penidias & saccharum: quæ conciliant ei Saporem, eumque conservant. Aqua Rosarum additur ad fluxiones tenuiores sistendas, quæ in pectus decumbunt, per levem astrictionem suam, & ad pectus ipsum Corroborandum: Quemadmodum perdoctè *Galenus* in duodecimo Methodi suæ scriptum reliquit. Ideo syrupus iste in principio fluxionum præstat subsequentibus.

Mixtura sive Componendi ratio.

GLycyrrhiza rasa & contusa infundetur cum Capillo veneris & Hyssopo novitèr siccato in aquæ libris quatuor, spacio viginti quatuor horarum, super cineres calidos in olla fictili vitrata. Insequenti die, duas aut tres ut plurimum ebullitiones habere permittentur in eadem olla sive vase fictili, super carbones lucentes, quoniam longiorem decoctionem patiuntur, dein exprimes. Colatura clarifiet cum penidiis, saccharo & melle albo prius despumato & ponderato, ut syrupus speciosior sit: Post colabitur per colum laneum: & omninò percoquatur in syrupum: Ac in fine aqua Rosarum adjicietur. Syrupus satis decoctus, in suam ollam reponetur, ut usibus necessariis inserviat.

Syrupus Tussilaginis. Incerti Auctoris.

℞. *Tussilaginis recentis, Manipulos sex. Capilli veneris cujus penuria sume Polytrichon*

lytrichon) manipulos duos. *uncias duas.*
Hyssopi sicci, Manipulum unum. *Technicè coquantur in aquæ pluviæ vel*
Glycyrrhizæ recentis rasæ & contusæ *fontis.*
Expresso clarificato, & colato injice, sacchari albi lib. tres. *Coquantur in syrupum.*

Paraphrasis.

BAsis hujus syrupi, est Græcorum *Bechion*, Latinis Tussilago, & Farfara Arabibus, posita in principio, & majori quantitate quam aliud quid, & inde nomen accepit: Reliqua omnia imponuntur ad facultatem suam debilem corroborandam. Consimilem ferè virtutem habet cum præcedente, excepto quod non de astrictione quicquam participet, & minus conveniat in principiis morborum pectoris: E contrà verò in augmento mali conducit magis: Perjucundus est.

De Mixtura sive componendi ratione.

AD conficiendum hunc syrupum quatuor libræ aquæ sufficiunt: quod quatuor ingredientia longiorem coctionem non ferunt. Colatura clarefiet cum *Cassonade* sive pulvere sacchari albi: Post totum colatum coquetur in syrupum, & recondetur.

Syrupus V. Capillarium, incerti Authoris.

℞. *Trium Adiantorum.* *Salviæ vitæ singul. M. unum.*
Scolopendrii sive Asplenii, vulgò Ceterach. *Glycyrrhizæ rasæ & contusæ nuc. duas.*
Macera horas 12. in aqua calida. Deinde semel atque iterum ferue fac. Expressum clarificatum cum sacchari albi, lib. quatuor, coquatur in syrupum.

Paraphrasis.

QUamvis *Dioscor.* & *Gal.* non diviserunt species capillarium, fortè quia consimiles fere habeant vires: sive quod longo ante tempore Theophrastus in lib. 7. c. 13. Historiæ suæ plantarum eas distinxisset. Hodierni scriptores in quinq; species eas discriminarunt, nominatim & disertè dicentes, Adiantum album sive Capillum veneris, esse Callitrichum *Dioscoridis*: Adiantum nigrum Politrichum sive Trichomanes *Dioscoridis*. Quod Polytrichum & Callitrichum, sint plantæ differentes: *Galenus* etiam, lib. primo de Medicamentis secundum locos demonstrat. Tertia species Adianthi, commune omnibus nomen in hunc usque diem retinuit, quæ quod folia habet filicis consimilia, & ad radices arborum nascetur, & quercus præcipuè, appellatur Dryopteris & Filicula. Quod ad salviam vitam, quam nonnulli Rutam murariam nominant: ad Ceterach etiam Scolopendrium & Asplenium appellatum, sunt illæ quidem frequentes hiis in locis, & cuique Pharmacopœo satis cognitæ sunt. Syrupus iste retinuit nomen Basis suæ, quinque scilicet Capillarium specierum, moderatè calidarum, aperientium & detergentium. Nos in *Mesuæi* vestigiis insistentes, adjunximus Glycyrrhizam tam ad augendam earum facultatem, quam ad promovendum sputum, & liberam respirationem: saccharum apponitur ad corrigendam Basis suæ asperitudinem, promovendam operationem, & conservandam virtutem ejus resolutam facile.

De mixtura sive componendi ratione.

HErbæ ab omni immunditie purgandæ sunt, minimè autem abluendæ (quod virtus earum superficialis sit, quæ lotione possit diminui) quod si terrenæ sunt, laventur absque expressione: post concidantur, & infundantur cum Glycyrrhiza rasa & confracta, in aqua calida: deinde coquendæ & exprimendæ, sicut dictum est in duobus præcedentibus syrupis. Colatura itidem clarificata cum saccharo coquenda est in syrupum.

Syrupus

Syrupus de Hyssopo. D. M.

℞. *Hyssopi mediocriter siccæ.*
Radicum Apii,
Fœniculi,
Glycyrrhizæ, singul. drachmas decem.
Adianti albi, hujus defectu sume Polytrichon, drach. sex.
Hordei mundati drach. quatuor.
Seminum Malvæ, & Cydoniorum,
Tragacanthi, singul. drach. tres.
Zyzyphorum, id est, Jujubarum, Mixorum, i. Sebestenum, utriusq; numero triginta.
Passularum ab acinis mundat. unciã unam & semissem.
Ficuum pinguium siccarum.
Dactylorum pinguium, utriusq; decem numero.
Coquantur ex arte in aqua sufficienti, & in jure percolato coque.
Penidiorum alb. libras duas in syrupum.

Paraphrasis.

BAsis est Hyssopus, unde syrupus nomen accepit: Facultas ejus incisiva, attenuans & aperitiva, augetur per radices & Adiantum: detergens, & incrassans, per Glycyrrhizam, hordeum mundatum, fructus, semina & Gummi Tragacanthæ: quæ etiam leniendo corrigunt Basis & radicum siccitatem. Penidia prosunt, totum conservant, & operationes promovent.

Quidam contra Auctoris consilium, adjiciunt radices petroselini, ad deoppilandum, cum Apii & Fœniculi sufficerent. *Mesue* disertè voluit, ut accipiantur Penidia, de saccharo ipso puro, non de crasso & pulverato: quoniam ad candorem illis conciliandum adjiciatur Amylum: quod in causa est cur hujusmodi Penidia, reddant syrupum turbidum & ingratum: sicut annotatum est à *Christophoro*, & post eum à *Sylvio*, in scriptis suis super *Mesuen.* Cassonadi *dicta.*

De Mixtura, sive componendi ratione.

PRimum in aquæ sufficienti quantitate, aliquandiu coquendum est hordeum: dein imponendæ radices tam extra quam interius mundatæ & confractæ: Paulo post, fructus, semen Malvæ, & Glycyrrhiza rasa contusaque. Grana Malvæ & Cydoniorum, Gummique Tragacanthæ contusa immittenda sunt in nodum amplum & spaciosum (quoniam gummi plurimum tumescit) qui una cum aliis decoquatur: & non in syrupum, ut quidam faciunt. Tandem Hyssopus, & Capilli veneris. Lebes desuper ab igne sublatus obtegetur duplici lineo panno, donec decoctio media ex parte refrixerit, ac tum exprimatur; Colatura sola clarifiet, & per laneum pannum trajicietur: dein Penidia candida sine Amylo facta coquentur in syrupum recondendum. Qui hujusmodi Penidia non habent, potius quam ea capiant quæ de Cassonade, vel saccharo pulverato mediocri fiunt, accipiunt sacchari puri, & mellis albi despumati, singul. libram unam. *Fernel.* syrupus iste medium obtinet inter illum de Glycyrrhiza, & sequentem, ad pectoris ægritudines: Si sumatur cum decoctione pectorali, tam in augmento, quam in statu morbi. Si autem cum decoctione aperiente propinetur, proderit ad comminuendum sabulum sive calculum in renibus retentum.

Syrupus de Prassio. D. M.

℞. *Prassii albi & viridis uncias duas.*
Glycyrrhizæ rasæ & contusæ unciã unã.
Hyssopi siccæ:
Capilli veneris, i. Adianti albi, utriusq; drach. sex.
Radicum Apii.
Fœniculi,
Calaminthæ montanæ. sem. Anisi singul. drachmas quinque.
Radicum Ireos,
Seminum Malvæ,
Fœnugraci singul. drach. tres. Lini,
Bombacis mundi, (vice Cydoniorum) utriusq; drach. duas.
Passularum enucleatarum uncias duas.
Perperam quinque legit Silvius.

Ficuum pinguium num. quindecim. Coquantur in libris octo aquæ ad mediæ : Expressum, clarificatum & colatum coque cum penidiorum & mellis despumati, utriusq; libris duabus in syrupum.

Paraphrasis.

SYrupus iste nomen sumpsit à Basi sua, Marrubio albo, quod Græcis Prasium appellatur : virtute & odore multum à Ballote diversum, & ab ignaris Marrubium nigrum dicitur, odore tetro & fœtido. Facultas basis incisiva & attenuans materias crassas & viscosas, augetur per radices aperientes. Calamintham, Hyssopum & Adiantum : Detersiva, & expectorativa, per Mel despumatum, ficus, passulas, semina, radices Iridis & Glycyrrhizæ. Hęc verò per levem astrictionem satis corroborat expulsivam pulmonis virtutem & pectoris : adeò ut non opus sit auxilio seminum Cydoniorum quorum loco reposuimus Bombacem, præstantissimum ad effecta, quæ *Mesue* illi attribuit. Semina Lini & Fœnugræci imponuntur, ad digerendum, remolliendum & reprimendum inflammationes pulmonum : Anisi ad dissipandum flatus, quos Linum, fructus, & semina dulcia in corpore generant : præsertim in pulmonicis & phlegmaticis : Penidia & Mel induntur ad leniendam & corrigendam asperitatem & siccitatem trachææ sive asperæ arteriæ : atque ad promovendam, conservandamque operationem basis, & aliorum. Præcipuè autem valet ad declinationem Pleuritidis, Peripneumoniæ, & aliorum morborum pectoralium : quocunque modo sumatur.

De Mixtura, sive Componendi ratione.

PRimo in 8. libris aquæ coquendæ sunt radices Fœniculi, & Apii de sua medulla purgatæ & contusæ, Iridis itidem radix in rotulas sive orbiculos concisa. Hiis media ex parte concoctis immittendæ sunt Herbæ, *viz.* Calamintha, Prassium & Anisum. Paulo post, alia semina, fructus & Glycyrrhiza : denique Hyssopus & Capilli veneris. Quidam consulunt, semina Lini, Fœnugræci, & Malvæ, seorsim in nodulo indere, ne sit decoctio viscida. Hoc nihil omnino valet, etiamsi sic fiat, decoctio nihilominus viscosa erit : quare hoc relinquo cujusque arbitrio : nam hæc & illa operandi ratio commoda est. Decoctio, media ex parte cum refrixerit, exprimetur : colatura clarefiat cum melle prius despumato, & Penidiis candidis : dein totum per pannum Laneum percolatum, coquetur in syrupum, usui reponendum.

Syrupus Nymphææ. D. Franciſci Pedemontani.

℞. *Foliorum florum Nymphææ albæ uncias duas.*
Nymphææ luteæ (quam Ungulam Caballinam vocat Auctor.)
Seminum Psylii integri, & Acetosæ.
Radicum Fœniculi, singul. unciam unam.
Seminum 4. frigidorum majorum, omnium uncias duas, vel singul. unciam dimidiam 4. frigidorum minorum, omnium unciam dimidiam, vel singul. Drachmam unam quæ est quarta pars.
Coquantur in aqua Hordei. Colatura clarificata, cum
Sacchari albi, libra una : Coquatur in syrupum.
Sub finem addendo, Aceti vini albi, &
Succi Granatorum acidorum utriusq; uncias duas.
Aromatizetur, Spodii &
Santali albi, utriusq; drachma una, &
Nardi Indicæ, drachma semisse.

Paraphrasis.

SYrupus iste cognominatur compositus respectu illius quem antea descripsimus in ordine syruporum simplicium. Nomen sumpsit de basi sua, floribus Nymphææ albis, & Luteis in principio positis, qui frigidi sunt in gradu tertio, & humidi in secundo, secundum Serapionem Cap. 144. libri sui de Simplicibus : quod non repugnat

pugnat Græcorum opinioni, qui eam esse siccam & frigidam affirmant: cum hii quidem de radicibus & seminibus loquantur: *Serapio* verò & post eum alii *Arabes*, qui eos sequuti sunt, de floribus. In quorum numero est *Fr. Pedemontanus*, qui syrupum hunc capite secundo, de curatione calidæ hepatis intemperiei, inter additiones suas, in Practicen Mesuæi describit. Virtus refrigerans balis augetur per omnia semina, quę bilem per viam urinæ ducunt. Radices Fœniculi imponuntur hic, ad deobstruendum venas meseraicas & jecoris, & eo vim balis perducendum, quod suapte vi non poterat illuc penetrare: ad corrigendam etiam facultatem Psyllii narcoticam. Santalum, Spodium, & Nardus Indica immittuntur ad confirmandum hepar, & alia viscera. Acetum & succus Granatorum, ad reprimendum bilis acrimoniam & nimium calorem hepatis, & aliorum viscerum; Decoctum hordei ad emendandam siccitatem seminum & radicis Fœniculi; Saccharum deniq; ad saporem & conservandum reliquorum virtutem.

De mixturâ sive componendi ratione.

PPrimò in quantitate aquæ justa & diu coquatur Hordeum selectum, mundatum: Post injiciendæ sunt Fœniculi radices mundatæ exterius, & interius sua matrice purgatæ. Aliquanto post tempore immittenda sunt semina, & Psyllium integrum seorsim posita in nodum satis largum & amplum. Tandem flores Nenupharis sive Nymphææ parte viridi sua & herbacea secreti, sicut dictum in syrupo simplici Nenupharis. Decoctum cum semirefrixerit exprimatur: post clarefiet, & Santalo, Nardo, Spodioque confractis aromatizetur: Mox amovetur cacabus ab igne desuper & claudatur: paulo post coletur: deinde adjicietur saccharum, quod percoqui curabis in fictili olla, vel stanneo vase, ad consistentiam syrupi: dein acetum cum succo Granatorum indendum est & recoquendum ad consistentiam syrupi, quod recondatur. Hic autem Auctor (parum versatus in cognitione simplicium) per Ungulam Caballinam aquaticam, intelligit florem Nenupharis lutei, & non florem Bechii sive Tussilaginis: quam vulgus appellat Ungulam Caballinam, & Galli nostri *Pas de cheual:* que florem itidem profert luteum, nam vocabulum Aquatica ab eo additum apertè monstrat quod non intelligat florem dictæ Tussilaginis. Adde quod Nenuphar luteum quadret potius cum eo quod syrupus præ se fert & promittit, quam ungula sive pes caballi aut Asini.

Syrupus Zizyphorum. D. M.

℞. *Zizypha seu Iujubas, numero sexaginta,*
Hordei mundati à cortice exteriore,
Glycyrrhizæ rasæ & contusæ.
Capilli Veneris vel hujus loco Polytrichi, singul. unc. unam.
Violarum,
Seminum Malvæ, utriusq; Drach. quinque.
Cydoniorum,
Papaveris albi,
Melonis,
Lactucæ,
Gummi, Tragacanthi, singul. Drach. tres. alii 4.

Coquantur ex arte in aquæ sufficienti. Expressum per se clarificatum & colatum. Coquatur in Syrupum cum Sacchari albissimi, lib. duabus.

Paraphrasis.

BAsis hujus syrupi sunt Jujubæ, à quibus nomen sumpsit: Quarum virtus incrassans augetur per Gummi Tragacanthæ, Hordeum mundatum, & semina Cydoniorum, Papaveris & Lactucæ: Detersiva verò, per Violas, Glycyrrhizam, & semina Melonum, Malvæ, & Capilli veneris: saccharum adjicitur ad leniendam, & vim eorum conservandam.

Syrupus iste inter violatum & illum Papaveris, ad incrassanda rheumata pertenuia, locum medium obtinet.

De

De Mixtura ſive componendi ratione.

PRimò, hordeum mundatum perdiu coquendum eſt in aquæ ſufficienti quantitate: poſt adjicientur Jujubæ: Dein Glycyrrhiza raſa & contuſa: ſemina etiam Maluæ & Papaveris in nodulum ſatis largum & ſpatioſum imponantur: in quo fuerint Gummi Tragacanthæ, & grana ſive ſemina Cydoniorum, quæ valde inflantur. Poſtremò Capilli veneris & ſemina Melonum parum contuſa. Poſt amovendus eſt ab igne lebes, & claudendus: & tum cum omnia ſemirefrixerint, exprimantur. Dein Colatura ſola & ſine ſaccharo cum albuminibus ovorum clarefiet: uti liberius per colum laneum tranſimitti poſſit ob viſciditatem, quæ major eſſet ſi ſaccharum adjicietur, colatura cum ſaccharo puro & non de Caſſonade, coquetur in ſyrupum conſervandum. Qui bullire permittunt nodulum ſuum in ſyrupo poſt decoctionem clarificatam, & non ſicut nos docuimus, & permittunt eum in eodem infundi per totum annum, ſyrupum efficiunt minus ſpecioſum, magis turbidum viſcoſum & ingratum.

Syrupus de Papavere Rhœade incerti Auctoris.

℞. *Infuſionis foliorum florum Papaveris rubri, bis aut ter iteratæ libras duas. Sacchari albi libram unam. Sacchari Roſati unciæ quatuor. Coquentur in ſyrupum.*

Paraphraſis.

DE Authore hujus ſyrupi nobis non conſtat, quantum colligere eſt è commentariis *Matthioli* ſuper *Dioſcoridem*. Plures medici noſtri temporis, utuntur eo ſatis fœliciter in principiis Pleuritidum, ob levem illius aſtrictionem, & quia conciliat & provocat ſomnum, expurgat pulmones, eoſque fortificat.

De mixtura ſive componendi ratione.

SYrupus hic conficitur, ſicut Roſatus ſimplex, quem ſuperius deſcripſimus, cum duabus aut tribus infuſionibus. Colatura ejus clarificanda eſt & coquenda in ſyrupum, cum uno & altero ſaccharo. Qui nolunt ponere ſaccharum Roſatum, imponant idem pondus alterius, cum duabus unciis aquæ Roſarum, non peccaverint propter aſtrictionem ſuam in principio fluxionum decumbentium in pectus.

Syrupus de Papavere ſimplex. D. M.

℞. *Capitum Papaveris albi & Nigri cum ſeminibus magnitudine mediocrium ac recentium, utriuſque Drag. Sexaginta.*
Macerentur horis 24. in aquæ pluviæ, lib. quatuor, & coquantur donec tabeſcant. Expreſſum clarificatum cum Sacchari albi, & Penidiorum, utriuſque unc. quatuor: vel ſex cum aliis, quibus lubens ſubſcribo, & percoquantur in Syrupum.
Si decocto addideris
Seminum Lactucæ, & Violarum, utriuſq; unc. unam, ſupplebit vicem ejus qui à Meſſcribitur in Eclegmate Papaverino.

Syrupus de Papavere Comp. D. M.

℞. *Capitum Papaveris albi & Nigri cum ſem. utriuſque Drag. 50.*
Seminis lactucæ, Drag. quadraginta.
Adianti albi, ſeu Capilli ven. Drag. quindecim.
Zizyphæ ſeu Jujubas, numero trigintæ.
Seminum Maluæ & Cydoniorum, utriuſque Drag ſex.
Glycyrrhizæ recentis raſæ & contuſæ, Drag. quinque.

Coqui

Coque in libris quatuor aquæ pluviæ, vel fontis ad medias. Colatum clarificetur, cum Sacchari albi, & Penidiorum utriusq; unciis octo. Coquantur in syrupum.

Paraphrasis.

MEsue transcripsit syrupum suum Papaveris simplicis, è Diacodio, descripto per *Galenum* lib. 7. de Medicamentis secundum genera Cap. 2. qui magis in usu est, quam compositus: quoniam consimilem habeat facultatem cum Diacodio, ita ut quivis pro libito alterum omittere poterit.

Quidam quod capita papaveris qualia par est parare non possunt: illum conficiunt cum semine solo, in cujus locum cum parum habeat virium, illis consulo, dispensare compositum quale transcripsimus de Authore, *Mesue* ipso.

Basis constat de capitibus Papaveris, unde nomen sumpsit. Penidia & saccharum imponunt, tam ob leniendum & detergendum quam ad incrassandum & ad conservandum eorum vires.

De Mistura, sive componendi ratione.

ACcipe capitum Papaveris albi, & nigri mediocris magnitudinis, & quæ inter viridia & sicca medium locum obtinent, non ex humecto & paludoso loco decerptorum: quod eorum humiditas nimis cruda, aquosa & inutilis est, quantum convenit: quæ infundes, sive macerabis in quatuor libris aquæ pluviæ, aut fontis, spatio viginti quatuor horarum super cineres calidos. Die insequenti bullire curabis ad quartæ partis plus minus consumptionem; sive donec capita Papaveris mollia deveniant, & flaccescant, ita ut expeditè humor eorum succulentus forti expressione extrahi possit. Colatura tum clarificanda est, sicut in præcedentibus dictum est, & cum Penidiis & saccharo totum quod est coquendum in syrupum usibus necessariis recondendum. Ratione habita compositi, quamvis *Mesue* capita Papaveris non meminerit, sicut in præcedenti: tamen si ea sumantur, & seligantur ut dictum est, syrupus multo validior erit, quam si ex seminibus solis confectus esset.

De syrupis ventriculum respicientibus.

Syrupus de Absinthio major. D. M.

℞. *Absinthii Pontici seu Romani libræ semissem.*
Rosarum rubrarum, uncias duas.
Nardi Indicæ, drach. tres.
Vini albi optimi & antiqui,
Succi Cydoniorum, utriusque libras duas & semissem.
Macerentur simul horas 24. super cineres calidos: deinde coquantur ad medias. Colatum clarificatum cum
Sacchari albi (vice Mellis despumati) ut sit jucundior, lib. duabus coquatur in syrupũ.

Paraphrasis.

HIc syrupus nominatur de basi sua, Absinthio, & major ad discrimen illius & alterius minus compositi, & minus in usu recepti, quam iste præsens. Astrictio Basis augetur succo Cydoniorum & Rosis; Nardus Indica virtutem suam ad jecur etiam perducit. Vinum album Aromaticum fortificat cor, & siccitatem basis corrigit. Saccharum detergit quidem minus quam mel despumatum: sed syrupus eo jucundior est, actionem promovet magis, & vires conservat. E contra, si cum melle fiat, aptior est Chyrurgis quam ille de saccharo, quod deterget magis.

De mixtura, sive componendi ratione.

ACcipe absinthium satis mundum & siccum, quod cum Rosis & Nardo Indica incisa, macerabis olla fictili vitrata, in succo Cydoniorum, & vino albo super cineres calentes circiter 24. horas. Sequenti die permittes illud super ignem lucidum, & non fumosum in eadem olla, duas aut tres ebullitiones sustinere: Dein cum semirefrixerint, exprimes: Post colatura clarifiet cum sacchari (vel mellis puri despumati & ponderati) quantitate convenienti & percolata, totumque quod est decoquatur in syrupum, qui in usum reponi poterit. Jam pro Chirurgis; Accipe Absinthii sicci libram unam, quam bullire curabis in tribus aquæ libris, & una vini, ad tertias. Colatura coquetur in syrupum, cum una libra mellis despumati, & seorsim cocti, usui reponendum.

Dialexis sive dissertatio de Absinthio.

NEquaquam demiror; si Pharmacopœi multùm antea dubitaverint, quonam ex Absinthio, hunc syrupum componere debeant: utrum de nostro vulgari à quibusdam Rustico cognominato, & à pluribus doctis medicis rejecto; an de parvo, tanta in plurimis hortis Regni *Galliæ* cura & diligentia culto, & à multis tam medicis quam Pharmacopœis laudato? præsertim cum inter eos qui magis in Plantarum cognitione versati fuerint ad hunc usque diem non constare possit: & cum quisque magna authoritate, & argumentis non minoris momenti, & ponderis freti hanc quæstionem etiamnum indecisam reliquerint. Quod ad me attinet, quantumvis animus mihi non sit alios redarguere, nec defunctorum manes censura ulla disputationum mearum sollicitare, sed paraphrasin solum proferre meam in majorum nostrorum compositiones, idque ad commodum Pharmacopœorum nostrorum *Gallorum* minus exercitatorum: tamen ratione habita famæ & honoris quam invicem alii aliis debemus, non mihi alienum à proposito videtur, si tam difficili quæstione, meam & ipse sive sententiam, sive opinionem ad eos confirmandos protulero, quæ authoritate *Dioscoridis* ipsius, *Galeni* & *Arabum* fundata recepta possit esse, & approbata. Quod si alius quispiam reperiri possit; qui magis quam ego, authoritate, rationibus & experientia nitatur, libenter meis, ut aliorum sequar, supersedebo. Quoniam igitur hujus rei difficultas non in numero & differentia Absinthiorum, quæ *Alvines* nos appellamus (nomine ab Aloë ob amaritudinem derivato.) *Dioscorides* enim, & *Galenus*, non plures quam tres differentias posuerunt Absinthii, videlicet, Santonici, Seriphii, sive Marini, & Pontici, (quod *Mesue* Romanum denominat) sed in optione & delectu cujuslibet speciei, scire oportet quod de duobus prioribus satis inter eos convenit, minime autem de Pontico. Qui arbitrantur (de *Græcis* & *Arabibus* loquor) parvulum apud nos Absinthium genuinum esse Ponticum, nituntur maximè contextu illo sive loco *Galeni*, undecimo Libro illius, de curandi methodo, & cap. sexto qui dicit. *Est tum folio, tum flore, longè quam cætera Absinthia minore, odor quoque huic, non modo non insuavis, verumetiam aromaticum quid præferens.* Quæ sane omnes notæ in hoc parvo Absinthio reperiuntur. Sed non animadvertant alias perinde notas æquè aut magis necessarias, alibi, ab iisdem, *Galeno*, *Dioscoride* & *Arabibus* descriptas, sine quibus nequaquam pro vero Absinthio Pontico vel Romano *Mesuæ* (quod unum idemque est) accipi poterit. Quod ut ita sit, nostrum vulgare Absinthium est ramosum, sicut Artemisiæ prima species à *Dioscoride* descripta. Certè *Barypicron* est, sive *Bathypicron*, id est, graviter amarum sive profundè amarum: Calidum est primo in gradu, & siccum in fine secundi. Astrictio ejus magna est, per quam viscera infirma corroborat. Et præter amarorem suum ingentem, nitrositatis quid habet, quod in causa est, ut inferius per sedem purget, & per vias urinæ materiam bilioſam in ventriculo & jecore collectam. Aromaticum est, & Odoratum, ratione habita ad Marinum & Santonicum. Lumbricos tam intra sumptum quam exterius appositum enecat. Quæ omnia signa in vulgari nostro Absinthio & non in parvo reperiuntur, quod multi per-

Nota veri Absinthii Pontici sive vulgaris.

peram

peram nominant Ponticum. De foliorum parvitate cujus in loco ante citato *Galenus* meminit : Respondeo unà cum *Rondeletio* & *Pena*, quod hoc in loco contextus *Galeni* depravatus est, & quod legimus nos τὰ φύλλα μικρότερα i. folia minora, legendum esset τὰ φύλλα μακρότερα i. folia majora. Hoc quicquid est culpæ irrepere facilè poterit, vel Impressorum lapsu, vel eorum qui manu transcripserunt *Galeni* libros ut pro (α) ponant (ι) neque in una notula tantilla ad astruendum ullam doctrinam insistendum, aut immorandum est. Hoc contextu hunc in modum emendato constabit, quod Absinthium nostrum vulgare cognominatum Rusticum, est verum *Græcorum* Ponticum, & *Mesuæi* Romanum, ita ab eo dictum, quod sua sponte sine ulla arte proveniat abundè inter parietinas & ruinas Antiquæ *Romæ*. Quod autem hoc Romanum vulgari nostro simile sit, & non illi nostro parvo, omnes eos appello testes qui illud propius aspexerunt & observaverunt, Medicos sive Pharmacopœos qui ubique sunt & ibidem fuerunt : nisi quod illud Romanum quod nascitur in sterilibus locis & non cultis, caulem habeat, ramulos & folia paulò minora quam nostrum, quod nascitur in hortis irriguis & culturâ melioribus. Quod ad vires attinet, ingenuè fatebor semper vulgare nostrum quod in *Galliis* provenit minoris esse, quam illius qnod in *Ponto*, in *Cappadocia*, super *Taurum* montem vel etiam *Romæ* oritur, quæ regiones multò calidiores sunt quam *Gallia*. Novi etiam ego ex testimonio *Hippocratis* & *Platonis*, præter Astrorum influentiam Naturam certis in locis vires & virtutes impertiri plantis, quas aliis in locis denegat. Ac propterea denominatio earum nequaquam deperit : Quidam dicere poterint, complures hac nostra tempestate eruditos medicos pusillum hoc Absinthium præstitisse vulgari nostro, idque fœliciter cessisse. Hoc equidem fateor, nec usum medicamenti hujus rejicio. Quinetiam egomet ipse sæpius usus sum, ut palato delicatiorum inservirem, malens illis obsequi & opitulari in re quacunque quam non omnino, idque ob ingentem nostri Absinthii vulgaris amaritudinem, quamplurimis ingratam. Nam pusillum minus amarum est & astringens : at nihilominus aromaticum & bene odoratum. Ecce ergo quam ob causam eo usi sumus & etiamnum utimur. Curiosuli fortassis inferent, dicentes. Si Absinthium vulgare & Rusticum sit verè antiquorum Ponticum, sicut ego pro certo habeo: hoc pusillum tantopere laudatum, non potest esse Santonicum, nec Marinum, quandoquidem *Dioscorides* & *Galenus* tres tantum species describunt : Quid igitur tum fiet? num è numero Absinthiorum amandandum est? Expedit, inquam, in numero illud censere Absinthiorum quam prorsus rejicere : nimirum cognominando illud Ponticum parvum, & vulgare nostrum, Ponticum majus, quod caulis, ramuli, folia, flores, semina & facultates majora sint. Ac sic quidem Absinthii Pontici duo erunt genera : hoc majus quod vulgare nostrum est ; illud alterum minus aut parvum : imitando scilicet *Dioscoridem* qui describit duas species Artemisiæ, quarum hæc grandia habet folia, illa verò exigua. Ex præmissis concludo demum, nostrum vulgare Absinthium, verum esse Ponticum *Græcorum*, & Romanum, a *Mesue* descriptum, quæ nomine solùm & specie differunt. Quare Pharmacopœis consulo ut parent syrupum suum cum Absinthio nostro vulgari, eoque in omnibus suis compositionibus, & præceptis sive receptis suis, quæ Medici ad eos mittent. Sin econtra ob rationes prædictas, non præcipiant Ponticum parvum accipere. Ne frustrentur porrò suo proposito, & Pharmacopœus suo labore levetur, in rem eorum erit, diserte illis præscribere quodnam illis accipiendum sit, & adjicere has partiunculas, Magnum, seu Majus : vel Parvum, seu Minus.

Objectio de Absinthio.

Dubii solutio.

Syrupus Menthæ major. D. M.

℞. *Succorum Cydoniorum, Mesorum et Dulcium, Granatorum dulcium, Mesorum, & Acidorum.*

Menthæ siccæ singulorum lib. unam et dimidiam.

Rosarum rubrarum uncias duas.

Macerentur simul horis 24. *Deinde coquantur ad dimidias, in vase terreo vitrato. Expressum clarificetur & aromatizetur cum*

Trochiscorum Galliæ Moschatæ, drach. duabus &

Sacchari albi lib. duabus. Coquantur in Syrupum.

Paraphrasis.

BAsis hujus Syrupi est Mentha unde nomen sumit; Succi & Rosæ impositi sunt ad augendum Basis astrictionem, & ventriculum muniendum contra choleram sive cholericam passionem & ad vomitiones sistendas. *Dioscor.* Trochisc. Galliæ Moschatæ, adhibentur ad defensionem Cordis, Cerebri & Matricis. Saccharum ad corrigendum acrimoniam succorum, & siccitatem basis, uti ad conservandum. Vocabulum hoc *Mesorum* significat Mediorum sive una dictione Dulcacidorum. Participat enim de dulci & acido. Qui non habent cydonia & Punica dulcacida, accipiant æquam portionem succi acidi & dulcis, & permisceant: Atque ita medium obtinebunt quoddam a *Mesue* requisitum.

De mixtura sive componendi ratione.

℞. Succorum hic requisitorum septem libras, & in illis macera Mentham siccam, & non viridem, ob crudam ejusdem viriditatem & ventosam, spatio 24. horarum, unà cum Rosis super cineres calentes, in terreo vase vitrato, & non in ænea olla. Die insequenti consumi debent ad medias in eodem vase, super carbones incensos. Mentha sicca longiorem coctionem fert quam viridis, consumit etiam unam partem succorum per siccitatem suam, adeò ut ad medietatem deveniendo non nimium decoquetur. Colaturam clarificari oportet, ut dictum est cum pulverato Saccharo de *Brasilia*, & aromatizari cum Gallia Moschata crassiuscule contrita: vase jam ab igne sublato, quod occludi debet (ne fortè vires dispereant) post horæ dimidium totum per laneum pannum coletur & modico igne coquatur ad syrupum, usibus necessariis recondendum. Quibus non placet aromatizare uti diximus, imponent Trochiscos contritos in nodulum subinde in syrupum exprimendum quamdiu decoquitur, ut in vase suspendeat, ubi per totum annum conservetur.

Syrupus Myrtinus compositus. D. Fernelii.

℞. *Baccarum Myrti, unc. duas & semissem.*
Santali albi,
Rhois culinarii, vulgò Sumach,
Balaustiorum,
Baccarum Oxyacantha, seu Berberis,
Rosarum rub. singul. unc. unam & sem. aliis drach. xv.
Mespillorum, lib. dimidiam. vel cum aliis drach. L.
Contusis omnibus coquantur in lib. octo aquæ ad tertias. Expresso adde
Saccharum Cydoniorum & Granatorum, vel Pomorum agrest. utriusque lib. duas.
Sacchari albi, lib. quinque, fiat Syrupus.

Paraphrasis.

QUibus non suppetit copia parandi Myrtillos recentes, unde succus exprimatur, ut fiat syrupus simplex à Mesue descriptus, licet hunc compositum, componere, quem descripsimus è *Fernelio* lib. 7. Methodi suæ: Basis sunt Myrtilli à quibus nomen desumpsit. Cætera medicamenta ad augendum Basis astrictionem adduntur: uti etiam succi ad penetrationem promovendam ratione tenuitatis partium: Santalum imponitur ad hepatis munimentum contra eorum nocumentum: saccharum ad corrigendum eorundem siccitatem, promovendum etiam facultatem eorum & conservandum.

De Mistura, sive componendi ratione.

OMnia confracta, præter unum santalum (quod seorsim indetur) simul coquenda sunt in aquæ octo libris, ad duas tertias consumptas. Colatura cum succis, & sacchari quantum convenit, clarificanda, ut supra dictum est, & aromatizanda

cum

cum Santalo confracto, deinde iterum colanda per pannum laneum, cum omnia semirefrixerint. Totum in vase terreo vitrato percoquendum est (idque ob acorem succorum, qui de olla ænea acrimoniam nocivam ægrorum stomacho contraherent) in syrupi formam, qui ad usus recondatur.

Syrupus Symphyti. D. Fernelii.

℞. *Rad. & Cymarum Symphyti majoris, & minoris, utriusq; Manipulos tres.*
Rosarum rubrarum,
Betonicæ,
Plantaginis,
Pimpinellæ,
Polygoni, seu Centinodiæ,
Scabiosæ,
Tussilaginis, singul. Manipul. duos. Ex his omnibus recentibus contusis exprime succum, qui coquatur, & exprimatur ad lib. tres addendo
Sacchari albi, lib. duas, & semissem, Coquantur in syrupum, Tabidis, Phthisicis & Hæmoptoicis salutarem.

Paraphrasis.

HIc syrupus nomen à Basi sua, Radicibus & Summitatibus symphyti tam majoris quam minoris accepit. Quarum astrictio per Polygonum seu Centinodiam & Rosas augetur: eaque ad hepar & renes per Plantaginem, Betonicam & Pimpinellam perducitur. Saccharum additur ad corrigendam earum siccitatem, ad promovendam etiam earum operationem, & ad totius conservationem.

De Mistura, sive Componendi ratione.

SYrupus iste mense Majo præparari debet: dum Rosæ recentes sunt, & herbæ in suo vigore. Omnia simul tam radices quam summitates contundi oportet in mortario, & inde succus est exprimendus. Si hic alio tempore anni fiat: in succo bulliant Rosæ siccæ, & succi ex illis expressi omnes clarificentur cum saccharo. Colentur & coquantur in syrupum ad usus necessarios.

Sequitur de Syrupis, qui hepar & lienem respiciunt.

Syrupus Bizantinus. Simp. & Compositus. D. M.

℞. *Succorum Intybi. i. Endiviæ domesticæ, &*
Apii utriusq; lib. duas.
Lupuli, &
Buglossi vel Borag. utriusq; lib. unam.
Succi semel fervefiant & purgentur, in quibus coque
Sacchari albi libras duas & semissem: si syrupum simplicem compositurus es. Si autem compositum, tum succis sic depuratis sequentia adde.
℞. *Rosarum rubrarum uncias duas.*
Glycyrrhizæ recentis & rasæ, nuc. semissem.
Seminum Anisi,
Fœniculi,
Apii, singul. drach. tres.
Spicæ Nardi, drach. duas. Expresso clarificato & aromatizato Nardo Indica, injice Sacchari albi pondus præscriptum, i. libras duas & semissem: & coque in syrupum. sub finem si addideris Aceti vini albi libras duas, & rursus in syrupi crassitudinem coquantur: supplebit vicem syrupi Acetati compositi, ut eo carere possis.

Paraphrasis.

SYrupus iste à quibusdam appellatur *Dinarius* nomine *Arabico* quod significat diureticus sive purgans per ureteres, vel secundum alios de nomine nummi cujusdam argentei *Græcis* veteribus (*Denier*) qui valet nostræ in Gallia monetæ tribus

ſolidis & dimidio, juxta *Budæi* ſupputationem, in libro quem de Aſſe compoſuit. Vocatur etiam Bizantinus nomine *Bizantii* primariæ urbis *Thraciæ*, hodie *Conſtantinopolis*, ubi ſummo in uſu fuit, vel (forte) quod medici *Bizantini*, ſive *Conſtantinopolitani*, illius inventores fuerunt. Baſis illius ſunt ſucci Endiviæ & Apii. Quorum inciſiva facultas, & attenuativa craſſorum & viſcidorum humorum qui obſtruunt hepar, lienem, & renes, augetur per Acetum: deterſiva vis per Glycyrrhizam. Semina induntur ad diſſipandos flatus & corrigendum aceti frigiditatem. Roſæ adhibentur ad muniendum ventriculum contra injuriam aceti, & Nardus Indica ad robur hepatis: Succus Bugloſſi additur ad munitionem cordis: Lupuli verò ad perducendum Baſis virtutem ad lienem. Saccharum ad promovendum eorum operationem, & totius conſervationem.

De Mixtura, ſive componendi ratione.

ACcipe ſuccos ad ſolem purificatos, vel etiam ſuper ignem: in quibus curabis primum ſemina ferveſieri: deinde Glycyrrhizam raſam & contuſam, ac tandem Roſas. Colatura clarifiet cum ſaccharo: & cum Nardo Indica minutim conciſa aromatizetur. Poſt ſemifrigefiat, & per Laneum pannum coletur. Poſtea in olla terrea vitrata, vel authepſa ſtannata, omnia decoquantur ſimul in ſyrupum cum Aceto albo, quod rubro præſtantius eſt, tam ob colorem, quam ob penetrationem majorem. Compoſitus quia efficacior quam ſimplex, uſitatior eſt. Quibus placet hunc ſyrupum in officinis ſuis habere, ſyrupum Acetoſum compoſitum omittere licet.

Syrupus Intybi compoſitus. D. Gentilis.

℞. *Succorum Intybi ſeu ſeriolæ domeſticæ.*
Hepaticæ depuratorum, utriuſq; lib. tres.
Hordei integri à ſordibus mundati,
Adianthi albi, ſeu Capill. Veneris,
Quatuor ſeminum communium frigid. majorum ſingul. unciam unam.
Roſarum rubrarum,
Violarum,
Lentis paluſtris,
Polytrichi ſingul. unciam dimidiam.
Technicè coquantur in ſuccis. Expreſſum clarificatum & aromatizatum,
Santalorum albi & rubri,
Uvæ Oxyacanthæ, ſeu Berberis ſingul. drach. una.
Cinnamomi drachma dimidia.
Coletur & cum ſacchari albi libris quatuor, coquantur in ſyrupum.

Delevi lignum Aloes, corticem Citrii, & ſemen Cydoniorum, quod illa amara ſint: hæc verò ſua muccagine ſyrupum vitient, & ſcopis propoſitis parum aut nihil conveniant.

Paraphraſis.

COgnominatur hic ſyrupus ab Authore *Gentili de Fulgineo* qui commentarium ſcripſit in *Avicennam* ad differentiam ſimplicis deſcripti in Serie ſyruporum ſimplicium. Baſis eſt ſuccus Endivæ aliter denominatæ Scariolæ, unde nomen deſumpſit. Facultas ejus refrigerans augetur per Succum Hepaticæ & Lentis paluſtris, Aperitiva per Hordeum integrum, Capillares & ſemina frigida, quæ ducunt bilem per viam urinæ. Flores Violarum induntur ad cordis munimentum; Roſarum, ad ventriculi, Santala & Berberis ad Hepatis, lienis, & renum; Canella ſive Cinnamomum, aliorum viſcerum, & ad reſiſtendum putredini humorum, & per calorem ſuum ad temperandum frigiditatem hepatis, Lentis aquaticæ & Baſis. Saccharum ad ſaporem conciliandum, & conſervationem ſpecierum.

De Mixtura, ſive componendi ratione.

PRimum omnium in ſuccis depuratis ad ſolem, vel ſuper ignem, coquere oportet aliquandiu Hordeum integrum, dein imponenda eſt Lens paluſtris, cum Capillaribus:

Capillaribus: Post semina frigida contusa pistillo ligneo, & demum Rosæ ac Violæ. Cum media ex parte refrixerit hæc decoctio, exprimetur & clarefiet cum Saccharo, si impura sit, & aromatizetur cum Santalis, Berberi & Canella seu Cinnamomo contusis. Totum cum ab igne remotum fuerit, & coopertum circiter semihoram, coletur per pannum laneum: Post decoquatur in Syrupum, in olla sua, ad usus necessarios recondendum. Detraxi ex hac præsenti descriptione, Lignum Aloes, & Corticem citrii, quod nimis calida essent: Semen etiam sive granum Cydoniorum visciditatis causâ: quando hæc tria parum conveniant ei quod Syrupus promittit.

Syrupus Cichorii comp. D. N. Florentini.

℞. *Hordei integri à sordibus repurgati,*
Radicum Apii,
Fœniculi,
Asparagi, singul. unc. duas,
Herbarum intybi latifolii seu Endiviæ sativæ,
Intybi angustifolii seu Seriolæ,
Cichorii erratici florem purpureum gerentis,
Taraxaconis seu Dentis leonis, singul. M. duos.
Cicerbitæ, i. Sonchi lenis seu lactucæ leporis.
Lactucæ sativæ,
Lactucæ sylvestris, vulgò Endivia dicitur, & spinas in dorso foliorum habet.
Lichenis seu Hepaticæ,
Fumariæ.
Lupuli, singul. M. unum.
Adianthi albi, seu Capilli veneris, & Callitrichon. Gal. idem.
Adianthi nigri, seu Politrichi, & Trichomanes, Idem.
Adianthi vulgaris, seu Dryopteris vel filiculæ, Idem.
Asplenii, seu Scolopendrii, vulgo Ceterach,
Glycyrrhizæ recentis rasæ & parùm contusæ,
Baccarum Halicacabi (hujus ut hordei, alii codices habent unc. quatuor, quæ quantitas major videtur scopo ab Autore propositæ: ob id emendatiorem sequor.)
Seminis Cuscutæ, singul. Drach. sex.
Coquantur ex arte in lib. duodecim aquæ, aut quantum sufficit, ad tertiæ partis consumptionem, Colato clarificato dissolve.
Sacchari albi, lib. sex, & coque in Syrupum.
Addunt nonnulli libris singulis Sacchari.
Rhabarbari selecti, unc. dimidiam, &
Nardi Indicæ, Scrup. quatuor. at duo sufficiunt ad illius facultatem intendendam, levis & potens cum sit.

Nonnulli contra mentem Autoris Rhabarbarum duplicant: alii quadruplicant, quod non probo: sed potius utendi tempore addendum, si necessitas cogat & medicus Imperaverit: quoniam hic Syrupus ad aperiendum meatus reclusos, & roborandum viscera est accommodatus, non ad purgandum. Adhæc vis Rhabarbari purgatrix coctione & diutina asservatione ibit in auras.

Paraphrasis.

HIc Syrupus descriptus est ab authore suo *Nicolao Florentino*, in libro quinto, capite de oppilatione Hepatis. Cognominatur autem compositus respectu simplicis (qui componitur ex octo libris succi Cichoreæ, purificati & clarificati cum sacchari quinq; libris) nomen sumpsit à Basi sua, quatuor Cichoreæ speciebus in secunda serie positis, ratione habita illius quod Pharmacopœus observare debet in decoctione, incipiendo à majori dosi & semper diminuendo ad exemplum *Andromachi* in Theriaca sua. Virtus sive facultas deoppilans Basis, intenditur per Hordeum integrum & radices aperientes: Detersiva vis per Capillares & Glycyrrhizam: refrigerans per Hepaticam lactucam & Cicerbitam: Corroborans omnia viscera, per astrictionem Rhabarbari & Nardi Indicæ.

Facultas basis ad lienem deducitur, per Lupulum, Fumariam, Ceterach & Cuscutem: ad renes per Alchecengi. De modo autem & ratione agendi, qui propius aspicere velit compositionem ipsam, censebit Syrupum istum magis convenire morbis

morbis complicatis, quam simplicibus, febribus ardentibus, tertianis, pestilentibus & aliis consimilibus. Saccharum adjicitur ad coctionem ejus promovendam, & ad totius conservationem.

De mixtura sive componendi ratione.

IN decem aut duodecim aquæ libris, fervefieri primum oportet hordeum integrum, & a sua cortice externa non mundatum; cum hæc decoctio semirefrixerit, adjicieudæ sunt radices dempta matrice sua, concisæ sive contusæ. Dein immittendæ sunt Cichoreæ species, semina, & Ceterach. Paulo post, Glycyrrhiza rasa & contusa cum aliis herbis. Postremo species Adianti. Tertia jam parte aquæ quasi consumptâ, Totum cum semirefrixerit, exprimetur. Expressum & colatum clarifieri oportet albuminibus ovorum, uti etiam saccharum si impurum sit. Post, totum per laneum pannum colatum, & tum percoquendum in Syrupum. Dum decoquitur subinde ac sæpius exprimendum est Rhabarbarum, cum Nardo Indica confracta in nodulum impositum : quod tum demum usibus necessariis reponendum est.

Sunt qui Rhabarbarum infundunt suum unà cum Nardo Indica, in una parte decoctionis clarificatæ : & cum jam syrupus suus ad perfectionem decoctus fuerit, expressum immittunt, cum Authepsa jam ab igne remota est : quo magis cathartícus sit : nequaquam considerantes quod hic syrupus ad viscerum corroborationem magis conducit propter astrictionem Rhabarbari & Nardi Indicæ quam ad purgandum bilem & pituitam. Namque horum vis astringens est in centro, sicut virtus purgativa in superficie. Quare non suaserim ego Pharmacopœis, ut duplicent, triplicent, aut etiam quadruplicent Rhabarbari dosim & Nardi Indicæ, nisi Medicus doctus & in sua arte expertus disertè ob causam aliquam illis incognitam præceperit. Id quod bene sciet facere cum necesse est, & in tali quantitate quam expedire cognoverit, respiciens ad morbum & tempus illius, ad anni tempus, ad sexum & temperamentum ægroti sui. Et hoc multò melius fuerit agere, quam ut illi faciunt.

In quibusdam Exemplaribus legitur [*Orge Monde & Alchechengi*, utriusque duas uncias] in aliis melius emendatis, 6 drachmas Alchecengi : quæ sequutus sum, quod mihi videretur hæc dosis sufficere, ad id omne quod Syrupus hic promittit.

Syrupus de Eupatorio. D. M.

℞. *Eupatorii Mes. vel Græcorum, seu Agrimoniæ nostratis.*
Radicum Intybi sativi, seu Endiviæ sativæ.
Fœniculi, &
Apii, singul. un. duas.
Glycyrrhizæ recentis rasæ & contusæ.
Schænanthi, seu floris Iunci odorati & non Paleæ, quæ pro flore venditur.
Seminis Cuscutæ,
Absinthii Ponici majoris seu vulgaris, &
Rosarum rub. singul. drach sex.
Capilli veneris vel hujus penuriâ Politrichi,
Bedeguaris i. Spinæ albæ : sume cardui Benedicti, vel chamæleon alb. Dioscor.
Suchahæ i. Spinæ Arabicæ (sume spongiam Cynorrhodi ejus penuria)
Florum aut Radicum Buglossi,
Seminum Fœniculi &
Anisi, singul. Drach. quinque.
Rhabarbari optimi.
Mastiches, utriusque Drach. tres.
Spicæ Nardi,
Asari,
Folii Indici, singul. Drach. duas.
Coquantur ex arte
In aquæ lib. octo ad tertiæ partis consumptionem, & cum
Sacchari albi, lib. quatuor, &
Succorum Apii, &
Endiviæ depuratorum, utriusque lib. duabus, percoquantur in Syrupum.

Paraphrasis

Paraphrasis.

CUm syrupi hujus Basis sit Eupatorium, à quo nomen desumpsit suum, & quod à *Mesuæo* in tertio ordine, & minore in quantitate quam par est ad constituendam Basim, positum sit, posui illud ego in fronte, & pari in quantitate *cum radicibus*: Facultas ejus incisiva, attenuans, & aperitiva cum debilior sit, intenditur succo Apii, & radicibus Asari: detersiva verò Glycyrrhiza & Capillaribus: Consumptiva flatuum & resolutiva, seminibus Anisi, & Fœniculi. Endiviæ succus unà cum Rosis, imponentur ad moderandum calorem hepatis immodicum: Buglossum ad siccitatem Basis, radicum & seminum. Absinthium & Mastiche adduntur ad munimentum ventriculi: Bedeguar & Suchaha ad confirmandum hepar: Schœnanthum & cuscuta ad lienem: Folium ad matricem roborandam. Rhabarbarum Nardo fortificatum ad ducendum serositates per viam urinæ, ad hepar (tanquam principale membrum) astrictione sua corroborandum, cujus gratiâ syrupus iste compositus fuit; accedente simul ope ab Asaro. Saccharum adjicitur tam ad detergendum quam ad palatum, ad promovendum operationem, & conservationem aliorum ingredientium.

De Mistura, sive componendi ratione.

IN aquæ circiter sex libris fervefieri oportet aliquandiù radices intus & extra perpurgatas, contusas etiam vel concisas: Dein adjicienda sunt, Eupatorium, Semina, Asarum, Bedeguar, Suchaha: Absinthium Ponticum verum, quod est vulgare nostrum, Glycyrrhiza etiam rasa & contusa: Denique Capilli veneris, Schœnanthum & Folium, sub finem Mastiche & Flores. Si adhibentur Buglossi radices imponendæ sunt cum aliis in principio. Colatura cum succis depuratis & saccharo cum ovorum albuminibus clarificanda est. Deinde percolatâ & in syrupum decoctâ, reponendus est syrupus sua in olla ad usum. Rhabarbarum, vel infundendum est seorsim cum Nardo Indica, in una parte succorum, & expressio ejus coquenda; vel imponendum in nodulum, ut dum decoquitur syrupus subinde exprimi possit, sicut in præcedenti syrupo de Cichorea dictum est.

De Bedeguar & Suchaha.

QUamvis Spina alba *Græcis*, & Bedeguar *Arabibus* appellata, paucis cognita sit, ob diversas Herbariorum & scriptorum opiniones: non magis, quam Suchaha Arabum, sive spina Arabica, ambæ Cardui species sint: tamen, arbitrari debet nemo quod spina Arabica eadem planta sit, quæ spina Ægyptia. Nam hæc est arbor, unde emanat Gummi Arabicum, & vera Acacia: illa vero herba, quæ facultate sua propè accedit ad Bedeguar. Consimiles ob scrupulos & difficultates: non posthabendus est hic syrupus; sed succedaneis utendum, sicut in multis aliis compositionibus commode fieri solet; idque propter ingentes & raras ejus facultates, præsertim Cachexiam & Hydropem respicientes, dum viscera corroborat omnia, & incidat, attenuet & aperiat meatus obstructos, consumátque flatus in corpore generatos. Ergo, vice Spinæ albæ poterit quis reponere radices Chamælionis albi vel Nymphææ albæ; vel etiam Cardui Benedicti, (utpote Cachexiæ & Hydropi convenientes) ubivis obvias, & parabiles. Et loco Suchahæ substituere licebit, spongiam sive excrescentiam, Cynorrhodi seu Rosæ Caninæ, quæ non ingrati odoris, vel saporis est, quæ etiam mirificè omnia viscera infirma fortificat: præcipuè autem ventriculum & jecur, fontes ipsos utriusque morbi; vel etiam radicem Cardui, qui foliis est maculatis & albo respersis: & quem *Matthiolus* spinam esse albam opinatur, & *Dalalechampius*, spinam Arabicam. Hoc si fiat, syrupus non minus efficax erit, quam si spina alba vera & Arabica genuina suppeterent.

Quænam succedanea, pro Bedeguar *&* Suchaha *sumenda sunt.*

Qui etiam parare nequeunt Eupatorium *Mesuæi* (quod secundum *Matthiolum*

est

est Ageratum *Dioscoridis*) uti ad placitum poterint *Græcorum*, quæ nostra est Agrimonia vulgaris.

Quinetiam loco Folii Indi, vel Malabathri *Græcorum*, & Schænanthi, non opus est succedanea quærere: quando Lugduni & alibi vera ipsa reperiantur, eaque in magna copia: nec carè vœneant.

Syrupus Stœchadis, simplex. D. M.

℞. *Stœchadis Arabicæ. drach. triginta.*
Thymi,
Calamintæ montanæ,
Origani, singul. drach. decem.
Seminis Anisi drach. septem.
Passularum enucleatarum unc. quatuor.
Coquantur in libris decem aquæ ad medias: expressum clarificatum coque cum mellis optimi despumati, vel sacchari (si vis delicatius, sed inefficacius) libris quinque in syrupum:
Condiatur pulvere sequenti,
Calami aromatici. seu Acori veri, perperam, calami aromatici nominati.
Cinnamomi,
Zingiberis in panno lineo ligatorum singul. drach. unam & semissem.
Delevi Pyrethrum, Piper longum & nigrum, Crocum, spicam Nardi, quia calidiora: & Zingiber quia bis repetitum.

Paraphrasis.

De Stœchade. HIc syrupus nomen cepit de Basi sua, floribus Stœchadis, quæ non minus hepatica & splenica est quam Cephalica, adeò ut omnia viscera referet: teste *Dioscoride, lib. 3. cap. 27.* de Simplicibus: quod & *Serapio* attestatur, *cap. 17* de Simplicibus: quod me induxit, retinere præsentem descriptionem potius quam alteram magis compositam, quæ recipit Pyrethrum, Piper, & alia plura medicamenta præcalida, ne nimium calorem accerserent visceribus: quorum caliditatem conservare melius fuerit, quam semel & simul destruere. Quod si quis uti velit, ad frigida cerebri mala, poterit hoc facilè efficere cum decoctione capitali calidiuscula ut velit. Basis duarum qualitatum particeps est, quarum hæc, tenuis, subtilis & ignea, incidens, attenuans, & deoppilativa est: illa verò terrestris & astringens, cujus ratione, corroborat omnia viscera debilia. Vis ejus aperiens, intenditur Thymo, Origano & Calamintha. Detersiva promovetur & augetur uvis passis & Melle, quod etiam vires ejus conservat, & odorem creat non ingratum: Resolutiva virtus ejus prodit ab Aniso. Calamus aromaticus, Cinnamomum & Zinziber induntur ad confirmanda viscera & corrigendum eorum frigiditatem.

De Mixtura, sive componendi ratione.

IN octo, vel decem libris aquæ fervefieri primum permittantur, Calamintha, Origanum, Anisum & Thymum: Paulò post, immittantur Passulæ enucleatæ & Stœchas: (quandoquidem satis longam decoctionem requirunt respectu aliorum florum) ad consumptionem, quasi medietatis aquæ. Cum jam decoctio media ex parte refrixerit, exprimetur: post cum melle clarificato prius, & seorsim, cocto & ponderato: vel vice mellis cum saccharo pro delicatioribus, sed minus efficaci, deinde cum semirefrixerit, percoletur per laneum pannum, ut tum demum percoquatur in syrupum, usui reponendum. Paulò antequam plene sit coctus, nodulus subinde in eo maceratus sit & expressus filóque longo alligatus, ex calamo Aromatico vel Odorato (sive illius loco Acoro vero, qui perperam in officinis pro Calamo aromatico, aut Odorato prostat; Cinnamomo & Zinzibere; ut ejusdem virtus transferatur in syrupum; ac tum postea poteris audentèr eum abjicere potius quam permittere ut toto anno infundatur in syrupo, cum non diutinè virtutem retineat suam.

Syrupus

Syrupus Chamædryos. D. B. Bauderoni.

℞. *Chamædryos cum floribus, uncias octo.*
Scolopendrij, id est, Asplenij, unc tres.
Corticum Radicum Capparorum, unc. duas.
Acori veri (Calami aromatici falsò in officinis nuncupati)
Schœnanthi seu iunci odorati,
Nardi Indicæ,
Sem. Petroselini,
Anisi, singul. drach. sex.

Contusa biduo in aquæ & vini albi utriusque libr. tribus super cineres calidos macerentur: Deinde parum coquantur & exprimantur, coque. Secundo maceratione iterata parum coque. Expressum clareficetur, & cum Sacchari albi, vel mellis despumati libris tribus, coque in Syrupum.

Paraphrasis.

SYrupus hic nomen habet a basi Chamædry. Facultas ejus incisiva attenuativa & deoppilativa intenditur cortice Capparum & Vino albo. Acorus verus & Ceterach induntur ad remoliendum duritiem lienis. *Dioscor.* & *Galenus.* Semina ad discutiendum flatus. Mel ad detergendum materias viscosas, & ad confirmandum Basim. Cinnamomum, ad resistendum putredini humorum, & ventriculum corroborandum: Nardus Indica ad confirmandum jecur. Schenanthos ad lienem. Aqua ad corrigendam siccitatem tam basis, quam reliquorum medicamentorum.

De mixtura sive componendi ratione.

OPortet primum radices, cortices & semina contusa infundi cum herbis Schœnantho, & Nardo Indica concisis, per duos dies integros super cineres calidos: in olla terrea vitrata angusti orificii in vino albo & aqua convenienti, bene occlusa. Sequenti die fervefiant & ferant duas vel tres ebullitiones super ignem clarum, inque eadem olla; dein exprimantur. In expresso infundes iterum consimilem quantitatem specierum præparatarum, ut dictum est, per aliud biduum, & in eadem olla quæ clausa sit: ac tertio die coquantur ut suprà. Colatura clarifiet cum Saccharo in gratiam delicatiorum: vel melle antè despumato, & condiatur Cinnamomo concluso, post contecta cum semirefrixerit, colettur & percoquatur in Syrupum, recondendum pro lienosis. Dosis, duo aut tria cochlearia in aurora tantum, cum vino albo. Hoc Syrupo fœliciter usus sum, in corpore juvenis genenosi ac nobilis, *Sieur* sive Domini de *Berins* dicti, anno salutis 1585 tunc temporis in Castello de *Corsan* in *Bresse* degentis, duabus a *Mascone* leucis,

Syrupus Scolopendrii. D. Fernelii.

℞. *Radicum Polipodii querni mundati.*
Buglossi &
Boraginis,
Cort. Radic. Capparorum, &
Tamaricis, singul. uncias duas.
Scolopendrii seu Asplenii. M. tres.
Lupuli,
Capillorum Cuscutæ, vel seminis ejusdem,
Melissæ, singul. M. duos.
Coquantur in aquæ lib. novem ad medias.
Colato clarificato injice,
Sacchari albi, lib. quatuor, & coque in Syrupum.

Paraphrasis.

HIc Syrupus dispositus est sive dispensatus, eo ordine quem Pharmacopœus observare debet in decoctione. Nomen desumpsit de basi sua Ceterach, in secunda serie positi. Facultas ejus incisiva, attenuans, & aperiens, augetur per cortices Capparum & Tamaricis: remolliens, per radices Buglossi, Boraginis & Lupuli:

detergens per Meliſſam & Saccharum, quod præterea ſaporem gratum conciliat, operationem promovet, & totum conſervat. Cuſcuta ſua aſtrictione corroborat lienem. Polypodium clementer expellit pituitam & melancholiam, quæ duritiem ejus creant. Syrupus iſte debilior eſt præcedenti Chamædryos, validior verò quam ille de *Tuſſignana* tranſcriptus a *Iouberto* in Pharmacopœa ſua. Qui præſentem habent, præcedentem omittere poterint, & contrà, ne Pharmacopœus nimios impendat ſumptus, in parandis tot compoſitionibus ſuis & tam variis: Quorum ob levamen, cuperem ego ut medici qui urbes incolunt obſervare velint; quinam & quales morbi ſint ibidem frequentiores, & eorum ratione habita, præcipiant Pharmacopœis ſuis præcipuas tantummodo præparare compoſitiones: & è pluribus quæ facultate & virtute affines ſunt, una tantum retineatur & aſſervetur: Ita & ipſi multum levabuntur, nec tot compoſitiones vitiarentur & corrumperentur magno cum ſuo damno & detrimento, nec minori cum ægrorum nocumento.

De Mixtura ſive componendi ratione.

IN novem aquæ libris, bullire ſimul curabis Polypodium contuſum, cortices & radices: Paulo poſt injicies herbas, poſtremo cuſcutam, ad medietatis conſumptionem. Colatum cum Saccharo depurabitur, & denuò colabitur per laneum pannum, tum demum percoquatur totum in Syrupum, in olla ſua recondendum ad uſus neceſſarios.

De Syrupis, Renes, veſicam & Matricem reſpicientibus.

Syrupus de quinque radicibus, Incerti Auctoris.

℞. *Radicum Apii, ſeu Eleoſelini* Græcorum, *Fœniculi, Petroſelini, Aſparagi, & Ruſci, ſingul. uncias duas: alii* 4.

Coquantur in aquæ lib. ſex, ad tertiæ partis conſumptionem. Expreſſum, clarificatum, & colatum, coquatur cum Sacchari albi, lib. tribus in ſyrupum. Adde ſub finem Aceti acris, unc. octo.

Si decocto addideris, Seminum Apii, Fœniculi, & Petroſelini, ſingul. unc. unam, ſupplebit vicem Syrupi Acetati compoſiti, ut eo carere poſſis: quoniam hic Syrupus eſt ad omnia efficacior, cæteris ejuſdem nominis.

Syrupum de duabus radicibus, conſultò prætermiſimus.

Paraphraſis.

DE Auctore hujus Syrupi nobis non conſtat; ob quinque radices aperitivas pro baſi poſitas nomen accepit: quarum virtus acceleratur per Aceti tenuitatem. Saccharum earum Siccitatem corrigit, ſaporem conciliat, operationem promovet, eaſque conſervat. Quibus animus eſt Semina Fœniculi, Apii & Petroſelini adjicere, minus curare poſſunt, Syrupum Acetatum compoſitum, ut qui quàm proximè accedet ad facultatem illius Bizantini compoſiti, ſuperius deſcripti.

De Mixtura ſive componendi ratione.

RAdices à matrice ſua perpurgatas, & contuſas fervefieri oportet in aqua, (vel Hydromelite aquoſo, ut detergentior ſit) ad medietatis conſumptionem: Colatura ſi impurior ſit, clarefiet cum Saccharo, ſicut antea ſæpe dictum eſt, dein colabitur. Totum coquetur in olla terrea vitrata in Syrupum: ſub finem adjicies paulatim Acetum album, ut recoquatur in formam decentem, & recondi poſſit incorruptum. *Cordus* & *Fernelius* habent, Radicum ſingul. quatuor uncias, quæ faciunt omnino

omnino viginti uncias, quæ proportio sufficit pro tribus libris sacchari. Qui minus imponunt, syrupus eorum rebus omnibus parcior erit.

Syrupus Althææ. D. Fernelii.

℞. *Radicum Althææ, unc. duas.*
Ciserum rubrorum, unciam unam.
Radicum Graminis,
Asparagi,
Glycyrrhizæ mundatæ,
Vvarum passarum enucleatarum, singu. unciam dimidiam.
Cymarum Althææ, & Malvæ,
Helxines, seu Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianti albi, seu Capilli veneris, seu Callitrichi Alb. & Nigri,
Polytrichi, singul. M. unum.
Quatuor seminum frigid. majorum, & Minorum singul. drach. tres.

Coquantur ex arte, in aquæ lib. 6 (dum quatuor supersint, & cum sacchari albi libris quatuor fiat syrupus.

Paraphrasis.

HUic syrupo nomen est de basi sita radice Bismalvæ (*Græcis* Althææ, derivatæ à verbo Græco ἀλθαίνειν *i.* mederi) posita in principio & majori in quantitate quam cujusvis alterius. Virtus ejus relaxans & detergens, augetur summitatibus sive cymis Malvæ, Bismalvæ, & Parietariæ; Glycyrrhizâ etiam, & uvis passis majoribus enucleatis. Radices, Cicera rubra, Pimpinella, Capilli veneris & Polytrichon induntur ad derivandam materiam purulentam & pituitosam per urinæ meatum. Plantago & semina frigida, ad conterendum sabulum ibidem retentum; & ad reprimendam demulcendâmque urinæ acrimoniam. Saccharum ad leniendum saporem, & conservandas vires omnium ingredientium.

De mixtura, sive componendi ratione.

IN fronte, sive primo ordine decocti, radices imponendæ sunt: in secundo herbæ, Vvæ passæ, Cicere rubra & Glycyrrhiza contusa: In tertio Capillares, & semina frigida tam majora quam minora omnino octo; videlicet majora, quæ sunt Cucumeum, Melonum, Citrullorum, & Cucurbitarum: minora quæ sunt lactucæ, Portulacæ, Endiviæ & Cichorii: de sex libris aquæ, decoctio in hunc modum fiat, ut supersint plus minus quatuor. Dein postquam totum expressum fuerit: Colatura clarificata cum albuminibus ovorum, colanda iterum est, & cum saccharo puro decoquatur in syrupum reponendum in olla sua. Hujus facultas minor est quam illius, qui sequitur de Betonica, cujus usus etiam multò certior ob acetum quod inditur Scilliticum.

Syrupus Betonicæ. D.B. Bauderoni.

℞. *Radicum Asparagi, unc. tres.*
Althææ,
Cichorii sativi, &
Cichorii erratici, singul. unc. unam, & semissem.
Glycyrrhizæ,
Seminum Cucumeris, & Milii solis
Polytrichi, seu Trichomanis Dioscor.
Caricarum, singul. drach. sex.

Succi Betonicæ lib. sex. Coquantur ex arte, ad succi tertiæ partis consumptionem, & colentur: Expresso clarificato injice.
Mellis despumati lib. tres, percoque in syrupum, (Addendo sub finem, Aceti Scillitici lib. duas) qui condiatur, Cinnamomi selecti panno lineo raro excepti uncia una; usuique reponatur.

Paraphrasis.

HUjus libri Author hunc syrupum imprimendum curavit sub nomine magistri *Benedicti Textoris* medici (qui floruit regnantibus in *Gallia Francisco* secundo & *Carolo* nono) cujus inter multa alia remedia quiddam consimile sua manu scriptum inveni. Sed ego comparando unam descriptionum cum altera, inveni

hancce faciliorem ad dispensandum magis methodicam, & emendaciorem in dosibus & ingredientibus, majorisque efficaciæ ad illud quod promittit. Hoc ipsum est quod occasionem mihi præbuit, ut ne defraudarem magistrum Bricium Bauderonum patrem meum suo labore & experientiâ, qui jam descriptionem ab oblivione vindicavit, extraxitque è medio Cucullorum officinarum, ut partem haberet in publico, & ut primus eam in lucem ederet: Adde quod hic ipse est qui titulum tali compositioni indidit, quem hodie, in fronte præ se fert, fecitque eam locum habere suum hoc in opere. Imposuit ergo illi nomen à Basi succo Betonicæ depurato, eóque in majore quantitate quam ullum aliud ingredientium. Cujus virtus incisiva & attenuativa materiarum crassarum & viscidarum (quæ retinent in renibus sabulum, unde generantur lapides) infirma cum sit & debilis, per Acetum Scilliticum fortificatur: aperitiva per radices Asparagi & Polytrichum augetur: Detergens per radices Althææ, per Glycyrrhizam & ficus. Semina injiciuntur, ad ducendam earum virtutem ad renes & vesicam, & comminuendum calculos & sabulum: Cichorium utrumque, ad calidam renum & jecoris intemperiem corrigendam ope, quam recipiunt à seminibus frigidis: Cinnamomum ea quantitate immittitur, ad corrigendum aceti Scillitici nocumentum partibus spermaticis inimici; præter id, quod facultati detergenti opem fert, promovet operationem, & vires conservat eorum.

De Mixtura, sive componendi ratione.

MEnsibus Aprili & Majo, priusquam Betonica caules floréque producit, extrahendum est succi quantum par est; in quo depurato ante super ignem, vel in sole, radices primum incoquentur, post Cichoreum, Milium solis, Glycyrrhiza & Ficus. Deinde injicientur Polytrichum & semina frigida contusa: Incoquantur (inquam) ad succi tertiæ partis consumptionem. Decoctio cum semirefrixerit exprimetur. Colatura clarificetur cum melle despumato, & coletur per pannum laneum: postea totum recoquetur in olla terrea vitrata cum aceto. Sub finem decoctionis infundatur in ea Cinnamomum contusum, & in nodulum formatum sæpius exprimendum, imponatur: ut virtus illius transmitti possit, & inutile sedimentum abjiciatur: vel etiam sine expressione infundatur idem nodulus in syrupo calente, inque olla suspendatur, clausúsque ibidem usibus inserviat. Melius fuerit subinde nodulum eum exprimere & abjicere quàm solummodo eum macerari permittere.

Syrupus Rhaphani. D. Fernelii.

℞. *Radicum raphani sativi, & Silvestris, utriúsque unciam unam.*
Saxifragiæ,
Rusci,
Levistici, seu Ligustici,
Eryngii,
Ononidis, seu restæ bovis,
Petroselini,
Fœniculi, singul. unciam dimidiam.
Herbarum Betonicæ,
Pimpinellæ
Pulegii,
Cymarum Vrticæ
Nasturtii,
Crithmi (hujus penuria Laveris Dios.)
Callitrichi, seu Capilli veneris, singul. M. unum.
Fructum Halicacabi, seu Alkekengi, & Jujubarum, utriusque paria decem.
Seminum Ocimi, i. Basiliconis,
Personatæ vulgò Bardanæ majoris,
Petroselini Maced. vel Apii, illud si desit.
Seselios Massilienses,
Carui,
Dauci cretici
Lithospermi, id est, Milii solis,
Corticum Radicis Lauri, vel capparis sing. drach. duas.
Vvarum passarum acinis purgatarum,
Glycyrrhizæ, utriusque drach. sex.
Coquantur quo decet ordine, in aquæ libris decem, dum sex supersint, è quibus cum
Sacchari, lib. quatuor, &
Mellis despumati libris duabus, fiat syrupus clarus & conditus
Cinnamomi uncia una, &
Nucis Moschatæ uncia dimidia.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

SI res exiget & usus postulet, ut componatur & recondatur in officinis Syrupus quis ad comminuendum calculum, & excludendum nephriticorum sabulum & arenas, consulerem & suaderem ut hic omnibus aliis præferatur, quod compositus sit ex medicamentis præstantissimis ab omnibus antiquis approbatis, cito & facile parabilis parva impensâ, & eleganti artificio dispositus, ut quivis eruditus si eum examinet, judicare possit. Usus ejus erit post universales purgationes, & in magnorum dolorum intermissione: ne forte calore suo eos intendat, dum humores ad renes perducit: neve febrem excitat: ac tum demum cum constet illum Althææ, & hunc de Betonica, sufficere non posse nec satis validos esse.

Nomen sumpsit suum de Basi, Radicibus Raphani tam domestici quam sylvestris in fronte positis, præcipuum videlicet, & summum locum in comminuendo lapidem, calculosque tam in renibus quam in vesica, cæteræ radices, cortices, herbæ, semina, uti & Halicacabum injiciuntur, ad intendendam Basis ipsius vim incisivam, attenuantem, aperitivam, ac dissipantem flatus qui generantur in illis, qui calculis obnoxii sunt. Jujubæ, Vuæ passæ majusculæ & Glycyrrhiza imponuntur, ad detergendum renum pituitam, quæ instar Collæ seu ferruminis Sabulum consolidat. Mel ibidem plurimum conducit, quod insuper cum Saccharo siccitatem corrigit radicum & seminum, eaque conservat. Cinnamomum & Nux Myristica confirmant ventriculum utpote primum recipiens, resistuntque Basis nocumento: adeò ut hic Syrupus plurimum excellat, dummodò quis eo, uti ut oportet, calluerit.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimum, in decem libris aquæ fervefieri oportet Raphani radices rotulatim concisas, aliasque suis matricibus purgatas & contusas: aliquandiu post, immittendæ cortices, herbæ, seminaque contusa: paulò post, injiciendi fructus, Glycyrrhiza, capillus veneris, vel illius penuriâ Polytrichon, quod diximus esse adiantum nigrum, sive Trichomanes *Dioscoridis*, quæ ad tertiæ partis aquæ consumptionem coquendæ sunt. Colatura clarifiet unà cum melle despumato & Saccharo. Deinde coletur iterum per laneum pannum: ut percoquatur in Syrupum Condiendum Cinnamomo, & Nuce myristica contusis & in nodulum positis, sicut suprà dictum est in Syrupo de Betonica.

Syrupus Artemisiæ. D. Fernelii.

℞. *Artemisiæ M. duos.*
Radicum Iridis nostratis,
Helenii, seu Inulæ campanæ,
Rubiæ majoris,
Pœoniæ,
Libistici seu Liguistici aut Leniſtici,
Fœniculi, singul. unc. dimidiam.
Herbarum Pulegii,
Origani,
Calaminthæ montanæ
Nepitæ vulgo Catariæ herbæ dictæ.
Melissophylli, seu Melissæ,
Sabinæ,
Sampsuchi,
Hyssopi,
Prassii albi,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Hyperici cum flore,
Parthenii cum flore, seu Matricariæ
Betonicæ singul. M. unum.
Seminum Anisi, & Petroselini,
Fœniculi,
Ocimi, i. Basiliconis,
Dauci cretici,
Gith, seu Melanthii vulgò Nigellæ Romanæ, &
Rutæ, singul. drach. tres.
Contusa macerentur horis 24 in lib. octo Hydromelitis, & coquantur ad libras quinque: & cum
Sacchari lib. quinque, percoquantur in Syrupum conditum.
Cinnamomi unc. una, &
Spicæ Nardi, Drag. tribus.

Paraphrasis

Paraphrasis.

Fernelius composuit hunc Syrupum præter illum *Matthæi de Gradibus* infra descriptum, sed ex medicamentis parabilibus & selectis, ad cumulatè producenda quæ promittit effecta, idque cum majore artificio: & consulerem ego ut illius loco substituatur. Nomen illi est ab Artemisia in principio positâ. Radices, herbæ & semina adjiciuntur ad intendendam facultatem incisivam, attenuantem, & deobstruentem (viscera oppilata) basis ipsius: ad flatus discutiendos qui generantur a pituita viscosa per resolutionem: Cinnamomum adhibetur ad ventriculi & uteri munimentum: Nardus Indica ad confirmandum Jecur & Lienem: Saccharum detergit, lenit, saporem conciliat, & virtutem eorum conservat.

De Mixtura sive componendi ratione.

RAdices dummodo sint tam intrà quàm extrà mundatæ, valdéque contusæ, quamprimum coquendæ sunt, æque ac herbæ & semina. Idcircò infundentur omnia in octo libris Hydromelitis viginti quatuor horis super cinrees calidos, in olla terrea vitrata & occlusa. Insequenti die eâdem in ollâ coquenda sunt omnia ad tertiæ partis consumptionem. Colatura clarificetur cum Saccharo, ac denuo decoquatur in Syrupum, condiendum Cinnamomo & Nardo Indica contusis & in nodulum immissis, sicut dictum est in Syrupo de Betonica, usibus necessariis recondendum.

Syrupus Artemisiæ. D. Matthæi de Gradibus.

℞. *Arthemisiæ, M. duos.* — *Origani,*
Pulegii. — *Melissæ,*
Calaminthes.

Perficariæ { *Hujus nominis variæ sunt species. Non maculata usurpanda, quia est acris. Maculata verò frigida est & astringens, ciendis mensibus inepta.*

Sabinæ, — *Hyperici,*
Sampsuchi, — *Matricariæ cum flore,*
Fol. Inulæ campanæ, — *Centaurii minoris.*
Chamædryos, — *Rutæ,*
Chamæpityos, — *Betonicæ,*

Albugelissæ { *Lactuca est Asini, teste* Avicennâ, lib. 2. cap. 19. & 449. *quæ est Anchusæ species. Hæc affectibus titulo enunciatis apprimè convenit, testibus* Dioscoride & Avicenna. *Veruntamen videtur nomen fuisse detortum à Buglosso sylvestri, pro Echio* Dioscor. *Alcibiaco dicto, ab Authore usurpato. Vtram sumas parum refert, quia ambæ sunt ejusdem facultatis.*

Radicum Fœniculi,
Apii seu Eleoselini Græcorum,
Petroselini,
Asparagi,
Rusci,
Saxifragiæ
Inulæ campanæ,
Dictamni,
Cyperi,
Rubiæ tinctorum,
Iridis nostratis &
Pœoniæ, singul. M. unum.
Seminum Iuniperi,
Smyrnii vel Levistici,
Petroselini,
Apii, seu Eleoselini Græcorum,
Anisi,
Gith, seu Melanthii, vulgò Nigellæ Romanæ,
Carpobalsami, vel ejus loco Sem. Terebinthi arboris.
Costi albi, ex Arabia *allati,*
Asari,
Pyrethri,
Cassiæ lignea aromatica,
Cardamomi,

Calami

Calami aromatici Officinarum, loco veri Calami aromatici,
Phu, i. Valerianæ majoris singul. unc.
semissem.
Quassata macerentur horas 24. *in aqua fluviali.*
Dein coque ad medias. Tunc auferantur ab igne dum aqua tepuerit. Fricentur omnia manibus, & colentur. Expressum clarificatum & colatum cum
Sacchari & Mellis despumati æquis partibus coquatur
In Syrupum, qui condiatur
Cinnamomi selecti, unc. dimidia.
Nardi Indicæ drach. duabus. Absq; aceto debet parari, quod utero adversetur, monente Hippocrate.

Paraphrasis.

NOn deliberatum habui hoc in loco præsentem hanc descriptionem inserere, contentus illa *Fernelii* superius descriptâ, nisi quod ea recepta sit & a multis approbata, tam ob virtutem ejus, & præcipuam efficaciam, quam ut proponeretur novitiis Pharmacopœis quasi specimen aliquod præcipuum operis ob difficultatem quam habet in miscendi ratione: quibus gratificari cupiens, duos componendi modos docebo, qui nulla in re derogabunt præceptis *Mesuæi*, postquam succinctè ostendero quod ille in calce secundi Theorematis primi libri scriptum reliquit. Videlicet, quod medicamenta quæ constant ex dura ponderosa & solida substantiâ, longiorem ferant & infusionem & decoctionem: Contrà quæ molli, exili, & rara seu tenui, vel quæ virtutem suam habent in superficie, exiguam infusionem & decoctionem: quæ autem mediam naturam inter duo extrema sortiuntur, mediocrem similiter infusionem & decoctionem tolerant. Jam ergo ita se res habet, quod ex omnibus plantarum partibus, reperiantur, quæ tres hasce substantias sortiuntur. Quarum ratione habita, ordinem oportet in infusione & decoctione servare, ut virtutem quam quæque planta præ se fert, quis nanciscatur: Quod quidem in usum trahi possit vel ex hoc uno quem in manibus habemus Syrupo, ab Authore suo *Matthæo de Gradibus* descripto, in Commentario quem composuit in nonum librum *Rhasis* dedicatum Regi *Almansor*, in capite, ad mulierum menses ciendos.

Regula generalis in omni decoctione & infusione.

De mixtura sive componendi ratione.

QUæ cum ita sint, ut suprà dictum est, in tres ordines redigere oportet omnia medicamenta secundum eorum substantias, & tres infusiones distinctas, & seorsim facere. Videlicet ut radices intus mundatæ sua matrice si quam habent, & extra omni sorde purgatæ & conquassatæ sive contusæ in mortario, imponendæ sint in ollam quandam vitratam, (super calentes cineres cum modica quantitate aquæ calidæ) ut decet contectam viginti quatuor horas: Post octo horas, in alteram seorsim ollam fictilem, vernice politam immittentur herbæ & semina contusa cum aqua itidem calida, vel super cineres calidos, quæ etiam olla sit obtecta. Post alias octo horas, in aliam seorsim ollam obtectam infundantur cum aqua calida, Pyrethrum, Asarum, Costus, Juncus odoratus, Cardamomum, Carpobalsamum (vel succedanea eorum Cubibæ, sive semen lentisci, seu Terebinthi, *Pena*) super cineres itidem calidos) die subsequente primò bullire curabis in authepsâ sive lebete, radices cum igne claro & lucido non autem fumante, & cum semicoctæ fuerint, adjicientur herbæ & semina jam calida, immittentur in alteram ollam ubi infundentur sexdecim horis: quando satis fere cocta fuerint adjicietur quod fuerat in postrema olla æque calida, & quod infusum fuerat octo tantum horis, quæ duas aut tres bullitiones capient. Hoc facto auferetur lebes ab igne: quæ duplici linteo contecta, permittetur tepescere: deinde manibus confricetur totum quod est, et fortiter valideque exprimetur. Colatura clarefiet cum albuminibus ovorum, cum Mellis despumati & Sacchari, utriusque duabus libris: Deinde, coletur per pannum laneum. Post, omne quod est pecoquetur in Syrupum & condietur Cinnamomo & Nardo Indica conquassatis, & in nodulum missis (sicut dictum est in Syrupo de Betonica) ut recondatur ad usus necessarios.

Modus prior.

Alter

Alter modus componendi hunc Syrupum minus quam præcedens operosus, & secundum Antiquorum præcepta, nec Authoris a mente abhorrens, talis est: Primum in decem aquæ libris, (sive pluviæ seu fontanæ non refert) fervefieri curabis radices Helenii, Iridis & Pœoniæ concisas in rotulas, sive orbiculos, Fœniculi etiam contusas è quibus matrix exempta fuerit. Paulo post, adjicere oportet radices Petroselini & Eleoselii, exemptis itidem matricibus suis: uti & Valerianæ, Asparagorum, Ruscı, Rubiæ majoris, Cyperi, & Saxifragiæ contusæ. Non ita multo post, adjicientur herbæ quæ longam decoctionem perferunt: quales sunt Sabina, Chamædrys, Chamæpitys, Betonica, Inula campana, quæ est Helenium, Persic aria non maculata: Semina etiam Juniperi, Levistici, Petroselini & contusa. Paulò post, Calamintha, Origanum, Pulegium, Artemisia, Matricaria, Melissa, Sampsuchus, Ruta, Hypericon, Centaurium minus, Echion *Dioscordis* vulgò Buglossum Sylvestre, (quod differt a vero Bugloso sive Boragine Sylvestri,) ab Authore parum in cognitione simplicium versato *Albugilissa* dicta. Postea, injicietur Asarum, Pyrethrum & Costus contusa, sub finem Cardamomum, Carpobalsamum, Juncus odoratus, & crassius Cinnamomum pro Cassia *Græcorum* aromatica. Atque ita ut totum ad medietatem deveniat aut plus minus aquæ primum acceptæ. Postea totum effundetur in ollam vitratam & obturatam ubi infundi permittetur viginti quatuor horis. Die insequenti calefieri iterum oportet, ut omnia manibus confricentur, & exprimantur. Colatura clarifiet, colabitur, & condietur ut dictum est, ut totum percoquatur in syrupum, cum Saccharo & melle despumato, usui recondendum. Hic, & ille modus est commodus: utcunque Author in fine acetum adjiciendum suadet, ad incidendum & attenuandum pituitam, quæ obstipat uteri venas & impedit menstruorum fluxum: utpote illi præcipuè adversum, aliisq; partibus spermaticis quod nec quicquam valet. *Hippocrates* parte libri tertii, de ictu acutis morbis laborantium.

Syrupus e Calamintha. D. M.

℞. *Calaminthes domesticæ &*
Sylvestris, utriusque uncias duas.
Seminum Ligustici seu Levistici &
cheisim Arabum.
Daucı Cretici,
Shœnanthi, sing. drach. quinque.
Vvarum passarum repurgatarum, lib.
semissem.
Mellis optimi despumati, vel
Sacchari albi, lib. duas.
Coquantur in Aqua ut decet, & fiat Syrupus.

Paraphrasis.

PEr Calamintham domesticam intelligit *Mesue*, primam speciem cognominatam Montanam, domesticam dictam quod usu receptior sit. Per sylvestrem, secundam speciem, & minus usitatã. Vide *Dioscoridem. l. 3. c. 34.* Nam Calamintha non in hortis colitur Basis est Calamintha unde nomen desumpsit. Semina hîc admiscentur ad dissipandos flatus & augendam virtutem incisivam, attenuativam & aperitivam Basis. Deterstva verò per uvas passas majores & Mel: Schænanthos imponitur ad fortificanda viscera. Quibus non suppetit copia duarum Calaminthæ specierum hîc requisitarum: duplicent illi dosim ejus quam habent, potius quam capiant Nepitam sive herbam Cattariam, quæ non est tertia species Calaminthæ a Dioscoride descriptæ: quam nostri Pharmacopœi, perperam appellant *Nepitam.*

Mixtura sive Componendi ratio.

CAlamintha, Semina, & vuę passæ repurgatæ a suis arillis, bullire debent in libris quatuor aquæ, ad medias, addendo sub finem Scænanthum, quod longiorem fert coctionem, quam plurimi alii flores. Colatura clarefiet cum melle despumato vel Saccharo in gratiam delicatiorum: Post, coletur iterum, & totum decoquatur in

Syrupum

Syrupum, recondendum. Ad tusses inveteratas & asthmaticos: uti etiam pro iis, qui hepar habent vel lienem induratum hiberno tempore.

Syrupus Nicotianæ majoris. ἔνλον.

℞. *Succi Nicotianæ majoris, supra ignem depurati, & Penidiarum ana lib. semissem. Coque in Syrupum.*

Paraphrasis.

HIc Syrupus nomen accepit a Nicotiana alias Tabacco, *Pæte*, & *Herbe de la Reyne* dicta, quod *Johannes Nicotius*, Legatus pro Rege *Galliarum* in *Lusitania* primus eam ad Reginam misérat, ob raras virtutes & ad plures ægritudines, tam internas quam externas, dignas tanta Principe: quippe quæ competat Asthmaticis, cruditatibus stomachi & ventriculi, arthritidi etiam, & obstructionibus lienis; ad mundificanda ulcera quæcunque fuerint, absque dolore. *Nicotiana unde dicta.*

Mistura non alia est, quam aliorum Syruporum ante descriptorum. Tractemus jam species Oxymelitis, quæ locum habent Syruporum Alterantium.

De Oxymellis differentiis.

Oxymel simplex. D. Galeni.

℞. *Aceti vini albi acerrimi. lib. unam.*
Mellis optimi. lib. duas.
Aquæ fontis, lib. quatuor.

Mel cum aqua coquitur, Spumâ interim detracta, quam si multam Mel egerat, malum est: ob id diutius coquendum. Optimum verò (quale Gallia Narbonensis & Provincia nobis suppeditant) minimum Spumæ evomit, & brevissimo tempore coquitur. Si vis Oxymel valentius, misce tantum Aceti, quantum mellis: Aquæ duplum. Sed cum una omnibus mensura non placeat: & hii acetatum, illi mellitum magis ament: pro cujusque palato & necessitate misceatur. Quamobrem, parandum erit utendi tempore, ut in Syrupo Acetato simplici annotavimus.

Paraphrasis.

QUod *Græci* appellant Oxymel, *Latini* Acetum mulsum, *Arabes* Secaniabin: quod absolutè positum accipiendum est pro Oxymelle simplici: ita dicto, ad differentiam aliorum consimili nomine, magis Compositorum. Author ejusdem est *Galenus*, 4° lib. de Sanitate cap. 21. Differt a Syrupo Acetato (in melle solo) descripto in principio hujus sectionis, quod hîc ponitur loco Sacchari: Composuit enim *Mesue* Syrupum Acetatum, debile, validum, mediocre, sicut *Galenus* Oxymel simplex. Debile fit cum una parte Aceti, & duabus Mellis, & quatuor Aquæ. Mediocre cum una parte & dimidia, Aceti, duabus Mellis, & quatuor Aquæ. Validum seu forte, cum æqua portione Aceti, & Mellis, & duplo Aquæ. Basis est Acetum, incisivum attenuativum & resolutivum materiæ crassæ & viscosæ, in quacunque parte fuerit, vel in ipsis junctúris: modo credamus id quod *Galenus* scriptum nobis reliquit, Octavo de medendi methodo sua. Mel inditur ad detergendum, ad saporem, ad promovendam operationem, & tuendam Basis virtutem. Aqua imponitur tribus de causis a *Mesue* declaratis. Prima, ut Mel longa decoctione deponeret flatulentam naturam suam. Secunda, ut facilius & melius despumetur. Tertia, ut virtus Oxymellis expeditiùs per totum corpus distribueretur: utque Aceti acrimonia repriineretur. Hinc colligere licet, quam egregie imponant & ægris & medicis, qui cum Aceto tantum & Melle id conficiunt: nec minùs illi qui hoc conficiunt ex Aceto destillato, quod prorsus corro- *Error reprehensus.*

sivum est, & ventriculo visceribusque omnibus nocivum. Quantitas aceti circumscribenda est pro ratione validitatis ejusdem, pro ægritudinis vi, & pro ægri justu, sive palato, major, vel minor, quod ipsum ex Sapore cognoscitur. Idcirco Pharmacopœus, qui nescit morbos, morborumque causas, simul & medici consilium qui id præscribit. Contentus esse debet in officina sua uno Oxymelle, eoque debili, quale jam descripsimus, facilius enim fuerit aceti quid addere quam subtrahere, si usus postulet.

De mixtura sive componendi ratione.

ACcipe Aquæ & Mellis quantum par est: quod bullire curabis super ignem lucidum non fumantem, in chytra sive authepsa, vel etiam in olla fictili terrea vitrata, tollendo semper Spumam emicantem supra & natantem) dein sensim adjicies Acetum vini albi validum & acre, ut cum reliquis coquatur ista, ut non sit curdiusculum, sed acquirat consistentiam Syrupi: qui ad usum conservari possit. Et quantumvis paulo minus coctus sit, quo jucundior fiat, nihilo secius servari poterit, ob Acetum & Mel, quod sua sponte inspissabitur.

Oxymel Scilliticum. D. M.

℞. *Aceti scillitici libras duas. Mellis optimi ex aqua despumati & cocti, lib. tres. Coquantur ut in Oxymelle simplici diximus.*

Paraphrasis.

DUmmodò Pharmacopœo suppetat in officina sua aceti scillitici copia, satis est: Nam Oxymel istum omni tempore, citoque fieri possit & quantum voluerit. Non differt a præcedenti nisi in aceto scillitico, unde cognominatur.

Mistura fiet eodem modo, quo in præcedenti diximus.

Acetum Scilliticum ex Dioscoride & Mesuæo.

Accipe quantum placuerit de laminis sive tunicis Scillæ candidæ, medias intelligo (quæ sunt inter corticem & matricem vel meditullium) quandoquidem exteriores exsuccæ sunt & inutiles: quæ autem viciniores matrici sive medullæ, nimium humidæ sunt & succulentæ. Hæ ergo hac ratione selectæ, filo trajicientur seorsim sive sigillatim cum frustulo sive buccella caulis Fœniculi recentis, vel alterius cujusvis ut lubet, ne sese contingant invicem, & sint aridiores: deinde exponeas eas umbræ, sub dio, in loco valdè aëreo, a pulvere, & omni alia immunditie purgato per quadraginta dies, ut tota humiditas sua superflua consumatur, & ipsæ fiant minus acres. Quo facto, super unam libram scillarum exsiccatarum, & in unam phialam impositarum, affundentur boni aceti vini albi sive clareti octo libræ, quæ phiala bene obturata solibus exponetur fervente æstate vel intra Stupham, spatio quatuor, septem aut octo dierum super Cineres parum calidos, si Solis opportunitas & otium non permittat. Post, Scilla expressa abjiciatur: Deinde, Acetum, postquam jam resederit depuratum immittetur in phialam bene operculatam, & reponetur ad usus necessarios.

Oxymel Compositum, seu Diureticum. ἀδύλογ.

℞. *Radicum Apii seu Eleoselini* Græcorum, *Fœniculi, Petroselini, Ruscí,*

Ruſci & Aſparagi ſingul. unc. duas. *Sem. Fœniculi, & Apii utriuſque unc. unam.*

Coquantur in libris duodecim aquæ ad medias: expreſſum clarificatum cum mellis quantitate idonea coquatur in Syrupum.

Addendo ſub finem Aceti vini albi libram unam: uſui reponendum. Si loco Aceti vulgaris Scilliticum ſubſtituas, Oxymel ſcilliticum compoſitum habebis.

Paraphraſis.

OXymel hoc dictum eſt compoſitum, ob radices & ſemina quæ recipit ultra ſimplex ante deſcriptum. Cognomen autem acquiſivit Diureticum ſive aperitivum a virtute quam obtinet radicum aperientium quæ immittuntur ad intendendam vim inciſivam, attenuantem & aperientem Baſis ſuæ Aceti: uti & ſemina ad moderandam frigiditatem, ejuſdem, & ad flatus diſcutiendos. Mel denique ad detergendum, conciliandum ſaporem, & omnia conſervanda.

Mixtura ſive Componendi ratio.

RAdices mundatæ corde ſuo ſive matrice, & contuſæ, ferveſieri debent in decem aut duodecim libris aquæ (cum ſemicoctæ fuerint, adjungenda ſunt illis ſemina contuſa) uſque ad medietatis conſumptionem. Colatura clareſiet albuminibus ovorum, & per laneum pannum tranſmittetur. Denique adjicietur idonea quantitas mellis de *Languedoca*, vel *Provinciæ* in olla terrea vitrata: Omniaque ſimul coquentur cum aceto ad juſtam conſiſtentiam, ut poſſit recondi ad uſum. Inter coquendum, ſpuma ſemper auferenda eſt quæ ſupernatat, ſicut in præcedenti dictum eſt.

De Oxymelle ſcillitico compoſito.

OXymel ſcilliticum compoſitum ſive Diureticum non diſcrepat a ſupradicto, in numero & quantitate medicamentorum, niſi ſolo Aceto ſcillitico, pro vulgari, neq; etiam in methodo & ratione componendi. Jam verò ſequentes primâ diviſione noſtram, poſtquam diſſeruimus de Syrupis ſimplicibus & compoſitis, tam alexiteriis & præſervantibus, quam Calidis frigidiſque humores digerentibus, ſequitur de Catharticis ſive purgantibus, incipiendo à minùs compoſitis.

De Syrupis Purgantibus.

Syrupus Florum Perſicorum: incerti Authoris.

℞. *Florum perſicorum in menſe Martio collectorum ac recentium lib. duas. Macerentur in aquæ tepidæ lib. ſex horis 12. ſuper Cineres calidos vaſe operculato: deinde ſemel ferveſiant & exprimantur. Tum recentes injiciuntur & infunduntur ut ſupra: hiiſque abjectis, aliis tertio 4. 5. 6. 7. 8. & ſi vis, nono ſubſtituuntur, dum liquor, facultatis eorum plurimum ebiberit. In quo, Sacchari albi lib. quatuor diſſolve, & coque in Syrupum. Bilem & aquas purgat, vermeſque enecat, Ideo pueris utilis.*

Paraphraſis.

FOntanonus deſcribit alterum Syrupum ſimili nomine quo iſte hoc in loco: non in uſu tamen quod ſciam. Si quis tamen uti velit, conficere poterit, ſicut ille in Praxi ſua docet: cum duabus libris ſucci extracti de Perſicis ante maturitatem ſuam:

ſuam: & ejuſdem cocti ad medietatem, cum reſederit, accipit portionem clariorem, quam ille clarificat, conditque Santalo Citrino, & percoquit in ſyrupum cum Sacchari ſufficienti quantitate: addendo ſub finem ſucci granatorum uncias tres. De Authore hujus Syrupi nobis non conſtat.

De Miſtura, ſive componendi ratione.

ACcipe quantitatem ante dictam florum Perſicorum non contuſorum (quo magis ſint purgativi) quos infundi curabis cum aqua calida decem aut duodecim horis in olla terrea vitrata ſtricti orificii, ſatis occluſa. Dein permittes eos ſupra ignem ſemel bullire & fervefieri, ac tum exprimes. In colatura recentes flores injiciuntur & coquuntur in eodem vaſe, vel olla ut dictum eſt, ſic mutentur, & novæ ſubſtituantur per multos dies. Nam quo plures habent infuſiones, eo valentior erit. Colatura tandem clarefiat & tranſmittatur per colum laneum: deinde cum Saccharo optimo percoquatur in Syrupum uſui recondendum. Decoctiones & infuſiones laxativæ non clarificatæ plus purgant quam quæ ſuper ignem clarificantur.

Syrupus Roſatus. D. M.

℞. *Foliorum florum Roſarum pallidarum, vel Damaſcenarum, ſeu Moſchatellarum, ab odore Moſchi (quia purgantiores) libras ſex. Macerentur horis octo in libris quindecim aquæ calfactæ, in vaſe terreo vitrato, ſtricti oris, eoque operculato. Poſtea colentur. Eidem aquæ calfactæ, Roſarum recentium tantundem immittitur, & tandiu macerentur, colentur. Hiis abjectis aliæ 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. ſubſtituuntur. Portio hujus ſervari poteſt in annum in vaſe vitreo, oleo affuſo, bene operculato. Altera verò portio, cum pari pondere Sacchari albi coquitur in Syrupũ. Noſtri Pharmacopœi libris ſingulis Sacchari, infuſam Rhabarb. cum Nardo Indica aut Cinnamomo un-*
Nota. *ciarum duarum injiciunt, ut ſit magis cholagogus, vocantque Syrup. Roſ. ſol. cum Rhabarbaro. Poſt menſem verò ſextum varvarum eſſe virium, quia vis ejus purgatrix evaneſcit. Conſultius eſſet, utendi tempore miſcere Rhabarbarum pro variis Scopis. Neque profectò ex contuſis Roſis neque ex earum ſucco, perinde efficax fuerit Syrupus.*

Paraphraſis.

SYrupus hic de novem aut decem infuſionibus cognominatur purgativus, ad diſcrimen ejus quem deſcripſimus in principio hujus ſectionis, qui fit de Mucharo, ſive duabus infuſionibus Roſarum, multò minus purgans quam iſte: qui nihilo minus appellatur ſimplex Purgativus, ad differentiam ejuſdem, qui recepit plus Rhabarbari, vel Agarici, vel Senæ. Compertum habeo ut adjicerentur cum quis uti velit; & non quando præparatur Syrupus in annum ſervandus: quoniam exactis ſex menſibus purgatrix facultas exhalat & parum valet: purgantior eſt quam qui fit de ſucco Roſarum vel de Roſis Contuſis.

De mixtura ſive componendi ratione.

ACcipe Roſarum pallidarum, ſive Damaſcenarum odore fragrantium unam partem, quas antea defloreſcentes integras & non contuſas, in vas fictile ſive ollam terream vitratam anguſti oris impones: & ſuper eas affundes, duas partes & dimidiam aquæ calidæ. Poſt, vas illud ſive ollam occludes & permittes infundi octo circiter horis, roſas illas ſuper Cineres calentes: dein rurſum eas una cum olla, vel in chytra, impones ſuper ignem clarum non fumigantem donec percalidi ſint & propemodum fervefiant: deinde exprimes cum panno lineo novo. Colatura iterum affundetur ſuper alias Roſas cum defloruerint, pari in quantitate, quâ prius itidem poſitas eandem in ollam operculatam, & ibidem infundantur ut antea. Deinde illos recalefacies & exprimes: ſimiliter per novem dies vel decem

continuando, & quotidie rosas mutando, ut dictum est. Qui majorem quantitatem infusionum cupiunt, hoc facillimè possint facere, & duplicando & triplicando rosas & aquam. Tales servari possunt in unum annum incorruptæ, in Phialis seu vitreis vasis quæ plena sunt, immittendo desuper parum quid olei Olivarum, modo bene obturentur Bombace vel charta duplicata, ne odor & virtus aërea dispereat. Qui cupit Syrupum perficere absolutum & consummatum, permittere debet infusionem residere, dum clarefiat ad solem per se sine ulla clarificatione: Post, adjicietur Sacchari de *Madera* puri & nitidi consimile pondus, vel paulo minus: ut totum simul coquatur in Syrupum usibus recondendum.

Qui infundere velint duas uncias Rhabarbari selecti, ad singulas Sacchari libras, una cum Cinnamomi tribus drachmis, vel Nardi Indicæ duabus, cum una parte infusionis seorsim per noctem unam, & in Syrupo ipso decocto paulò plus justo, cum olla est ab igne sublata adjecerint colaturam vel expressionem illius, facient Syrupum Cholagogum. *Ut Syrupus iste fiat Colagogus.*

Quibus autem placet loco Rhabarbari, infundere Agaricum [trochiscatum] cum infusione, & in Syrupum jam coctum & adhuc calentem, adjicere expressionem illius, habebunt Syrupum Rosatum Phlegmagogum. *Ut fiat phlegmagogus.*

Quibus porrò est animus parare Syrupum Rosatum Laxativum & Melanagogum, infundant tres uncias Senæ Orientalis mundatæ & semunciam seminum Anisi contus. in una parte infusionis Rosarum super Cineres calentes sex aut octo horis: deinde permittant bis aut ter fervefieri & bullire, & sic expriment: dein adjiciant cocto jam Syrupo colaturam, quam curabunt recoqui, si nimium cruda sit, ut tandem recondi possit. Quod si velint, ut Syrupus sit & cholagogus & Phlegmagogus, accipient, Agarici trochiscati unciam unam & Rhabarbari tantundem: unam drachmam Nardi Indicæ & salis gemmæ tantundem, quæ infundant & exprimant, adjiciantque Syrupo, sicut dictum est, atque ita voti compotes erunt. Veruntamen consultiùs ego comperi illa adjicere pro re natâ, cum plus vel minus usus postulat quam eadem immittere: tum cum paratur diutius recondendus. Hîc enim Medicum oportet respicere ægri potius salutem, quam Pharmacopœi commodum. *Ut fiat Melanagogus.*

Syrupus Violatus solutivus. D. M.

℞. *Hic Syrupus etiam fit ex novem infusionibus, ut Rosatus præscriptus, absque Rhabarbaro aut Agarico, nisi utendi tempore, quod multum laudo. Purgantior est eo quod fit ex succo violarum. Bilem sine astrictione purgat, affectibus calidis pectoris, cordis, hepatis, lienis, &c. succurrit.*

Paraphrasis.

SYrupus iste, hîc a nobis *Mascone* in usu est, fœlici satis successu. Conficitur ut præcedens Rosatus, cum novem infusionibus Violarum recentium, hoc solum excepto, quod non multum exprimendæ sunt, ne ab herbacea illarum parte, extrahatur viscositatis quid & acrimoniæ, quæ ibi est, ingratum quidem illud, & ei quod præ se fert adversum. Illas non oportet uti Rosas contundere: atque ita Syrupus iste purgantior est, quam ille qui fit de succo Violarum. Sacchari quantitas, (ut totius mistura) nequaquam differt a Rosato laxativo simplici præscripto.

Syrupus de Pomis. Saporis.

℞. *Succorum Pomorum fragrantium, lib. tres.*
Buglossi & Boraginis depuratorum, utriusque lib. duas.
Foliculorum Senæ, mundatorum, uncias quatuor.
Seminis Anisi, unciam dimidiam.
Croci drachmas duas.
Sacchari albi, lib. tres.

Folicul. Senæ parum contriti cum Anisо horis 24. in succis macerentur: deinde semel aut

aut bis ferveſiant & colentur. Expreſſum clarificatum & colatum, cum Saccharo coquatur in Syrupum. Crocus ante panno lineo ligatus, inter coquendum infricetur.

Paraphraſis.

SYrupus hic appellatur de nomine *Saporis*, Regis *Medorum* & *Perſarum*, qui ſub jugum miſit Imperatorem *Romanum Valerianum*, anno a nativitate Domini noſtri *Jeſu Chriſti* ducenteſimo ſexageſimo, cujus gratia compoſitus fuit: unde colligere licet, Syrupum iſtum longo tempore confectum fuiſſe ante Regnum *Godefridi de Bolonia*, qui *Paleſtinam*, *Iudæam* & *Syriam* conquiſivit, anno a *Chriſto* nato milleſimo nonageſimo nono: circa quod quidem tempus *Meſuæus* floruit in *Damaſco* urbe *Syriæ*. Quidam affirmant, vixiſſe illum, in diebus *Adriani* Pontificis *Romani* Maximi qui fuit paulò antè. Hoc fortaſſe fieri potuit, quod vixit temporibus hujus & illius: Hunc Syrupum deſcripſit in Practica ſua, capite de Mania & Melancholia ſanguinea, non autem in Antidotario ſuo. Baſis illius eſt ſuccus Pomorum odorantium locatus in principio unde nomen ſumpſit. Succi Bugloſſi & Boraginis immittuntur ad augendum virtutem Baſis Cardiacam, & ad corrigendam ſiccitatem Melancholiæ. Sena ad clementer purgandum. Semina Aniſi ad promovendam tardiorem operationem ſenæ, ad flatus diſcutiendos, & incidendum materias craſſas, viſcoſas & terreſtres, quas Sena dejicit. Crocus additur tam ad creandos ſpiritus vitales (quos Melancholia frigiditate ſua extinguit) quam ad perducendam Succorum facultatem uſque ad cor. Saccharum ſaporis cauſa & conſervationis cæterorum.

De mixtura ſive componendi ratione.

IN ſuccos ad ſolem depuratos, vel ſuper ignem, imponere oportet, ſiliquas ſive folliculos Senæ, & Aniſum contuſa, quæ macerari debent circiter viginti quatuor horas in loco calido in fictili vaſe ſive olla terrea vitrata. Qui non habent tantum foliculorum, comparare debent pondus juſtum foliorum, accuratè a Siliquis ſuis, terreis fragmentis caliculis & pulviſculis, ſi qua inveniri poſſint, mundatorum. Folia quod ſatis exilia ſunt & confracta, non opus eſt contundere. Inſequenti die bis vel ter fervefieri ſive bullire curabis, ſuper ignem lucidum in eadem olla: Deinde exprimenda ſunt. Colatura tranſmitti bis aut ter debet per pannum laneum, quò clarior fiat: Poſt, adjungi Saccharum de *Madera*, ut totum percoquatur in Syrupum: In quo, paululum ante juſtam coctionem ejus, infundendus eſt nodulus, (in quo ponetur crocus) ſubinde ac ſæpe exprimendus, ut virtus ejus transferri poſſit: ac ſic quidem Syrupus hic uſui recondetur.

Syrupus Fumariæ major. D. M.

℞. *Myrobalan. Citrearum & Cepularum, utrarumque drach. viginti.*
Florum Boraginis vel Bugloſſi,
Violarum,
Abſinthii Pontici majoris, ſeu vulgaris.
Cuſcutæ, ſingul. unc. unam.
Glycyrrhizæ,
Seminis Aniſi,
Roſarum ſingul. unc. dimidiam.
Epithymi,
Polypodii mundati, utriuſque drach. ſeptem.
Prunorum numero centum, vel lib. ſemiſſem cum aliis.
Paſſularum exacinatarum, lib. ſemiſſem.
Tamarindorum,
Pulpæ Caſſiæ fiſtulæ, utriuſque uncias duas.

Coquantur in lib. decem aquæ fontanæ ad tertias. Colaturæ adde, Succi fumariæ depurati & Sacchari albi. utriuſque lib. tres. fiat Syrupus.

Dedita opera Aniſum addidi ad flatuum conſumptionem, quod prætermiſiſſe videtur Auctor.

Paraphraſis

Paraphrasis.

HIc Syrupus nomen assumpsit de Basi sua, Succo Fumariæ, cujus facultas purgans intenditur per Myrobalanos: sicut docuit ipse Mesuæus capite propio, Nominatur autem Major, ut differat ab altero consimilis nominis, minus composito, descripto a Mesue, qui non est in usu. Loco hujusce utimur simplici, qualem descripsimus in serie Syruporum simplicium. Flores hîc induntur ad corigendam siccitatem & acrimoniam Myrobalanorum, & ad cordis munimentum. Polypodium, Pruna, Tamarindi, Cassia & Epithymum imponuntur ad blande purgandum flavam bi em & nigram, pituitam etiam liene & jecore. Cuscuta perducit eorum virtutem ad lienem, eumque fortificat: sicuti Absinthium, & Rosæ ventriculum, & jecur. Glycyrrhiza & uvæ passæ majusculæ ad detergendum ejusmodi humores, eosque perducendum ad renes: Additur Anisum ad consumendos flatus, quos Polypodium & alia medicamenta dulcia progenerant, in iis scilicet qui illis obnoxii sunt: *Mesuæus*, in capite de Polypodio, & alias: Saccharum operationem cæterorum, gratiora reddit & conservat, Qui in officinis suis hunc Syrupum habent paratum, minùs solliciti esse poterint de parando illo Epithymi, & è contrà. Nihilo minus inserere tam hunc quam illum placuit, ut quisque seligere possit, uter de duobus magis placuerit.

De Mixtura sive componendi ratione.

HIc, tres infusiones cum succo distinctim faciendæ sunt. Una Myrobalanorum suis a lapidibus mundatarum & contusarum, in ollula una vitrea vel, stannea vel terrea vitr ta, super Cineres calidos cum portione succi Fumariæ, quanta opus est. Secunda & tertia, Cassiæ fistulæ & Tamarindorum, singulorum seorsim, & majore pondere quam par est & requiritur, succi decidui ratione. In hiis duabus, parum Succi sufficit: nam quod imponitur huc spectat, ut transmittantur facilius per secerniculum inversum. Quod supereſt succi servetur, ut adjiciatur decoctioni, in hunc qui sequitur modum, paratæ.

In decem libris aquæ fervefiet primò Polypodium mundatum & contusum: quando quidem humiditate superflua abundat, quæ per longiorem decoctionem deperditur: post purgans illius vis se exerit, non antè: Contra quorundam opinionem, qui arbitrantur eam sitam esse in superficie, ne permittant illius bullitionem, sed infusionem tantùm ut in Rhabarbaro fieri solet, alioque consimili cathartico medicamento. Polypodio jam semicocto adjicientur Pruna ossibus suis exemptis (centum pruna sit a suis ossibus separata pendaut fere plus minus semilibram, quod quibusdam, justum est pondus expetitum.) Vuæ passæ decinatæ, semen Cuscutæ sive Cassuthæ, Absinthium, Glycyrrhiza rasa & contusa: Tandem Rosæ, Epithymum, flores Buglossi & Boraginis, & Violæ. Cum totum semirefrixerit, exprimatur. Colatura cum eo quod supereſt succo, per laneum pannum percolerur, post decoquantur omnia in formam Syrupi. Inter coquendum Cassia (ut dictum est) præparata trajicietur supra setaceum, cochleari argenteo, vel spatula lignea: Similiter etiam Tamarindi, paulò antè contusi in mortario marmoreo cum pistillo itidem ligneo. Post, exprimentur Myrobalani calfactæ satis super cineres & sine omni bullitione, Cocto jam Syrupo, injiciantur sive misceantur primum Tamarindi lebete etiamnum super cineres, pistillo ligneo, quod perferant plus decoctionis quam cætera: Deinde Cassia, tandem immittatur Myrobalanorum colatura: atque hæc ratione operando, vis purgans horum trium, non peribit. Hæc methodus conformis est antiquorum doctrinæ, & sequenda in specimine & probatione operis.

Opinio reprobata.

Syrupus de Epithymo. D. M.

℞. *Epithymi drach. viginti,*
Myrobalan. Indarum & Citrearum, utriusque drach. quindecim.
Seminum Cassuthæ. i. Cuscutæ,
Fumariæ, utriusque drach. decem.
Thymi,
Calaminthæ,
Buglossi,
Stœchadis,
Glycyrrhizæ,
Polypodii querni,
Agarici albi,
Myrobalanorum, Emblicarum & Bellericarum singul. drach. 6.
Seminum Fœniculi,
Anisi,
Rosarum rubrarum, singul. drach. duas. & dimidiam.
Pruna numero viginti,
Tamarindorum uncias duas & semissem.
Passularum mundatarum uncias quatuor.
Sacchari albi lib. quatuor.
Rob. i. Sapæ vini albi optimi libras duas.

Coquantur ex arte in aqua lib. 8. ad dimidias. Deinde remota ab igne, macerentur nocte unâ. Recalefacta exprimentur. Expressum, cum sapa & Saccharo coquatur in Syrupum.

Paraphrasis.

NOmen huic Syrupo impositum est ab Epithymo Basi sua posito in Principio. Cujusvis cathartica infirmior cum sit, intenditur Myrobalanis, Agarico, Polypodio, tarditas quorum acceleratur tenuitate Thymi, Calaminthæ, & Stœchadis, referando scilicet meatus obstructos hepatis, lienis & renum, incidendo & attenuando materias seu humores crassos. Tamarindi & Pruna imposita sunt ad refrænandum bilis acrimoniam: Sapa & vuæ passæ ad detergendam & corrigendam siccitatem Myrobalanorum: Anisum & Fœniculum ad flatus consumendos: & emendandum nocumentum a Polypodio & Agarico, Stœchas ducit eorum virtutem ad hepar; Sicut Semina Fumariæ & Cuscutæ, ad lienem: Glycyrrhiza ad renes: Ad pulmones & pectus, Thymum & Calamintha: Rosæ adjiciuntur ad muniendum ventriculum: Flores sive radices Buglossi ad defendendum cor contra noxiam purgantium: Saccharum ad promovendum eorum operationem, impertiendum saporem, confirmandumque omnium ingredientium virtutem. Hic Syrupus est partim alterans, partim purgans salsam pituitam & Melancholiam, quas per sedem deturbat & vias urinarias.

De mixtura sive componendi ratione.

IN octo libris aquæ, bullire satis diu permittantur Polypodium accuratè mundatum & contusum: Tum injicientur Calamintha, Semina & Pruna incisa. Paulò post Vuæ passæ deacinatæ & Glycyrrhiza rasa contusaque, Stechas & Thymum. Postremo Epithymum, Rosæ, floresque Buglossi: ac tum demum totum decoctum exprimetur. In una parte Colaturæ, infundentur Myrobalani, ossibus suis demptis, super calidos cineres, uti diximus in præcedenti Syrupo. Seorsim verò in altera parte, infundentur simul Agaricus trochiscatus (quandoquidem minus est noxius stomacho) & Tamarindi similiter in alia olla. Decoctio reliqua per laneum pannum colabitur, & cum Saccharo percoquetur in Syrupum. Sub finem coctura adjicietur Sapa, dein Expressum duarum infusionum calidarum, ut omnia simul recoquantur ad justam & congruam consistentiam, qua recondi possit, & conservari incorrupto. Syrupus iste minus est ingratus & purgans, quam præcedens de Fumaria.

Syrupus

Syrupus Hydragogus. D. B. Bauderoni.

℞. *Succi Baccarum Rhamni cathartici depurati & Sacchari albi ana lib. semissem. Coque in Syrupum condiendum Cinnamomi & Mastiches ana drach. duabus in nodulo ligatis: qui sæpius inter coquendum exprimatur: deinde rejiciendus.*

Paraphrasis.

AUctor hujus Syrupi est M. B. *Bauderonus* pater meus: qui inter sua scripta ad me instruendum elaborata, plurimi æstimavit successum quem inde habuit, ex quo tempore ipsum usurpavit: Atque ita nomen ei indidit ab effectu potius quam à Basi, quoniam evacuat aquas hydropicorum, pituitam & serosos humores qui decumbunt in pedes & crura cachecticorum maleque habitorum. Cinnamomum injicitur ad noxiam Basis vim corrigendam, Rhamni scilicet purgativi, a nobis Gallis dicti *Nerprun*: Mastiche additur ad roborandum stomachum: Saccharum ad conservandum saporem & operationem promovendam.

De Mixtura sive componendi ratione.

OCtobri mense colligendus est Rhamni fructus, qui cum maturuit niger est: idemque conterendus, macerandusque in olla terrea vitrata per quatriduum, in loco calido: Post exprimendus & super ignem depurandus. Quantitas idonea, cum consimili Sacchari albi & puri dosi, decoquenda est in Syrupum: Inter coquendum, immergendus est sæpe nodulus, qui Cinamomum contusum, Mastichenq; consimiliter continet, idemque subinde exprimendus, ut ingredientium virtus transferatur, ac non toto anno permittatur. Atque hæc quidem de Syrupis dicta sunto, nunc de Eclegmatis dicamus.

Sectio Tertia.

De Eclegmatis seu Looch in genere.

Græci appellant ἐκλείμματα λείμματα: quæ *Latini* Linctum, nosque *Arabes* sectantes, *Looch* & *Looch*. Medicamenti genus proprium & peculiare trachææ arteriæ, pulmonibus & pectori, non aliis partibus. Excogitatum hoc fuit ab Antiquioribus, diversas ob causas: Interdum ad incrassandos & sistendos humores tenuiores justo & subtiliores, qui ad eas partes defluunt: componiturque ex medicamentis astringentibus, & glutinantibus, seu viscosis: Aliquoties, ad incidendas & attenuandas materias nimis crassas & viscidas: conficiturque ex medicamentis acribus & amaris, sed minore in quantitate. Quandoque, ad detergendum, leniendum, & corrigendum asperitatem & siccitatem trachææ arteriæ, pulmonis & thoracis. Fitque ex medicamentis dulcibus & glutinantibus, sicut nobis videre licet particularius, ex sequentibus & usitatioribus. In usum veniunt interdiu & noctu, longeque à pastu: permittendo ea blandè sensimque delabi, non autem subitò ac præcipitanter deglutiri: ut hac ratione major illius portio decumbat in pectus, & non in ventriculum: dum æger situs sit erectior, vel inclinet pronior in faciem quam decumbat supinus in dorsum: idque propter Epiglottidem, quæ eam versus partem inclinans ecligmatis transitum impedit. Forma & consistentia illius mediam habent rationem inter Syrupum & Opiatum, hoc consilio ut diutius in ore quam ille, minus autem quam hæc teneatur: Omni ætati, sexui & tempori adaptari poterit.

De Eclegmatis in ſpecie.

Eclegma de Caulibus. D. Gordonii.

℞. *Succi Caulium depurati, lib. unam.*
Sacchari albi & mellis deſpumati, utriuſq; pares portiones, ſeu lib. dimidiam.
Coquantur ad juſtam craſſitiem. Deinde adde Croci tenuiſſimè triti, drachmas tres.
Fiat Eclegma.

Paraphraſis.

LOch iſtud a Gordonio deſcriptum eſt in practica ſua, *Particula 4. cap. 8.* de curatione Aſthmatis: qui ſequutus antiquos, impoſuit illi nomen a Baſi ſua ſucco caulium. Virtus ejus inciſiva & attenuativa materiarum craſſarum & viſcidarum augetur croco. Deterſiva vis, Melle deſpumato & Saccharo puro: quæ corpus ſive conſiſtentia addunt eclegmati, conſervantque virtutem Succorum, in tempus utendi.

De Miſtura, ſive componendi ratione.

DEpurari curabitis ſuccum veſtrum de caulibus domeſticis ad ſolem ſeu ſuper ignem. Dein cum Melle deſpumato & Saccharo decoquetur paulò plus quam Syrupus, in quo infunde crocum in pulverem redactum, lebete ab igne ſublato: Poſt agitabitur rudicula lignea, dum refrixerit recondendum ad uſus.

Eclegma de Scilla ſimp. D. M.

℞. *Succi Scillæ & Mellis deſpumati, utriuſque pares portiones. Coquantur ſimul in Eclegmatis craſſitudinem: & uſui reponatur.*

Paraphraſis.

AUthor hujus Looch eſt *Aſclepias*, ut docet *Galenus*, *lib. 7.* de Medicamentis ſecundum locos: E quo *Meſue* illud tranſcripſit, in diſtinctione ſua quinta. Baſis eſt Succus Scillarum unde nomen acquiſivit. Cujus virtus inciſiva & attenuativa craſſarum materiarum & viſcidarum tanta eſt, ut aliunde opem accerſere non opus ſit: deterſiva juvatur melle deſpumato, & eodem ſapor moleſtus & odioſus corrigitur, ſuaque facultas conſervatur. Doſis eſt duæ drachmæ jejuno ſtomacho in hyeme, pro ſenibus, & iis qui frigido ſunt temperamento, Aſthmaticis etiam & iis qui non niſi ingenti labore, & difficultate reſpirant, nec delicati ſunt: Delicatis verò præcedens ex caulibus facilior erit & gratior.

De mixtura ſive componendi ratione.

Ratio extrahendi ſuccum Scillarum.

QUoniam hiis in locis calor ſolis non ſufficit ad extrahendũ de Scillis ſuccum, ad ſupplendum hunc defectum, hodierno die extrahitur calore clibani, vel cineribus calidis in hunc modum. Accipe Scillas veras, ſi fieri poſſit, (ſive earum in loco Pancratium) quas a filamentis ſuis externis, radicibus inutilibus & corde purgabis propter cauſas in Aceto Scillitico expoſitas, quantum tibi videbitur. Has diſſecari oportet, cultello eburneo, oſſeo, vel ligneo, non autem ex metallo: quibus impleri debet olla terrea, & ſuo operculo tegi: deinde ſepeliri intra cineres calentes per aliquod tempus, vel imponi in furnum ſive clibanum calidum. Deinde ſic calfactas exprimi. Hoc faciendo, exibit magna ſucci quantitas quæ a quali cum pondere Mellis deſpumati coquetur in ſpiſſitudinem Mellis, recondenda in uſus neceſſarios.

Scilla

Scilla mas differt à Fœmina in hoc, quod mas candidior sit interius quam fœmina, & minus quam Pancratium, & omnimodò validior. *Scilla mas & Fœmina in quo differant.*

Looch de Scilla compositum, quod *Mesuæus* ad Asthma describit, non in usu est ob odiosam naturam suam & ingratum Saporem; etiamque quod supra descriptum simplex sufficit ad omnia quæ promittit, ita ut non opus sit exquirere alia, & conficere fortiora & ingratiora.

Eclegma ex Pulmone Vulpis. D. M.

℞. *Ex pulmone Vulpis siccato, Succi Glycyrrhizæ, Adianti albi, id est, Capilli veneris. Seminum Fœniculi & Anisi, singul. pares portiones: Confice cum Saccharo in aqua Pimpinellæ soluto & cocto, vel cum Succo Myrtino, ut valentius roboret.*

Paraphrasis.

Mesue describit hoc Eclegma in practica sua (non Antidotario suo) cap. de Phthisi, quod mutuatus est ab *Avicenna lib.* 3. *Fen.* 10. *tract.* 5. *cap.* 6. Addito solùm Anisо & Rob Myrtillorum. Aqua non memoratur ab *Avicenna* neque a *Mesuæo*, sed a *Sylvio*. Nomen habet de Basi sua, pulmone Vulpis posito in principio, velut Principali Agente.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimo in loco semina, Succus Glycyrrhizæ, & Pulmo Vulpis præparata in pulverem vertenda sunt perquam subtilem in Mortario æneo. Dein Capillus veneris, vel ejus vice Polytrichum, quod est Adiantum nigrum, accuratè mundatum & contusum in Mortario marmoreo cum pistillo ligneo. Post adjiciendi sunt pulveres. Dein cum Syrupo quodam cum Saccharo confecto, & aqua Pimpinellæ, sive Scabiosæ, seu Ungulæ Caballinæ, vel etiam cum Syrupo Capilli veneris, seu Myrtillorum pro rob Myrtino, si agatur de validè roborando, vel alia consimili facultate, fiat Eclegma mediocris consistentiæ, recondendum usui necessario.

Eclegma Papaverinum. D. M.

℞. *Seminis Papaveris albi, drach. viginti quinque.*
Amygdal. dulcium excorticatarum.
Nucleorum Pini.
Gummi Arabici &
Tragacanth.
Succi Glycyrrhizæ, singul. drach. decem.
Amyli,
Sem. Portulacæ
Lactucæ,
Cydoniorum, singul. drach. quatuor.
Croci drach. unam.
Penidiarum albarum uncias quatuor.

Syrupi Papaveris albi & nigri, cum semine Lactucæ & Violis facti, quantum sufficit. Fiat Eclegma.

Syrupus de Papavere simplex. D. M. à nobis transcriptus, hujus supplebit vicem: præsertim si decocto addideris Sem. Lactucæ & Violarum.

Paraphrasis.

LInctus hic nomen sumpsit de Basi sua, Syrupo & semine Papaveris. Facultas ejus incrassans augetur Amylo & Gummis Arabico & Tragacanthæ & seminibus Portulacæ, Lactucæ & Cydoniorum. Detergens Amygdalis dulcibus, Pineis nucleis Penidiis & Succo Glycyrrhizæ: quæ etiam leniendo, corrigunt asperitudinem Trachææ Arteriæ & faciliorem reddunt anhelitum. Syrupus Papaveris, qui paratur in Officinis supplere poterit hujusce defectum, qui somnum accersit, & toti corpori requiem. Quare si quis hoc Eclegmate uti velit, ad somnum provocandum vel incrassandum humorem quemvis subtilem: hujus uti poterit duabus horis ante somnū,

circiter ſemuncia: vel duabus horis a prandio, uno cochleari. Ad alios verò morbos, in minore quantitate & longè a paſtu, idque ventriculi gratiâ, qui recipit ſemper aliquam portionem, quicquid æger agat.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

PRimum contundere oportet ſeorſim Gummi in mortario, & cum piſtillo æneo calidis, tum ponderare quod deficit decidui lomine. Amylum conterendum eſt ſeorſim: Amygdalæ & Pinei nuclei mundati ſuper chartam puram & candidam ſcalpro ſutorio concidendi ſunt, & ſubtiliores ſive exiliores reddendi in mortario unà cum Amylo, & Penidiis albis bene ſiccatis. Simul etiam pulverizanda ſunt ſemina & ſuccus Glycyrrhizæ. Crocus ſeorſim pulverizandus eſt. Deinde, pulveres omnes confundendi ſunt & permiſcendi in mortario cum Syrupo Papaveris: quod fieri debet ad decentem formam acquirendam: atque ita coſervandum eſt hoc Eclegma in utendi tempus neceſſarium.

Eclegma de Pineis. D. M.

℞. *Carnium Dactyl.* Cheiron, *i. flavorum, drach. xxxv.*
Nucleorum Pini drach. triginta,
Amygdalarum dulcium excorticatarum.
Avellanarum aſſatarum.
Gummi Tragacanth. & Arabici,
Glycyrrhizæ, &
Succi Glycyrrhizæ,
Amyli,
Capilli veneris vel (Polytrichi, ſi verus deſit)
Radicum Ireos,
Mellis Paſſularum ſeu Sapæ Paſſularũ,
Butyri recentis &
Sacchari albi, ſingul. drach. quatuor (nonnulli mendosè legunt uncias quatuor.)
Amygdalarum amararum drach. tres.
Mellis deſpumati quantum ſufficit. Fiat Looch.

Paraphraſis.

LOoch iſtud ſive Eclegma denominatum eſt a Baſi ſua Pineis: quas non in principio poſuimus ſicut *Meſue*, ſed Dactylos: quandoquidem doſis harum exuperat doſim illarum, primum noſtrum inſtitutum ſequentes, idque exemplo *Andromachi* in Theriaca ſuâ, & *Damocratis*. Dactyli hic ponuntur majore in quantitate quam ullum aliud ingrediens quodcunque: quoniam præſtantiſſimi ſunt ad pectus, & aſtrictione ſua fortificant illud, virtutemque Baſis debiliorem: atque hac ratione impediunt fluxiones ſive catarrhos ne in illud decumbant. Incraſſans vis intenditur Gummibus & Amylo: Deterſiva & lenitiva, melle deſpumato, Saccharo, Butyro, Melle paſſulato ſive Rob, Amygdalis dulcibus & Glycyrrhiza, quæ Saporem etiam conciliant, & totam compoſitionem conſervant. Radix Iridis, Capilli veneris & Amygdalæ amaræ induntur, ad incidendum & attenuandum materias craſſas & viſcoſas retentas in pulmonibus & pectore: Nuces Avellanæ aſſatæ, quas Græci appellant Ἁπλοκάρυα, immittuntur ad maturandos catarrhos, ad quod conducunt, *Dioſcor.* Quidam (& perperam) legunt, Rob ſeu Mellis Paſſulati, Butyri & Sacchari ſingul. 4 uncias, pro 4. drachm. arbitrantes erratum irrepſiſſe ab Impreſſoribus, accipientibns, 3. drachm. pro tribus unciis, quod non eſt veriſimile. Tanta enim doſis, redderet Ecligma (jucundum ſatis ex ſe) faſtidioſum nimis & ingratum, invalidius etiam ad id quod Author illi attribuit.

De mixtura ſive componendi ratione.

PUlverizari ſimul oportet, Radices Iridis & Glycyrrhizæ raſæ ſigillatim in taleolas conciſæ: ſuccum etiam Glycyrrhizæ, & Avellanas aſſatas, ſeorſim autem Amylum. Gummi vero contundi ſicut in ſuperiori dictum eſt Eclegmate, tum ponderari

ponderari oportet, & Pineæ recentes (si fieri possit) sin minus, per unam noctem in aqua tepida ad tollendam earum acrimoniam longiori tempore acquisitam infundentur & siccabuntur linteo candido: Hæc ita curata & parata, unà cum amygdalis dulcibus & amaris, suis pelliculis detractis, super chartam puram & candidam accuratè concidenda sunt cultro sutorio, sicut antè diximus, & recondenda. Deinde in mortario marmoreo contundetur Capillus veneris perpurgatus: Post, adjicientur dactyli itidem mundati tam intrà quam extrà, qui exactè simul contundentur: Post, adjicietur Rob seu Mel passularum: vel loco illius, pulpæ earum quantum sufficit: deinde injicientur Pineæ, Amygdalæque concisæ, ut dictum est: quas iterum subtiliores reddes cum Amylo & Saccharo pulverizato, pulveribusque & Gummibus, sicut dictum est in præcedenti Ecligmate. Post hæc Butyrum, & postremò adjicietur Mel despumatum seorsim & coctum quantum satis est ad formam induendam idoneam. Melius autem fuerit, minus ejusdem Ecligmatis facere & sæpius, potius quam tantam quantitatem: quoniam a sex Mensibus exactis rancescit, & situm contrahit: acquiritque acrimoniam quandam odiosam nocivamque ægrotis, quantumvis multum Mellis imponas.

Eclegma sanum & expertum. D. M.

℞. *Uuarum passarum ab arillis purgatarum,*
Ficuum recentium, Siccarum,
Dactylorum pinguium singul. unc. duas.
Jujubarum, &
Hyssopi siccæ,
Cinnamomi,
Glycyrrhizæ,
Calaminthes,
Ireos, singul. unciam dimidiam.
Sebesten, utriusq; numero triginta,
Seminum Fœnugræci drach. quinque.
Lini,
Anisi,
Fœniculi,
} Horum trium nonnulli codices habent singul. drach. semissem & non *unciæ semissem.* At sequutus sum ego codicem antiquum.
Capilli veneris, M. unum.

Coquantur omnia, in lib. quatuor aquæ ad medias. Colatum coque cum Penidiarum lib. duabus, ad mellis crassitudinem: Tunc adde sequentia pulverata.

℞. *Pineorum recentium depellatorum drach. quinque.*
Amygdalarum a cortice mundatarum,
Glycyrrhizæ mundatæ & minutim concisæ,
Gummi Tragacanthi, & Arabici,
Amyli, singul. drach. tres.
Radicum Ireos, drachmas duas. Fiat Eclegma.

Paraphrasis.

ECclegma istud a virtute sua denominatum est, per experientiam quam auctor illius, multique alii postea fecerunt comperta. Medium tenet inter illud de Pineis, & alterum de Scyllis: Nam incidit, attenuat & deterget plus quam illud, minus autem ingratum est quam hoc. Nocet biliosis in æstate, & febricitantibus. Basis est triplex, una incidens & attenuans humores crassos & glutinosos: altera deterget, & tertia incrassat humores nimium subtiles.

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimum pulverem oportet facere in hunc qui sequitur modum, Radices Iridis & Glycyrrhizæ simul pulverizandæ sunt & subtiliter cernendæ: Amylum per se: Gummi simul antequam ponderantur (ut declaravimus in Looch de Papavere) Pineæ & Amygdalæ concidendæ sunt super chartam puram & candidam, cultro sutorio. Post iterum in subtiliorem substantiam redigendæ sunt in mortario cum Gummibus, Amylo & Radicibus: sic reponendæ sunt, ut misceantur Syrupo insequenti, ita ut sequitur confecto.

In

In quatuor aquæ libris, primum coquatur Radix Iridis in rotulas conciſa, vel contuſa; cum hæc ſemicocta fuerit, impone ſemina & Calamintham: paulò poſt, omnes fructus & Glycyrrhizam raſam & contuſam. Paulò poſt, Hyſſopum & Capillum veneris: tandem Canella a nonnullis accepta pro Caſſia aromatica, quandoquidem non tolerat cocturam. Hoc facto permitte lebetem frigefieri, lineo panno duplici tectum. Cum autem ſemirefrixerit: per eundem pannum totum exprimetur: Colatura clarefiet albuminibus ovorum, & colabitur per tranſverſum pannum laneum: eaque cum Penidiis decoquetur in Syrupum vel paulò plus; lebete ab igne ſublato, paulatim diſſolves pulveres præparatos dedita opera ligneo piſtillo, quo totum diligentèr agitabitur donec percandidum fuerit. Conducit magis hujus diſpenſare parum & ſæpius quam multum, ob rationes in præcedenti Eclegmate relatas. Atque hæc quidem præmiſſa Eclegmata omnia uſitatiora olim fuerunt, quam hodie ſunt.

Sectio Quarta.

De Pulveribus Aromaticis Electuariorum, in genere.

IN hac ſectione diſſerere tantum ſtatuimus, de Pulveribus Aromaticis, ex quibus fiunt Electuaria. Quamobrem Pharmacopœum oportet ſcire, quam ob cauſam inventi fuerint, & Aromaticorum potius medicamentorum, quam aliorum: & unde venit Nomen, *Electuarium*.

Pulveres fiunt per Triturationem, quæ nihil aliud eſt quam apta quædam comminutio medicamentorum friabilium, vel conterendo ſcilicet ea in mortario ferreo ſive æneo (idque piſtillo ejuſdem materiæ) ſive marmoreo, ſeu lapideo, ſeu ligneo, ſive etiam ſuper porphyritem, parva quadam cum mola. Hoc autem fit, quatuor ob cauſas præcipuas.

1. Ut calore noſtro naturali, facilius de potentia in actum perduci poſſint, calidi ſive fuerint ſeu frigidi, ſicci ſeu humidi.

2. Ad commodiorem eorum permiſtionem, utque ex adverſa invicem mutuaque in ſeſe operatione, facultas quædam noſtris conſiliis uſibuſque apta reſultet.

3. Ut virtus eorum contraria ſeparetur, familiaris autem & intentioni noſtræ conveniens retineatur. Qua ratione, Cyminum, Aſarum, Rhabarbarum, &c. craſſiuſculè contrita ſolvunt ventrem: ſubtilius verò, urinas provocant. *Galen.* 4°. *de ſanitate tuenda.*

4. Ad corrigendum eorum nocumentum, quales ſunt qui acritudinem ſortiuntur: quo enim craſſiores illi ſunt, eo plus ventriculo, inteſtinis, &c. nocent.

Ad rationem habitam, partium, loci & intentionem diverſam, pulveres magis aut minus ſubtiles eſſe oportet.

Jam verò ſic ſe res habet, ut pulveres inſequentes non oportet pulverizari & cribro ſecerni omnes uno eodemque modo. Qui enim ad ventriculum, vel inteſtina parantur: qui etiam ad conſumendos flatus, vel occludendos meatus plus æquo apertos: & quorum metus eſt ne virtus aërea & ſuperficiaria diſpereat, non æque ſubtiles eſſe oportet, ac eos qui reſpiciunt jecur, lienem, renes, veſicam, & uterum: vel etiam, quos celeriùs fermentari volumus: vel aperire vias obſtructas, vel per vias anguſtas tranſire, vel etiam ut incidant, attenuent & detergeant materiam quamcunque craſſam & viſcoſam: ſubtiliores etiam debent eſſe, qui pulmonibus, pectori, aſperæ arteriæ, cordi & articulis deſtinantur. Quò longius enim partes diſtant a ventriculo, qui primus recipit, eò ſubtiliores eſſe oportet: præſertim ſi ſint lapides pretioſi, corallium, margaritæ & conſimilia, qui ob gravitatem ſuam in fundo ventriculi ſubſiſtunt, nec omnino vel ægre parumque diſtribuuntur. Illos autem qui oculis inſerviunt prætereo, quos ſubtiliſſimos eſſe par eſt, ob exquiſitum ſenſum membranæ adnatæ ſive conjunctivæ. *Galenus* in multis locis librorum, de medicamentis ſecundum locos.

Ordo

Ordo Pharmacopæo obſervandus in trituratione docetur a *Meſuæo* in ultimo capite ſecundi Theorematis: Et amplè ſatis poſt eum, *Sylvio, lib.* 2. Pharmacopææ ſuæ, capite de Trituratione: ubi comparare quis poterit & diſcere omnia quæ hoc in genere ſcitu digna ſunt.

Quare pulveres componuntur de Aromaticis medicamentis, potius quam de aliis.

Pulveres hii de medicamentis componuntur Aromaticis potius quam aliis, quæ non ſunt Aromatica, quod gratus eorum odor permanat, magiſque facit ad viſcera corroboranda, quorum causâ imprimis inventi & excogitati ſunt. Ad generandos etiam ſpiritus animales, vitales & naturales. Quænam verò ea ſunt, fuſius docet *Dioſcorides*, primo libro de materia medica, & poſt eum, Auctores horum pulverum.

Materiem præbent Electuariis ſolidis, mollibus, alterantibus & Alexiteriis. Quamvis Electuarii nomen, genuina ſignificatione ſua, cuique medicamento aptari poſſit interno: quod talia ſtudioſius, quam quæ exterius eligantur; ſic ſe res habet tamen, ut per Antonomaſiam conveniant magis, & accipiantur pro pulveribus Aromaticis Alexiteriis, alterantibus & purgantibus, ex quibus componuntur Antidota ſive Electuaria ſolida & mollia: ſicut fuſius in hac præſenti & ſubſequenti ſectione declarabitur.

Quænam doſis, pro quaque libra Sacchari ſive Mellis, pulverum Aromaticorum, ad Electuaria.

De doſi pulverum pro Electuariis, quam obſervari oportet in quaque libra Sacchari, vel Mellis Attici (cujus vice utimur nos quod apportatur è *Languedoca*, ſive *Provincia*) reſpicere debemus ſaporem eorum vel ingratum, palatum etiam & guſtum ægrorum, neceſſitatem etiam quæ incumbit magiſque urget (ut ad Peſtem, morſum & ictum beſtiarum venenoſarum) nemini enim dubium eſt, quin tanto auctior debeat eſſe doſis pulveris, & minor Sacchari, quanto validius fuerit Electuarium. Quapropter, uſus mediam quandam rationem obtinuit: ſcilicet ut qui ſuapte natura palato placeant, quales ſunt pulveres digeſtivi, quibus utuntur ante paſtum & a paſtu, vel quos diſſolvere ſolent in ullo liquore vel jure ſive brodio ægrorum: imponantur una uncia & dimidia, pro ſingulis Sacchari libris: quod proportioni reſpondet, unius drachmæ pulveris, ad ſingulas Sacchari uncias. Aliorum verò pulverum qui non adeò jucundi ſunt, & qui partibus principalibus deſtinantur, & viſceribus, ſufficit una uncia pulveris, quod eodem redit, ac ſi duorum ſcilicet, ſcrupulorum pulvis, ſingulis Sacchari unciis reſpondeat. Eorum porro, qui per quam ingrati ſunt, & cum ægri ſint admodum delicati, quatuor ſufficiunt aut ſex drachmæ: Quod ad quantitatem requiſitam ad Electuaria mollia, alterantia, purgantia, vel Alexiteria attinet, de ea ſuo in loco diſſeremus. Cognitio uſus Electuariorum ad Medicum pertinet, non ad Pharmacopœum. Formam denique ſeu figuram, oblongam, rotundam, aut quadratam, arbitrio ejus relinquemus, qui ea componit, quando hoc nec diminuit nec auget facultatem compoſitionis.

Prima proportio obſervanda pulveris ad Sacchara in ratione Electuariorum.

De Pulveribus Aromaticis Electuariorum in ſpecie.

Pulvis Aromatici Caryophyllati. D. M.

℞. *Caryophyllorum, drach. ſeptem.*
Roſarum rubr. ab unguibus mundatarum unciæ ſemiſſem.
Glycyrrhizæ raſæ, & minutim conciſæ.
Trochiſ. Gallicæ Moſchatæ, utriuſque drach. duas.
Macis,
Zedoariæ,
Galangæ minoris,
Santali Citrei,
Trochiſc. Diarrhodon,
Cinnamomi,
Ligni aloes,
Spicæ Nardi,
Piperis longi.
Ambræ cineritiæ, &
Heyl. i. Cardamomi majoris, ſingul. drach. unam.
Folii Indi, ſeu Malabathri Græcorũ, &
Cubebarum, utriuſque, ſcrupulos duos.
Moſchi Orientalis, ſcrupulum dimidium. Fiat pulvis.

Syrupi de Citreo, quantum ſufficit, ſi Electuarium molle compoſiturus es: Si ſolidum Sacchari Aquâ Roſarum ſtillatitiâ ſoluti. q. ſ. fiat Electuarium in Rhombos.

Paraphraſis

Paraphrasis.

AUthor hujus pulveris est *Mesue*, ab eo describitur in prima parte, distinctione 1. sui Antidotarii. Nomen provenit à speciebus Aromaticis, ex quibus componitur; cognomen à Basi sua Caryophyllis positis in principio majorique in quantitate quam aliud quid. Calor eorum moderatus est, Rosarum ratione: siccitas Glycyrrhizæ: Tenuitas astrictione Nardi Indicæ, Santalo. & Trochis. Diarrhodon. Cinnamomum inditur ad resistendum putredini humorum, qui sunt in ventriculo; Piper & Cardamomum ad consumendos ibidem flatus, & in Intestinis: Mastichæ, Galanga & Macis ad corroborandum ventriculum. Trochisci Galliæ Moschate, Moschus & Ambra ad confirmandum Cor, Cerebrum & matricem: Folium, lignum Aloes, & Zedoaria, hîc etiam multum juvant: Santalum & Nardus Jecur fortificant.

Caryophyllus est flos quidam, non fructus secundum Garciam. Secundum alios est fructus [& non flos] cujusdam arboris, in Moluccis Insulis, crescentis.

Caryophyllus flos est (non autem fructus) arboris cujusdam desiccatus, quæ crescit in Moluccis Insulis. Qui plura scire volet, legat *Garciam* de *Horto*, (qui in orientalibus Indiis triginta annos versatus fuit) in libro quem de speciebus Aromaticis composuit.

De Mixtura, sive componendi ratione.

COnferre simul oportet, Santalum, Lignum Aloes, Zedoariam & Galangam: quibus simul cribellatis, adjicies Nardum Indicam concisam, Cinnamomum, Caryophyllos, Glycyrrhizam rasam & minutim incisam: Paulo post, adjunges Rosas, Cubebas, Folium, Piper, Cardamomum, i. Granum Paradisi & Macim, ut contundantur omnia simul, & per transversum cribrum ad hoc destinatum cernantur.

Seorsim conterantur Trochisci, Ambra & Moschus cum tantilla guttâ aquæ Rosaceæ: Deinde omnia simul permisceantur in mortario & conserventur in vitreo vase, duplici chartâ obtecto, ne virtus eorum aërea & superficiaria dispereat, ut in usum recondantur. Si tabulæ ex hoc pulvere conficiendæ sint: ad singulas pulveris uncias, sumatur libra una sacchari optimi soluti in aqua rosarum: cui ad perfectionem cocto, seorsim ab igne, & cum semirefrixerit, pulvis sensim & paulatim adjicietur cum bene permistus fuerit, pasta conjicietur super chartam candidam amygdala una perfricatam, & extensa pistillo ligneo itidem eadem amygdala perfricato, post dissecetur in Rhombos sive Lozengias, tabellasque quadratas in usum.

Dosis quæ nam esse debet, pulveris, ad quamque sacchari libram.

Quibus placet Electuarium molle conficere, loco sacchari, sumant syrupi de corticibus Citrii quantum videbitur, ad conservandas species: videlicet, pulveris tres uncias, ad singulas libras syrupi: sive conficiatur cum saccharo, vel melle despumato & ad perfectionem cocto, parum refert.

Pulvis Aromatici Rosati. D. Gabrielis.

℞. *Rosarum rubrarum drach. quindecim.*
Glycyrrhizæ rasæ drach. septem.
Cinnamomi optimi, drach. quinque.
Ligni Aloes, &
Santali Citrini, utriusque, drach. tres.
Gummi Tragacanthi, &
Arabici utriusque drach. duas, &
scrupulos duos.
Caryophyllorum,
Macis, utriusque drach. duas & semis.
Spicæ Nardi, drach. duas
Nucis Moscatæ,
Cardamomi majoris.
Galangæ minoris singul. drach. unam.
Ambræ cineritiæ scrupulos duos.
Moschi orientalis scrupulum unum.
Fiat pulvis. Sacchari aqua rosarum soluti, quantum sufficit: fiat electuarium.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

PUlvis hic descriptus est à *Mesue* loco prælegato, qui acceptum retulit Auctori suo, qui nomen illi imposuit Aromaticum, ob species Aromaticas ex quibus conficitur: qui etiam appositit illi cognomen *Rosatum*, ob Rosas in principio inditas, quæ locum obtinent Basis. Cætera omnia medicamenta illis addita sunt, tam ad fortificandam Basim, quam ventriculum, Cerebrum, Cor & alia viscera.

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimum concidenda sunt Santalum & lignum Aloes in taleolas, eaque validè in mortario conterenda. Dein adjicienda Glycyrrhiza rasa & concisa similiter, Nardus item Indica forficibus concisa. Omnibus semipulverizatis & cribratis, adjicientur Caryophylla, Cinnamomum, Galanga, Macis, Nux Moschata & Cardamomum: ac tum demum Rosæ rubræ, ab unguibus suis purgatæ.

Seorsim, in pulverem redigantur, mortario in calido cum pistillo itidem calido, Gummi tam Tragacanthum quam Arabicum, (Post ad justam & requisitam quantitatem ponderanda sunt) Ambra similiter & Moschus, facilè in mortario per se in pulverem reducentur, adjunctâ rosaceæ aquæ guttâ unâ. Hoc facto, pulveres simul omnes permisceri oportet in mortario, & diligenter conservari, uti in Pulvere præcedenti dictum est. Ad componendum Electuarium tam molle quam solidum, observanda est similis proportio pulveris ad Saccharum, sive Syrupus Rosatum simplex, vel de Citrio, ei quæ in præcedenti exposita est.

Pulvis Electuarii Diani si. D. M.

℞. *Seminis Anisi, drach. viginti.*
Glycyrrhizæ rasæ & incisæ,
Mastiches, utriusque unciam unam.
Seminum Carui &
Fœniculi,
Macis,
Galangæ tenuioris,
Zinziberis &
Cinnamomi: singul. drach. quinque.
Trium Piperum,
Calaminthes montanæ,
Pyrethri, &
Cassiæ lignæ aromaticæ. singul. drach. duas.
Heil. i. Cardamomi majoris (quia potentius minore, licet hoc magis sit aromaticum)
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Croci orientalis seu potioris, &
Spicæ Nardi, singul. drach. unam & semissem.
Sacchari albi, uncias duas.

Fiat pulvis, Melle despumato excipiendus, Si Electuarium molle compositurus es: Si verò Solidum, Saccharo.

Paraphrasis.

PUlvis iste a *Mesue* descriptus est in Antidotario suo: Distinctione prima, primæ partis. Basim constituit Anisum, unde nomen sumit. Facultas incidens, attenuans pituitam crassam, & consumens flatus, intenditur Cassiâ Aromaticâ, Cinnamomo, Cardamomo, Pyrethro, Seminibus, Zinzibere, Mace, Cubebis, Caryophyllis, Galanga, &c. Siccitas temperatur Glycyrrhizâ. Tenuitas, & facultas viscera laxans reprimitur astrictione Nardi Indicæ: Saccharum injicitur tam ad conservandas species, quam ad gratiores eas reddendas.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimum Contundendæ diligenter sunt radices: deinde, cortices, semina & fructus adjungenda, tandem Calamintha, Macis. Seorsim conterere oportet Ma-

ſtichen (cum aqua tantilla) & crocum: Poſt, permiſcenda ſunt omnia in mortario ut dictum eſt, & uſui recondenda.

Saccharum adjicietur, utendi tempore: Nam ſi initio ponatur, & conſervandus ſit pulvis poſt annum unum, ob humiditatem ſuam generabit vermiculos (ſicut etiam in Trochiſcis Caphuræ & de Diarrhodon) argumento ſatis certo putredinis. Qui voluerit Electuarium molle componere, quadruplum accipere debet, Mellis deſpumati & cocti: Sin verò in ſolidum, libram unam Sacchari ad ſingulas uncias pulveris ſumere juſtum eſt, ut dictum eſt in Aromatico Caryophyllato.

Pulvis Diacalaminthes. D. N. Myrepſi.

℞. *Calaminthes montanæ,*
Pulegii,
Piperis nigri.
Seminum ſeſeleos Maſſilienſis & Petroſelini, ſingul. drach. tres & ſcrupulos duos.
Libiſtici ſive Leviſtici drach. duas
Scrupulum unum.
Ameos,
Aniſi.
Summitatum Thymi,
Cinnamomi,
Zinziberis ſingul. Scrupulos duos.
Seminis Apii ſcrupulum unum.

Mellis deſpumati quantum ſufficit, ſi molle Electuarium, vel Sacchari, ſi ſolidum requiris.

Paraphraſis.

PUlvis hic, ita ut tranſcripſimus eum è *Nicolao Myrepſo Alexandrino* in primo libro Antidotorum, *Cap.* 105. omni ex parte receptior eſt & melior, quam vel ille *Galeni lib.* 4. de ſanitate tuenda, vel etiam eo, quem *Avicenna* & *Meſue*, nobis ſcriptis ſuis reliquerunt. *Salernitanus* adjicit plus Hyſſopi, & loco ſeminis Aniſi, ſubſtituit illud Anethi, & Leviſtici quatuor Scrupulos pro duabus drachmis, Scrupulo uno: In cæteris conveniunt.

Nomen accepit ſuum de Baſi, Calamintha poſita in principio: cujus, ut ait *Salernitanus*, uſus eſt a paſtu tantum, cum vini modico: vel, ad magnitudinem unius Auellanæ, cum Melle deſpumato, mixti: quod quia calidius eſt Saccharo, propter tenuitatem partium, hîc melius competit ad expellendos humores a centro ad circumferentiam. *Galen.* Quapropter, pulverem oportet eſſe valde ſubtilem, ob cauſas ſuperius expreſſas.

De Mixtura ſive componendi ratione.

OMnia ſimul pulverizanda ſunt in mortario, & ſubtiliter per ſetaceum tranſmittenda, miſcendaque cum quadruplo Mellis deſpumati, coquendaque in Electuarium molle, vel cum Saccharo, delicatioribus.

Hoc in loco præferenda eſt Calamintha Montana, aliis ejuſdem ſpeciebus a *Dioſcoride* deſcriptis, tantum multò omni ratione præſtantior.

Pulvis Electuarii Diambræ. D. M.

℞. *Cinnamomi optimi, vel Canellæ ſelectæ,*
Doronici vel (ſi mavis) Angelicæ aut Helenii,
Macis,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Folii Indi ſeu Malabathri Græcorum, &
Galangæ tenuioris. ſingul. drach. tres.
Santali Citrini,
Ligni Aloes, &
Piperis longi. ſingul. drach. duas.
Zinziberis, drach. unam & ſemiſſem,
Spicæ Nardi, &
Cardamomi majoris & minoris, ſingul. drach. unam,
Ambræ, aureum unum. i. ſcrupulos quatuor,
Moſchi drach. dimidiam. Fiat Pulvis.

Paraphraſis.

Paraphrasis.

HIc quem præ manibus habemus pulvis, nomen sumpsit suum de Basi Ambra: tanquam præstantissimo quod in se habet medicamento Aromatico. Cujus virtus sive facultas augetur Moscho, & aliis Aromaticis: quorum calor & tenuitas, temperantur per astrictionem Santali, ligni Aloes, & Nardi Indicæ.

Videtur mihi sententia *Platonis* in republicâ suâ & in Critone, vera esse dicentis, multorum opinionem non semper esse meliorem: sed sæpenumero unius solum, vel duorum. Quod nos ipsi experientiâ compertum habemus in historia Ambræ. *Actuarius* enim, & *Simeon* Græci: *Serapio* & *Avicenna* Arabes: pluresque Neoterici & hujus ætatis medici, illorum sectatores qui volunt esse, diversimodo à se invicem scripserunt, adeò ut nescias in cujus sententia, acquiescas: nisi extitisset *Garcia de Horto*, vir perdoctus & multæ lectionis, valdéque industrius & cupidus perquirendæ veritatis, non solum de Ambra, sed de pluribus aliis speciebus Aromaticis, quæ in Orientalibus Indiis proveniunt; qui summa cum diligentia sua per triginta annos illis in locis medicinam fecit (viditque maximam partem illius, quod nos in scriptis reliquimus) cuique uni fides potior habenda est, quam omnibus aliis conjunctim, qui præter auditum nihil habent, atque ideò confusè loquuti sunt. Ex eruditis hujus scriptis discimus nos, Ambram non esse sperma ceti dictam, vel quod Piscis quidam *Azel* in littus maris evomit: sed potius (quod verisimile est quantum judicare licet eo, quod importatur ad nos ex oriente & aliunde) terram quandam, raram, pinguem suâ naturâ fungosam & odoris expertem, quando colligitur aut reperitur in littore maris, ob humiditatem suam marinam, & superfluam; quâ demptâ, manifestè se prodit odor ille eximius, tantopere à medicis expetitus & suffitoribus, colórque ipsius terræ in qua crescit oritúrque. Magna illius vis, & quantitas reperitur in *Sofola*, parte *Æthiopiæ*, quam Maüri incolunt, usque ad *Brava*: sicut etiam in *Zeilan*, & in *Aquitania*: veruntamen quod reperitur in littore maris *Aquitanici*, non illic provenit crescitque, sed adfertur eò à locis supradictis per mare, quod undatim fluctuans, ad littus harum Insularum, subruit quid terræ: & per adversos ventos agitatum, pellitur ad alia littora, quemadmodum naturâ suâ fertur aliud quodvis excrementum. Ambra nigra nil valet: Candida verò adulteratur, ut plane videtur in *Avicenna*, *Lib.* 2. *Tract.* 2. & in *Serapione*, *Cap.* 196. libri sui de simplicibus: Grisea sive Cineritia commendatur ut bona. *Historia Ambræ.*

De Mistura, sive componendi ratione.

ORdo triturandi, miscendi & recondendi, quem observare debet Pharmacopœus, non differt ab eo quem ostendimus, in Aromatico Caryophyllato & Rosato præcedentibus, ad quæ recurrere licet, si commodum videbitur.

Pulvis Diacinnamomi. D. *Mesue.*

℞. *Darcheni, i. Cinnamomi selecti, drach. quindecim.*
Cinnami, i. Cinnamomi seu Canellæ crassioris, &
Inul. Campanæ utriusque drach. quatuor.
Galangæ tenuis drach. septem.
Caryophyllorum,
Piperis longi,
Cardamomi majoris & minoris,
Zinziberis,
Macis,
Nucis Moschatæ, &
Ligni Aloes, singul. drach. tres.
Croci drach. unam,
Nonnulli addunt, Moschi Orientalis, scrupulos duos, fiat pulvis.
Sacchari albi quantum sufficit: cum ele. lectuarium solidum eris compositurus.

Paraphrasis.

Serapion in libro de simplicibus *Cap.* 266. & ante eum Avicenna *lib.* 2. *Cap.* 27. (ante etiam Dioscorides & Galenus :) descripserunt, Cinnamomum sive Canellam & species ejus. Melius atque adeò optimum Cinnamomum, per Emphasim & sine additione Arabes appellarunt *Darcheni* : quod Persica lingua significat *Lignum Chinæ*, cum additione exprimunt speciem quam intelligi volunt : sicut *Mesue* fecit hoc in electuario, qui appellat bonam Canellam *Darcheni*, crassiorem verò Cinnami : Quare, qui transtulit textum *Mesuæi* Arabicum, Latinè, hoc in loco deceptus est, vertendo Cinnami (cognomen *Darcheni*) *Cimini* : præter mentem Auctoris : Atque hoc mihi ansam præbuit post *Fuchsium* demendi illud tanquam inutile, ad id quod promittit. *Garcias* in libro quem composuit de speciebus Aromaticis Indicis affirmat, quod Annales urbis *Ormus*, sive *Taprobanes*, memorant, olim appulisse in portum suum, uno eodemq; tempore quadringentas naves. Aromatibus onustas ductu mercatorum de *China*, quæ mercati essent tam in *Zeilan* & *Malavar*, quam in *Iava* : quorum major pars erat Canella : cujus una portio non æque proba erat, ac altera. Illa enim, quam emerant in *Zeilan* longè præstabat ei quam in *Malavar* & *Java* comparassent. Hæc autem differentia, non aliunde, quam ex bonitate & clementia soli, in quo sponte suâ nullâque arte crescunt hæ arbores. Atque hoc quidem confirmat *Plato* in *Timæo* suo, & experientia ipsa comprobat : videlicet, quod natura certis in locis, impertit plantis peculiare quid, quod alibi denegat. Incolæ *Ormus* obstupentes, cum vidissent eodem tempore tot naves, & tantam Canellæ vim, cujus alia pars melior esset aliâ : dum unam illius portionem coemerent, quæsiviisse ab hiis *Chinæ* mercatoribus, unde eam apportassent, & quo nomine illam appellassent : responderunt illi, quod nasceretur & cresceret in sua regione & in *Æthiopia*, de quibusdam arboribus sacris quarum una pars sepositа esset ad sacra Diis facienda, altera pro Rege, & reliqua pro Sacerdotibus, séque eam acquisiviisse ægrè & magna cum difficultate. Et sic, ut melius venderent suam Canellam, aliaque aromata, narrarunt illis mendacium pro veritate. Quod ad nomina, *Ormenses* appellabant (*Darcheni*,) Canellam, quam mercatores emerant in *Zeilan*, tanquam meliorem & præstantiorem, quæ ibidem fuit (nomine) scilicet quod significat *Lignum Chinæ*) sicut diximus : quam denominationem Arabes utpote (*Ormo* vicini) retinuerunt. Sicut videre est, in *Serapione* & *Avicenna*, loco præallegato. Isti Mercatores, vel Impostores potiùs cum non possent distrahere & divendere illic in *Ormo* merces omnes suas, videntésque quod pluris æstimata fuit Canella illa de *Zeilan*, quam altera in *Malavar* empta & *Java*, quod reliquum erat, comportarunt *Alexandriam*, quò *Græci* undique ab omnibus regionibus appellant ad mercandum & coemendum merces cujusque generis, usibus suis necessarias. Impostores isti cum deliberatum illis esset *Græcis* æquè ac *Ormensibus* illudere, aliud pro alio narrantes illis, varia nomina Canellæ imposuerunt pro ratione bonitatis ejusdem. Quod quidem illis facile factu fuit, distrahentibus scilicet, & divendentibus id quod *Græcis* antea incognitum fuerat. Atque ita quidam, præstantiorem Canellam appellarunt Cinnamomum, quod significat lignum odoratum, sive Amomum ab *India* petitum. Alteram verò minorem, *Caismavis*, nomine vulgari, à regione *Malavar* & de *Java* seu *Jaoa* ubi eam mercati sunt, quod nomen illis significat *Lignum dulce*, ex hiis duobus vocabulis Græci unum fecerunt : quod appellarunt Cassiam. Quod occasionem causamque præbuit, tam *Dioscoridi* & *Galeno*, quam Arabibus, & aliis qui post eos venerunt, opinandi, plures fuisse species Cinnamomi sive Canellæ & Cassiæ : errandíque, cum eos secuti fuerint. Hinc nos nostrique posteri debitores erimus & devincti *Garciæ*, quod nobis diligentiâ suâ exploratam fecerit historiæ veritatem. Quamobrem juxta illud quod anteà dictum est, tam in hoc Electuario quam in Antidotis, pro Cinnamomo, non accipiendum est Canellæ duplum, sicut *Galenus* primo *Libro* de *Antidotis* suadet, cum res una eadem sit, sed eligendum est optimum quod ubique conquiri possit & comparari.

Historia de Cinnamomo.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimum conterere oportet Lignum Aloës, radicesque Enulæ campanæ, Galangæ & Zinziberis: post adjungere unam alteramque Canellam, Caryophylla, Piper, Cardamomum, Nucem Moschatam & Macim: Hiis omnibus in pulverem redactis & cribellatis, Crocum per se in pulverem redactum adjicere. Ex hoc puluere cum Saccharo, componendum est Electuarium solidum, vel molle cum Melle despumato, ut docet *Mesue* ad usus. Hodie parum in usu est.

Pulvis Diagalangæ. D. M.

℞. *Galangæ tenuioris ex China allatæ, &*
Ligni Aloës, utriusque drach. sex.
Caryophyllorum,
Macis &
Keisim i. sem. Levistici, singul. drach. duas.
Zinziberis,
Macropiperis. i. Longi Piperis,
Piperis albi,
Cinnamomi, sive Canellæ selectæ, &
Calami Aromatici, singul. drach. unam & dimidiam.
Calaminthes siccæ,
Mentæ siccæ,
Heyl. i. Cardamomi majoris ex Serapione.
Spicæ Nardi,
Seminum Apii,
Fœniculi,
Carui &
Anisi, singul. drach. unam.

Fiat Pulvis. Sacchari albi (si Electuarium solidum) aut Mellis despumati (si Molle requiris) quantum sufficit. Fiat Electuarium, & Repone.

Paraphrasis.

BAsis est Galanga, posita in principio, ex qua hoc Electuarium accepit nomen. Cujus virtus perfertur ad Cerebrum, ope Garyophyllorum, Macis & Zinziberis: ad Pulmones, Calaminthæ: ad Hepar Nardi Indicæ & junci odorati sive Calami Aromatici: ad Renes, veficam & Matricem, Seminum. Reliqua sunt adjecta, ad roborandum ventriculum, & corrigendam intemperiem suam frigidiorem, auxilio aliorum, incidendo & attenuando pituitam ibidem retentam, uti & resolvendo flatus, sive vapores crassos. Duas habemus Galangæ Species: majorem unam, sed minorum virium, quæ abunde provenit in *Java* seu *Jaoa*, & in *Malavar*: Alteram, parvam, quæ præstantissima est; hîc & alibi requisita: crescitque in *China*, amplo & opulento regno: unde apportatur ad *Indos*, in *Lusitaniam*, & ad nos. Alii (sed male) arbitrantur Cyperum esse Babylonicum: quoniam adfertur, tam a grandi *Cairo* Ægypti, quam è Syria, *Venetias*, & inde *Massiliam* & *Lugdunum*: quod etiam odore & figura, refert plurimum dictum illum Cyperum: nisi quod acrior gustu sit, & rubentior. Non perferuntur ad nos radices integræ, sed incisæ. Incognitus fuit, Antiquis *Græcis*: non autem *Actuario* & *Serapioni*. *cap.* 332.

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimo in ordine Triturationis, ponenda sunt, Lignum Aloës, Radices & Cortices, in secundo, semina & fructus, in Postremo, Herbæ & Macis. Pulvis non nimium subtilis esse debet, sed mediocris. Servandus est, ut ante diximus, ad usum, in Saccharo, si solidum Electuarium sit conficiendum: sin verò molle, in Mellis despumati quantitate sufficienti, si hoc requiratur.

Pulvis Diarrhodon Abbatis. D. N. Salernit.

℞. *Rosarum Rubrarum ab unguibus mundatarum, &*
Sacchari Crystallini, utriusque unciam unam, drach. tres.

Santalorum

Santalorum albi & rubri, utriusque drach. duas & Semi.
Gummi Tragacanthi & Arabici.
Spodii. singul. scrupulos duos.
Asari, ℈i
Spicæ Nardi,
Mastiches,
Cardamomi,
Croci,
Xyloaloes, i. Ligni aloes,
Caryophyllorum,
Trochiscorum Galliæ Moschatæ,
Cinnamomi seu Canellæ selectæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Rhabarbari, vel potius Rhapontici,
Seminum Anisi,
Fœniculi,
Ocimi. i. Basiliconis
Berberis,
Intybi, seu seriolæ,
Portulacæ,
Papaveris albi,
Quatuor seminum frigidorum majorum mundat. singul. scrupulū unum.
Ossis è Corde cerui, &
Margaritarum, utriusque scrupuli semissem.
Caphuræ grana septem (vel hujus loco tantundem florum *Violarum*, vel *Nenupharis*, quia Caphura ingrati est Saporis.)
Moschi grana tria & dimidium. Ex arte fiat Pulvis.
Sacchari albi aqua rosarum soluti q. s. fiat Electuarium.

Paraphrasis.

Salernitanus hanc Descriptionem mutuatus est a *Nicolao Myrepso Alexandrino: Primo de Antidotis, cap.* 94. qui adjecit ei plura utpote Corallii, Chrystalli, Seminum Lactucæ & Mandragoræ, cujusque scrupulum unum: quæ *Salernitanus* ut superflua detraxit. Author illius est *Abbas* quidam sive Præses, vel *Cancellarius* alicujus Universitatis sive Academiæ non nominatus: qui indidit ei nomen de Basi, Rosis scilicet, a Græcis *Rhodos* & *Rhodon* dictis; positis a nobis in principio, & à *Nicolao* in fine. Virtus ejus Gastrica intenditur per Mastichen, Canellam & Lignum Aloes: Hepatica per Nardum Indicam, Spodium, Berberim, Scariolam & Santala: Cardiaca, per Trochiscos de Galla Moschata, Caryophylla, Ocymum, Margaritas, Os de Corde Cervi & Moschum. Facultas ejus perfertur ad renes & vesicam, per Semina & Cardamomum: ad Pulmones, per Succum Glycyrrhizæ, & Saccharum candum: utcunque alii arbitrati sint Saccharum * Candum impositum esse ad species conservandas, quod liquidò falsum est.

* Sive Crystallinum.

Quod non ita sit, cum in una parte pulveris, Sacchari Candi quid sit, & non in altera: & quod hæc duo imposita sint similes in ollas & obturatas peræquè ambas, consimilique modo servatas, intra unum annum, videre licet illam in qua Saccharum illud positum fuit, plenam aranearum & vermiculorum, certo argumento putrefactionis: In altera verò olla nihil omnino. Quod demonstrat, Saccharum illud Candum immissum fuisse pulmonum gratiâ, & non ad specierum conservationem. Mea opinio est, quod imponeretur, quando præsens usus postulat: & non citius, ob causas tractatas: & quod loco Rhabarbari sumptum fuit Rhapontícum. Quoniam agitur hîc de corroborando, & non depurgando viscera, cui intentioni melius est quam Rhabarbarum. Atque hoc quidem correspondet opinioni Avicennæ in libro quem composuit de cordis facultatibus. *Tract.* 2. *& cap.* 2. ubi consultò & seriò prohibet, mixtionem Cardiacorum cum Catharticis, nisi sit ad detrahendum hepati & cordi, bilem & pituitam in iis collectam: quod idem ipse *Avicenna. lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 4. curam tractans tremoris & palpitationis cordis præcalidi, docet, sed hîc non est eadem ratio. Quibus non est copia parandi verum Rhapontícum, accipiant subsidentiam sive fœculentum illud quasi magma Rhabarbari, expressum de quocunque medicamine & desiccatum, cui vis purgans sublata est. Gummina, Succus Glycyrrhizæ & semen papaveris adduntur ad *contemperandum calorem, & tenuitatem calidorum medicamentorum* & subtilium. Caphura inditur, ut tenuitatem partium promoveat, & penetrare faciat basim expeditius: cui etiam sufficiunt alia medicamenta calida quæ ingrediuntur. Cujus

loco

loco (quod illius odor ingratior est multis ægrotis) indatur æquale pondus florum Violarum, vel Nenupharis: atque ita compositio non erit invalidior, sed contra valentior.

De Mistura sive componendi ratione.

FIeri imprimis debet valida contusio in æneo mortario, Santalorum & Ligni Aloes, dein adjungatur Asarum & Nardus Indica forcipe incisa, Canella Caryophylla, & semina suis à pelliculis mundata, præsertim illis Melonum, Cucumeris, Cucurbitarum & Citrullorum: quæ unctuositate sua obsistere possint pulveris exhalationi: Pòst, os de corde Cervi limatum, vel minutim incisum. Postremò Rosæ, Cardamomum, & Glycyrrhizæ succus. Seorsim contundenda sunt in mortario & pistillo calidis Gummina: sed post ponderanda sunt, decidui causa inter contundendum: Spodium itidem & Mastiche (adhibita una gutta aquæ) Crocus, Trochisci Galliæ Moschatæ, Rhaponticum (vel sedimen seu fœx Rhabarbari) saccharum candum (si in præsenti utendum eo sit) Caphura, Moschum & Margaritæ in marmoreo mortario, vel super Porphyritem, cum parvula mola. Quod cum factum sit, pulveres sensim, permisceantur simul in mortario, & recondantur in olla vitrea obturata & tecta papyro duplici sive Pergameno humecto: ad tabulas componendas cum saccharo de Madera soluto in aqua Rosacea, quando tempus requirit.

Pulvis Xyloaloes. D. M.

℞. *Ligni Aloes crudi ex India allati, & Rosarum rubrarum utriusq; unc. unam.*
Caryophyllorum,
Spicæ Nardi,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Trochiscor. Galliæ Moschatæ,
Cubebarum,
Cardamomi majoris & minoris,
Mastiches,
Cinnamomi seu Canellæ selectæ,
Cyperi,
Schenanth. i. floris Junci odorati,
Zedoariæ,
Radicum Behen Rub. cujus penuriâ sume Radicem *Buglossi:*
Behen albi, cujus loco sume *radicem Boraginis,*
Folii Indi, seu Malabathri Græcorum,
Serici crudi,
Margaritarum,
Corallii rubri,
Succini, seu Electri Græcorum, *seu Karabe* Arabum,
Foliorum Citrii siccorum,
Corticum Citrii,
Alfelengemisc. i. Sem. Ocimi Caryophyllati,
Sampsuchi, i. Majoranæ,
Sisymbrii aquatici, seu Mentæ aquaticæ,
Mentæ siccæ,
Piperis longi, &
Zinziberis, singul. unciam dimidiam,
Moschi orientalis, scrup. unum.
Ambræ cineritiæ, drach. unam & dimid.

Fiat pulvis usui reponendus. Cum electuarium molle compositurus es, Excipe Mella conservationis Myrobalanorum Emblicarum, & Miva Aromatica. Si vero solidum in Rhombos, Saccharo aqua Rosarum stillatitia soluto, excipiatur.

Paraphrasis.

ELectuarium hoc Nomen acceptum fert Basi suæ, Ligno Aloes, *Græcis* dicto Agallochum, & Xyloaloes: cujus facultas cardiaca & hepatica, augetur aliis medicamentis Aromaticis, incidendo & attenuando pituitam crassam: quæ frigiditate sua multum talia viscera refrigerat. Rosæ imponuntur ad moderandum eorum calorem. Radices Buglossi & Boraginis (vice Behen albi & rubri, quæ hodie pro veris accipiuntur sine odore & virtute) ad corrigendam eorum siccitatem. Mastiche, Corallium, & Carabe astrictione sua obstant tenuitati eorum & retinent ea in ventriculo, ut ipse roboretur, & eorum virtus diutiùs permaneat.

De

De Mixtura, sive componendi ratione.

PRimum contundi debet Lignum Aloes: Dein adjiciendæ sunt radices Cyperi, Zedoariæ, Bugloſſi & Boraginis (quæ vicem ſupplent Behen albi & Rubri:) Nardus Indica inciſa, cortices Citrii & Canella Zinziber & Caryophylla. Poſt Cubebæ & Schœnanthos, Cardamomum, Piper, Macis, Nux Moſchata, Folium, Semina & herbæ; Poſtremò Roſæ ſuis ab unguibus purgatæ, & ſiccatæ. Contrita omnia & cribellata, ſerventur in papyro. Poſtea minutiſſimè concidatur Sericum crudum, quod, in mortario marmoreo, cum piſtillo metallico, conteratur unà cum Margaritis, Corallio rubro, & Carabe facillimè ſine humiditate: ſicut *Meſue* ſcriptum reliquit *Cap.* 28. *Lib.* de Simplicibus: ut non opus ſit illud torrere aut urere ut reducatur in Pulverem: Nam hoc modo, emittit virtutem Cardiacam hîc requiſitam & calorem acquirit alienum & viſceribus nocivum.

Ratio pulverizandi Sericum, ſine torrefactione.

Seorſim pulverizare oportet Trochiſcos Galliæ Moſchatæ, Maſtichen (ut ſupra dictum eſt) Ambram Griſeam & Moſchum. Quo facto, ſenſim & paulatim pulveres omnes permiſcendi ſunt, mortario in marmoreo, & recondendi in olla ſua vitrea bene contecta, ad uſus.

Qui compoſiturus eſt electuarium ſolidum, ſaccharum ſolvendum ei eſt in aqua Roſarum, & coquendum: ad quod pro ſingulis libris ſacchari, diſſolvenda eſt uncia una pulveris. Si verò placet Electuarium molle, pulvis remiſcendus eſt cum quadruplo mellis, in quo Myrobalani Emblicæ, vel Cepulæ conditæ ſunt, vel cum Gelatina, ſive Miva Cydoneorum aromatizata, ſicut dictum eſt ſuperius in ſectione ſecunda, æqua portione unius & alterius, ut *Meſue* docuit.

De Ligno Aloës.

Per *Agallochum*, ſive *Xyloaloen*, ſeu Lignum Aloes crudum, Meſue intelligit exquiſitiſſimum quale apud *Indos* creſcit, ſpoliatum humiditate ſua ſuperflua, ſive quod inhumatum fuerat per totum annum. (Sicut ait *Serapion* in *libro* de *Simplicibus Cap.* 197. & *Simeon* inter noviſſimos *Græcos* qui ſcripſerunt) ſive non, haud enim refert: quandoquidem odor illius conſiſtit, non in cortice, nec ligno, ſed in ipſius corde, uti *Garcia* dicit. Similiter crudum poterit intelligi illud, quod non ad torrentes & rivos *Indorum* apud quos arbor creſcit diutiùs hæſit ſubſtititque: qui inundare cum ſoleant trahunt ſecum aliquot ramos ejuſdem in *Gangem*, & in locos vicinos, quorum aquæ ob ingentem ſolis calorem quem efficit hiis in locis, in quibus lignum perſiſtens acquirit coctionem quandam, & odorem ſuum virtutémque amittit. Bonum Agallochum rarum eſt, & hodie percarum, præſertim ſi omnes habeat notas, quas *Dioſcorides lib.* 1. *cap.* 21. & *Serapion* illi attribuunt. Quo tempore *Chriſtiani* tenuerunt *Rhodon*, milites opportunitatem habuerunt parandi verum hoc Lignum: ex quo fecerunt ſibi Coronas, ob ſuavem illius odorem, quas ad cognatos ſuos miſerunt. Nunc voro dierum, amiſſo *Rhodo*, amiſerunt ſimul facultatem omnem verum illud Lignum Aloes recuperandi.

Pulvis Diatrion Piperon. D. Galeni.

℞. *Trium Piperum, Singul. drach. quinquaginta.*
Zinziberis,
Comarum Thymi cum flore,
Seminis Aniſi, ſingul. drach. octo. Fiat pulvis uſui reponendus, vel excipe Melle deſpumato, ſi Electuarium molle componere cupis.

Paraphraſis.

AUthor eſt *Galenus lib.* 4. de *Sanitate tuenda*, qui alias deſcriptiones conſimilis nominis rejicit, quod componerentur ex ingenti numero medicamentorum quibus minimè opus erat. *Baſim, conſtituunt tria* Piperis genera, poſita in principio, unde nomen ſumpſit hic pulvis: quorum virtus inciſiva, attenuativa & conſumptiva (flatuum) per cætera augetur: utendum eo eſt, corpore ante purgato.

Hiſtoria de Pipere.

Tres Piperis ſpecies non in una ſolum arbore creſcunt (quemadmodum ex audito

dito habuerunt *Dioscorides lib. 2. cap. 150. Gal. lib. 8. de Simplicibus.* Et *Plin. lib. 12. cap. 7.* Sed in tribus: sicut etiam *Garcias de Horto* in libro prælegato testatur. Verum quidem est, quod arbores quæ producunt Piper album & nigrum, adeò consimiles sunt, ut distingui non possint nisi quando fructus earum maturus est, vel ab ipsis illius loci incolis, qui solent eas arbores curare: sicut vitem etiam quæ uvam fert albam, ab ea quæ producit nigram ægrè distinxeris. Quod ad has arbores attinet, quæ longum profert Piper, omninò dissimilis est aliis, quæ producunt vel album vel nigrum: & in regione admodum dissita provenit: nam quæ album & nigrum ferunt affatim crescunt in regione *Malavar* & Insulis adjacentibus, *Java, Sunda, Cuda*, aliisque in locis maritimis, non autem in monte *Caucaso*, ut scribit *Plinius*: quantum autem mons hic, ab hiis regionibus distet, licet cuique ex Topographia perspicere. Piper longum provenit in *Bengala* regione à *Malavar* quingentis leucis remota. Vulgus *Indorum* & *Italorum*, arbitrantur, & malè quidem, Piper refrigerare, quantumvis calidum sit & siccum in tertio gradu. Piper longum non tam diu durat, quam album & nigrum: idque ob superfluam quandam, qua scatet humiditatem. Album acrius est, quam vel nigrum vel longum, utiliúsque stomacho. *Galenus lib. 9. de medicamentis secundum locos.*

Pulvis Rosatæ Novellæ. D. N. Myrepsi.

℞. *Rosarum rubrarum,*
Glycyrrhizæ,
Sacchar. (Salernitano) *singul. drach. novem, scrupulos duos & semissem:*
Cinnamomi drach. duas scrupul. duos & grana duo cum Salernitano.
Caryophyllorum,
Spicæ Nardi,
Galangæ tenioris ex China *ad nos allatæ,*
Zinziberis,
Zedoariæ,
Nucis Moschatæ,
Styracis Calamites,
Cardamomi &
Sem. Apii. singul. scrupulum unum & grana octo.
Sacchari aut Mellis Attici quantum sufficit.

Fiat Electuarium solidum aut molle, utendi tempore: vel Pulvis usui reponatur.

Paraphrasis.

NIcolaus *Myrepsus Alexandrinus*, describit hunc pulverem in *primo Antidotorum libro cap.* 204. qui retinuit apellationem Latinam, anteà illi impositam, (de nomine Basis suæ, *Rosatæ*. Cognomen verò (*Novellæ*) appositum fuit ei (quod *Salernitanus* scripsit) ut innuat posteriorem fuisse hunc pulverem alteri, qui recipit Sulphur vivum. Dici etiam fortasse possit, ita cognominatum fuisse, quod calore suo corrigat intemperiem viscerum frigidam, pulmonum scilicet, cordis, ventriculi & hepatis, incidendo, attenuando & detergendo crassam pituitam quam per urinæ viam ducit: Atque hac ratione visceribus illis in priorem statum reductis, ægri nativum calorem recipientes, videri possunt renovari & rejuvenescere. Saccharum & Glycyrrhiza adhibentur ad corrigendam siccitatem medicamentorum Aromaticorum, & eorum virtutem conservandam.

De mixtura sive componendi ratione.

IN Triturationis principio, imponendæ sunt radices Galangæ & Zedoariæ cum Glycyrrhiza rasa & incisa: uti etiam Nardus Indica & Zinziber: dein, immittenda sunt Canella, Caryophylli, Nux Moschata, Cardamomum Apium & Rosæ: Seorsim Saccharum candum (si quis statim uti velit, sin minus, omittendum est, modò requiratur ut pulvis diu perduret & conservetur) & Styrax Calamita, cum aliquot aquæ guttulis, ac unà cum pulveribus hisce omnibus permisceri oportet in mortario: Tum recondatur in ollam usu ineccessario servandum.

Pulvis Electuarii Ducis. D. N. Salernitani.

℞. *Seminis Aniſi drach. duas & grana ſexdecim,*
Glycyrrhizæ recentis raſæ & minutim conciſæ,
Maſtiches, utriuſque ſcrupulos duos & grana quinque,
Chamædryos,
Zinziberis,
Cinnamomi,
Galangæ tenuioris, qualis ex China *adfertur,*
Seminum Fœnicul. &
Carui ſingul. ſcrup. unum, grana quindecim
Dauci Cretici,
Amomi (hujus defectu, Acori veri)
Xylocaſſiæ. i. Caſſiæ Ligneæ Aromaticæ,
Calaminthes montanæ,
Pyrethri,
Piperis albi & longi,
Schœnanthi,
Ireos,
Folii Indi ſeu Malabathri Græcorum, *&*
Aſari, ſingul. ſcrupul. unum.
Spicæ Indicæ.
Croci,
Gummi Arabici &
Tragacanthi,
Calami Aromatici Officinarum *ſcilicet, loco veri,*
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Carpobalſami (hujus penuria ſume *ſemen Lentiſci,* Pena.)
Baccarum Iuniperi,
Cardamomi,
Seminum Anethi,
Leviſtici ſeu Liguſtici, vel Lybiſtici,
Hippoſelini Dioſcor. *vulgò* Alexandri *dicti,*
Sileris montani,
Aſparagi,
Citrij,
Ameos,
Urticæ,
Ocimi. i. Baſiliconis,
Milij ſolis ſeu Lithoſpermi Græcorum,
Saxifragiæ.
Quatuor ſeminum frigidorum majorum mundatorum à cortice,
Seriolæ,
Petroſelini,
Radicum Pentaphylli,
Acori veri, ſeu Calami aro. officinarum,
Rhabarbari,
Rhapontici,
Behen albi, hujus loco ſume *Radicem Bugloſſi,*
Behen rubri, hujus loco ſume *Radicem Boraginis.*
Nucis Myriſticæ. i. Nucis Moſchatæ,
Ligni Aloes &
Styracis Calamitæ, ſingul. grana quindecim.
Penidiorum, unciæ ſemiſſem, ſcrupulos duos & ſemiſſem.

Fiat pulvis uſui reponendus, vel Melle Attico deſpumato excipiendus, in Electuarium molle: Aut Saccharo albo pro delicatioribus, in Electuarium ſolidum.

Paraphraſis.

HOc Electuarium compoſitum fuit à quodam *Abbate* vel *Cancellario* Univerſitatis ſive Academiæ alicujus, celebri in re Medica Practica, in gratiam *Rogeri* cujuſdam *Ducis Povillæ. i. Apuliæ,* & *Calabriæ,* filii *Roberti Guiſcardi,* Regis *Siciliæ,* qui regnavit *Anno* 1088. *Urbano* ſecundo *Papa* ſedente: quo tempore *Godefridus de Bologna* profectus eſt ad conqueſtum *Terræ Sanctæ:* ubi aderat *Tancredus* filius dicti *Rogeri:* qui laboravit non uno ſolum morbo, ſed pluribus: videlicet, cruditate & ventoſitate ſtomachi & inteſtinorum, Ileo ſive Iliaca paſſione & calculo renum: à quibus evaſit ſanatus ope hujus Electuarii (cauſâ prius remotâ antecedente) quod anſam præbuit *Salernitano* ſtudioſo Boni & commodi Poſteritatis, redigendi hanc deſcriptionem in Antidotarium ſuum, ut cuique uti liceret conſimili in caſu.

De

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimo in ordine Triturationis, locum habeant Lignum Aloes, Radices & Cortices: in secundo, semina & fructus: in tertio herbæ & flores. Per se pulverizanda sunt Gummina, in mortario cum pistillo, calidis utrisque, antequam ponderantur: Mastiche & Styrax Calamita cum quadam aquæ gutta: Crocus & Penidia deficcata. Post hæc, omnino permiscenda sunt in mortario, & usui reponenda: vel ex illis & quadruplo Mellis despumati, componatur Electuarium Molle, quo uti licet.

Diaireos simplex. Incerti Authoris.

℞. *Iridis Illyricæ aut Florentinæ, unciam dimidiam, Pulveris Electuarii Diatragacanthi frigidi, & Sacchari chrystallini, utriusque drachmas duas. Fiat Pulvis, usui reponendus, vel excipiendus aqua Tussilaginis, vel Scabiosæ soluta, in Electuarium cum Sacchari albissimi, libra una.*

Paraphrasis.

DE Authore hujus Electuarii nobis non constat: Cujus Basis est Iris Illyrica vel Florentina, defectu Illiricæ; Color ejus, temperatur pulvere Diatragacanthi, & siccitas Saccharo candito, sive Crystallino.

De mixtura sive componendi ratione.

PUlverizari oportet Iridem & Saccharum canditum seorsim: dein permisce cum Pulvere Diatragacanthi noviter præparato: ac tum usui recondatur. Ad hanc pulveris quantitatem, sumenda est libra una Sacchari *Maderensis* admodum candidi, quod solvi debet in aqua scabiosæ vel ungulæ Caballinæ (vel alterius consimilis,) ad formam Electuarii: quod seorsim ab igne cum pistillo ligneo in authepsa, commovebitur, & candidum reddetur ovi albumine: deinde adjicietur pulvis, ut ex ea pasta extensa super unum folium papyri cum pistillo vel spatula, formentur tabellæ quadratæ, drachmæ unius ponderis, recondendæ in loco sicco in tempus necessitatis.

Pul. Diaireos Salomonis. D. N. Myrepsi.

℞. *Iridis Illyricæ aut Florentinæ unciam unam.*
Pulegii,
Hyssopi, &
Glycyrrhizæ, singul. drach. sex.
Caricarum pinguium,
Carnis Palmularum, i. Dactylorum, &
Passularum Enucleatarum sing. drach. tres *& semissem.*
Gummi Tragacanthi,
Amyli (hoc prætermisit Salernitanus)
Cinnamomi,
Zinziberis,
Piperis,
Amygdalarum dulcium, &
Nucleorum Pinearum sing. drach tres.
Styracis rubri (Calamita ad omnia efficacior) *drach. duas scrupulum unum.*

Fiat pulvis, qui Mellis Attici aut Sacchari quantitate sufficienti aptetur in Electuarium, usui reponendum.

Paraphrasis.

PUlvis hic primò compositus fuit à medico quodam nomine *Salomone*: & à *Nicolao Myrepso* transcriptus, in *primo libro de Antidotis, Cap.* 103. Basim constituit radix Iridis unde nomen accepit. Facultas ejus emolliens augetur per Sty-

racem, detergens per Amygdalas, pineas, paſſulas & Carycas. Herbæ, Canella, Zinziber & Piper adhibentur ad incidendas, & attenuandas materias craſſas & viſcoſas in pectore & Pulmonibus contentas: Siccitas quarum partium temperatur per Glycyrrhizam, Tragacanthum & Amylum: Ingens tenuitas cohibetur, per aſtrictionem Dactylorum. Saccharum aut Mel imponuntur ad conſervationem & formam efficiendam.

De Mixtura, ſive componendi ratione.

IRidi contuſæ, adjici debent Glycyrrhiza mundata & inciſa: Poſt Zinziber & Canella: Deinde herbæ, Amygdalæ, Pineæ & Piper, ut omnia pulverizentur & ſubtiliter per cribrum tranſmittantur. Palmulæ mundatæ, Carycæ pingues, & Paſſulæ exacinatæ contundentur in mortario marmoreo piſtillo ligneo, & trajiciantur per cribrum ſive ſetaceum inverſum cum ſpatula, tum ſeorſim pulverizanda ſunt Amylum, & Styrax Calamita, (potius quam rubra, quæ in officinis reperitur, indigna quidem ut ingrediatur compoſitiones, interioribus partibus deſtinatas) & Gummi Tragacanthi, ſicut ſæpius dictum eſt. Poſt hæc, Fructus, paulatim cum pulvere deſiccetur, concutiendo ſeu perfricando & non ictibus piſtilli tundendo, ut omnia ſimul recondantur: vel miſceantur cum ſufficienti quantitate mellis albi vel Sacchari, in electuarium molle aut ſolidum, juxta mandatum Medici, pro commodo ægrorum, tenendo doſim convenientem.

Pulvis Diatragacanthi frigidi. D. N. Myrepſi.

℞. *Penidiarum uncias tres.*
Gummi Tragacanthi albiſſimi, uncias duas.
Arabaci drachmas decem,
Amyli unciam dimidiam.
Seminum papaveris albi, drach. tres.
Quatuor ſeminum frigidorum majorum mundatorum,
Glycyrrhizæ recentis raſæ & minutim inciſæ, ſingul. drach. duas.
Caphuræ ſcrupul. dimidium.

Fiat pulvis uſui reponendus: vel fiat Electuarium, cum Saccharo albo, quod uſui reponetur.

Paraphraſis.

FLectuarium hoc nomen traxit de Baſi ſua Gummi Tragacanthi. Cujus facultas incraſſans augetur per Gummi Arabicum, Amylum & Semen Papaveris: utcunque *Myrepſus* memorat, ſemen urticæ præcipuum in expurgando pituitam craſſam & lentam viſcoſámque è pulmonibus, teſte *Galeno* ipſo *lib. 6.* de *Simplicibus*: ut & ſemen Papaveris albi ad incraſſandam pituitam tenuem, quæ à Cerebro fluit ad Pulmones: Ego tamen cum *Salernitano* detraxi ſemen illud urticæ, quia totam compoſitionem admodum ingratam facit & malè coloratam: retinui autem alterum papaveris, quamvis nec *Salernitanus*, nec qui eum ſequuntur, mentionem illius faciunt ob cauſam ſupradictam. Caphura imponitur in parva quantitate, quoniam injucunda eſt, & tenuitas partium ſufficit, cum auxilio ſeminum frigidorum, ad promovendam penetrationem frigoris in Baſi incraſſantis, quod ex ſe non valebat efficere. Glycyrrhiza inditur ad detergendam materiam in pulmonibus contentam, Saccharum, ſaporem commendat, & cæterorum virtutem conſervat.

De mixtura, ſive componendi ratione.

GLycyrrhizam raſam & inciſam unà cum ſeminibus papaveris pulverizare oportet. Seorſim Amylum, Caphuram, & Penidia. Gummi Tragacanthæ, & Arabicum, ſingula per ſe in pulverem redigenda ſunt, in mortario æneo calido prius quam ponderantur, decidui cauſa. Quatuor ſemina frigida, ſuis exuta pelliculis, quam minutiſſime concidenda ſunt ſupra papyrum candidam, cultro ſutorio:

sutorio: Deinde in Mortario, subtiliora denuò facienda sunt cum Gummibus, Amylo & Penidiis deliccatis, & pulvere qui supereſt, ut omnia usui reponantur. Qui cupiunt pulverem diu conservare, non debent adjicere quatuor semina frigida, ac neque papaveris quidem nisi utendi tempore: quoniam intra tres menses sequentes rancidus fit, adeoque ingratus, ut ægri non sustineant uti. Quod nequaquam adveniet, si tunc demum adjungantur cum usus postulat. Totus pulvis septem uncias continet & semiscrupulum. Semina illa frigida & papaveris efficiunt undecim drachmas: scilicet, pro singulis pulveris unciis, viginti grana & dimidium cujusque seminis frigidi, sive 82 grana quatuor seminum, assignando drachmæ 72 grana, vel 24 cuique scrupulo, & seminum Papaveris 30 grana & dimidium, cuique Pulveris unciæ. Tabulæ autem conficiendæ sunt eodem modo quo dictum est a nobis in Diaireos Simp.

Consitium per necessarium.

Pulvis Diapenidion. D. N. Salernit.

℞. *Penidiorum, uncias duas & drach. semissem.*
Nucleorum Pineorum,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Zinziberis, } Hæc tria prætermitti possunt.
Succi Glycyrrhizæ,
Gummium Tragacanthi & Arabici,
Sem. 4. frigidorum majorum mundatorum &
Amygdalarum dulcium mundatarum,
Sem. Papaveris albi. singul. drach. tres & scrupul. unum.
Amyli, singul. drach. unam & semiss. sem.
Caphuræ, scrup. unius tertiam partem, seu grana octo.

Fiat Pulvis excipiendus Saccharo aqua Violarum stillatitia soluto & cocto in Electuarium.

Si Cinnamomum, Caryophylla & Zinziber addantur: Diapenidion cum speciebus nuncupabitur. Sin vero prætermittantur, Diapenidion sine speciebus nominabitur.

Paraphrasis.

S*Alernitanus* mutuo accepit hanc descriptionem a Myrepso, in *primo libro Antidot. cap.* 47. mutando dosim tantum & non medicamenta. Basis hujus Electuarii sunt Penidia, unde ascivit sibi nomen. Quorum incrassans vis augetur per Gummina, Amylum, & semen Papaveris: Detergens per Pineos nucleos, Amygdalas dulces, & Glycyrrhizæ Succum: Semina & Caphura adjiciuntur, ad perducendam eorum virtutem ad Pulmones, ratione tenuitatis partium suarum. Canella, Caryophylla & Zinziber, ad incidendum & attenuandum pituitæ lentorem ibidem contentæ: Si hæc tria absint, Electuarium hoc appellabitur Diapenidion sine speciebus: sin verò adsint, nominabitur Diapenidion cum speciebus.

De Mixtura sive componendi ratione.

PUlverizanda sunt imprimis Canella, Caryophylla, Zinziber, Succus Glycyrrhizæ, & Semen Papaveris. Super chartam incidendæ sunt Pineæ, Amygdalæ & Semina (suis a pelliculis mundata) quam minutissimè, idque cultello vel cultro sutorio: Post, subtiliorem in substantiam rursum redigenda sunt, cum penidiis deliccatis, Amylo, Gummibus pulverizatis, ut supra sæpius diximus, aliisque pulveribus. Caphura verò per se pulverizanda est, Post, id faciendum est, quod uterque *Nicolaus* docuit: scilicet, ut in una libra aquæ parum bulliant violarum recentium tres unciæ, donec tincta sit aqua. In Colatura incoqui debet uncia una Sacchari purissimi ad perfectionem. Dein authepsa ab igne remotâ, dissolventur in ea paulatim pulveres, & in fine Caphura. Mixtura cum refrixerit usui recondatur.

Pulvis

Pulvis Dia Hyssopi. D. N. Salerni tani.

℞. *Hyssopi siccæ,*
Radices Ireos,
Melanopiperis. i. Piperis nigri, &
Thymi. singul. drach. triginta.
Glechonis. i. Pulegii.
Thymbræ. i. Satureiæ.
Pegani. i Rutæ, &
Cymini, singul. drach. viginti,
Carnis Dactylorum,

Tragacanthi, } Hæc duo adduntur a *Nicolao Præpositο*, quæ non reperiuntur in
Glycyrrhizæ, } codice *N. Salernitani.*

Caricarum pinguium
Passularum enucleatarum &
Seminum Marathri. i. Fœniculi, singul. drach. decem.
Anisi,
Carvi,
Leviστici, seu Liguστici.
Zinziberis, singul. drach. quinque.

Fiat Pulvis ex arte, Melle excipiendus in Electuarium molle.

Paraphrasis.

QUatuor illa medicamenta, in principio posita, Basim constituunt, Nihilominus ab Hyssopo solo pulvis hic appellationem acquisivit: Propterea quod in aliis præcedentibus, tam Iris quam Piper nominata sunt. Quorum facultas incisiva & attenuans, augetur per herbas & Zinziber: detergens per Caricas, & Passulas pingues: Calor, asperitas & siccitas temperantur per Gummina & Glycyrrhizam. Dactyli astrictione levi sua pectus corroborant & pulmones. Semina consumunt flatus in ventriculo & intestinis: perferuntque ad urinæ meatum, materiam incisam & detersam per Basim. Mel additur ad conservationem.

De Mistura, sive componendi ratione.

PRimum contundenda est Iridis radix: dein adjiciantur Glycyrrhiza incisa & Zinziber: Post, imponantur semina & Piper, deinde herbæ. Seorsim pulverizanda sunt Tragacanthum & fructus pingues, sicut diximus in pulvere Diaireos compositο. Hic pulvis servandus est, ut misceatur cum Melle despumato, vel Saccharo, prout necessitas postulat.

Pulvis Diaprassii. D. N. Myrepsi.

℞. *Prassii viridis. i. recentis siccati. drach. quinque & dimidiam.*
Gummi Tragacanth.
Nucleorum pini mundatorum,
Amygdalarum dulcium,
Pistaciorum,
Carnis dactylorum,
Passularum enucleatarum, &
Ficuum pinguium, singul. drachmas tres & semissem.
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Ligni Aloes,
Galangæ tenuioris, qualis ex China ad nos defertur.
Zinziberis,
Zedoariæ,
Spicæ Nardi,
Glycyrrhizæ,
Rhapontici veri,
Anacardii,
Styracis calamitis,
Mastiches,
Myrrhæ,
Galbani,
Terebinthinæ,
Iridis
Aristolochiæ rotundæ,
Corticum radicum Capparis,
Gentianæ,
Piperis nigri,
Seminum Anisi,
Fœniculi,
Anethi,
Saxifragiæ,

Sinonis

Sinonis { Est Apium montanum, seu *Dioscoridis* Oreoselinum : diversum à Petroselino Macedonico Estreatico : testibus *Dioscor.* & *Galeno.* Etsi Auctor Pandectarum & *Platearius*, & ejus sequentes, idem existiment esse Petroselinum agreste seu montanum, & Macedonicum.

Apii vulgaris, singul. drach. duas,
Hermodactylorum,
Castaneæ (hujus non meminit *Salern.*)
Origani,
Peucedani,
Schænanthi,
Cardamomi,
Piperis albi,
Sem. Carnabadii, i. Carui, & Lybistici vulgò Levistici,
Vincetoxici, seu Asclepiadis herbæ, sing. drach. unam & dimidiam : grana duo & semissem.
Balsami, & non Balsamitæ, etiam cum *Salernitano* : ut videre est, non in Simplicium numeratione, sed in fine Methodi componendi,
Dictamni potiùs quam Abrotani cum *Myrepso* : quoniam hoc stomacho adversatur, *Gal. 6. Simplicium*, illud verò huic Antidoto apprime convenit.
Costi,
Pyrethri,
Pulegii,
Thymbræ, i. Satureiæ,
Seminum Pæoniæ & Ocimi, i. Basiliconis,
Piperis longi cum Salernitano.
Amomi, aut Succedanei ejus, Acori veri, &
Erui, seu Orobi, sing. Exagium unum, & grana duo (hoc pondus malè vertit *Salernit.* drachmam unam, eo ipso authore, cum sit 6ta. unciæ pars)
Xylobalsami (hujus loco, sume surculos Lentisci, *Pena.*)
Cassiæ ligneæ Aromaticæ,
Corallii rubri,
Rasuræ Eboris,
Carpobalsami (hujus loco sume sem. *Terebynthi vel Lentisci,*
Dauci Cretici, sing. drach. dimidiam.
Moschi,
Ambaris, &
Ossis cordis cervini, sing. grana quatuordecim.
Sacchari, vel Mellis despumati, lib. 4.

Fiat Electuarium molle.

Paraphrasis.

PUlvis hic, sive Electuarium describitur à *Nicolao Myrepso Alexandrino primo Lib. Antidot. Cap.* 89. quod nomen desumpsit à Basi sua, Marrubio albo, *Græcis* Prassio : omnibúsque visceribus & præcipuè pulmonibus confert : ad quorum pectoris que morbos, compositum est hoc Electuarium. Styrax, Castaneæ, & mastiche, Dactili etiam & Gummi Tragacanthæ induntur ad incrassanda rheumata subtilia, quæ defluunt à Cerebro in pulmones ; eorum autem virtus defertur in Cerebrum, Pæoniæ, Ocymi, Caryophyllorum, nucis Moschatæ & Anacardiorum ope. Facultas incidens & attenuans materias crassas & viscosas Basis augetur Pyrethro, Zedoaria, Pipere, Zinzibere, Cardamomo, Origano & Pulegio : Calor autem temperatur Corallio. Detergens vis Basis intenditur, Terebinthina, Gentiana, Aristolochia, Hermodactylis, Capparibus, Carycis, Pistaciis, Passulis Amygdalis, Myrrha & Pineis. Semina adhibentur ad perferendum per urinæ ductus, tales materias subtilizatas. Galanga, lignum Aloes & Canella immittuntur ad muniendum ventriculum, adversus noxam Hermodactylorum, Anicardiorum, Pyrethri & Costi. Nardus Indica, schænanthos & Rhaponticum adjiciuntur Hepatis gratiâ. Galbanum & styrax, ad remolliendam viscerum duritiem : Balsamum ejúsque partes, Cassia Aromatica, Dictamnus, Costus, Moschus, & Ambra uteri causâ. Ebur, Os de corde Cervino cordi student. Virtus Basis perfertur ad Pulmones auxilio Thymbræ, Iridis, Glycyrrhizæ, & Peucedani, quæ morbis eorum auxiliantur, unà cum aliorum ope mutua.

De Mixtura, sive componendi ratione.

IN principio conterenda sunt Lignum Aloes & Xylobalsamum (vel succedaneum ejusdem, Santalum Citrinum, ubi rejicimus Lentiscum & Terebynthum, quæ facilia

facilia paratu sunt & eadem fere facultate prædita.) Deinde adjungentur radices Gentianæ, Aristolochiæ rotundæ, Iridis, Costi, Peucedani, Zedoariæ, Glycyrrhizæ rasæ & concisæ: Zinziber, Rhaponticum, Hermodactyli, Pyrethrum, Peonia, & Os de corde Cervi limatum. Secundo in ordine Galbanum ab omnibus sordibus purgatum, Amygdalæ suis corticibus exutæ, Pineæ & Pistacia similiter mundata: Illud quidem in parva quantitate, cum magna aliorum facilè in pulverem redigetur: Hæc verò repriment exhalationem pulveris. Cortices Capparum, Canellæ, Cassiæ Aromaticæ, Nardus Indica concisa, Dictamnus, Caryophylli, Nux Myristica & Macis, Semina omnia, Piper, Carpobalsamum (vel ejus succedaneum, Cubebæ, vel semen Lentisci, aut Terebynthi) Anacardia, Putamen sive cortex Castaneæ, Cardamomum, Hermodactyli, & Peucedanum. Tertia in serie, Herbæ siccæ & Schænanthos. Omnia hæc subtiliter pulverizata & cribro transmissa, recondantur.

Jam verò pulverizari seorsim oportet Gummi Tragacanthi (ita ut antè dictum est) Styrax Calamita, Mastiche, cum aquæ guttula, ne adhæreat mortario, & exhalet; Myrrha, Corallium, Ebur, Moschus & Ambra. In mortario contundendæ simul sunt, Carycæ, Dactyli à suis ossibus mundati & pelliculis: Passulæ etiam exacinatæ, & per setaceum cribrum inversim transmissæ cum cochleari argenteo vel spatula. Deinde adjicienda sunt Terebynthina, & Balsamum Judaicum, vel ejus succedaneum, oleum Nucis Moschatæ, vel Caryophyllorum, vel etiam Stacte, qui liquor est expressus sive extractus è Myrrha recente, quem non omnibus parare licet. Hiisce quinque permistis paulatim & sensim adjiciendi sunt, in mortario peramplo, pulveres supradicti. Ac si necessitas urgeat, ut statim & sine mora componatur Electuarium molle, sumere oportet quatuor libras mellis albi despumati & cocti, in quo dum calidum adhuc est, & post authepsam ab igne amotam, infundentur, Caryeæ, Dactyli & uvæ passæ, contusæ & per cribrum setaceum ut ante dictum est trajectæ: postmodum Terebynthina & paulatim pulveres. Postremò, Balsamum, sive succedaneum ejus, ad totum conservandum in usus.

Succedaneum veri Balsami Judaæ.

Textus *Nicol. Salernitani* hoc in loco corruptus est: dum legitur Balsamitæ (quæ Mentha est aquatica,) pro Balsamo, quod simpliciter positum, accipitur pro Opobalsamo *Græcorum:* quod præcipuum est plantæ ipsius: Quem textum sequutus est *Nicolaus Præpositus* pluréque alii. Quod ut ita sit, ipse *Salernitanus*, in mixtura quam præcipit, suadet & consulit, ut *Balsamum* (sic. n. scripsit) *Ambra & Moschus miscerentur in melle post alia omnia:* Quod ipsum & *Platearius* confirmat, in fine Commentarii quem scripsit in Diaprassium: unde apparet errorem non provenisse ab ipso, sed potiùs à Typographis. Quod si *Præpositus* aliíque qui excudi curarunt dispensatoria, tantum operæ insumpsissent in legendo totum illud caput, conferendóque id cum illo *Myrepsi* à quo verbatim transcripserat, facilius judicare possent, illum intellixisse Balsamum & non Balsamitam. i. mentam aquaticam.

Pulvis Dia Cymini. D. N. Salernitani.

℞. *Cymini pridie in aceto infusi & exsiccati drach. octo & scrup. unum,*
Cinnamomi,
Caryophyllorum, utriusque drach. duas & semissem,
Zinziberis &
Piperis nigri, utriusque drach. duas & grana quinq.
Galangæ tenuioris,
Thymbræ, i. Satureiæ &
Calaminthes, singul. drach. unam, scrupulos duos,
Seminum Lybistici, vulgò levistici, & Ameos, utriusque drach. unam, & grana octodecim.
Piperis longi drach. unam,
Nardi Indicæ,
Cardamomi (hujus non meminit *Myrepsus*)
Nucis Myristicæ singul. scrupulos duos & semissem.

Fiat Pulvis usui reponendus, vel excipiendus mellis Attici despumati, aut Sacchari albi quantitate sufficienti in Electuarium. Dosis erit drach. trium cum vino, Post pastum.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

Salernitanus mutuatus est hanc descriptionem à *Myrepso, primo in libro Antidotorum cap.* 100. cui præterea Cardamomum adjecit, & pondus solum mutavit. Virtus ejus incidens & attenuans intenditur tenuitate Aceti, Pipere longo & nigro: Cardamomo & Zinzibere. Vis ejus discussoria flatuum accepta referri debet seminibus. Caryophyllum & Nux Moschata perferunt virtutem ejus ad cerebrum. Thymbra sive Satureia, ad pectus. Galanga, & Canella imponuntur ventriculi gratiâ, Nardus Indica, Jecoris, Calamintha matricis. Saccharum vel Mel album, gustui ut placeat, adhibetur, & ad species conservandas.

De mixtura sive componendi ratione.

GAlanga & Zinziber primùm conterenda sunt: quibus adjungentur Canella & Nardus Indica incisa: Garyophylli, Piper & Cardamomum: deinde semina, herba & Nux Moschata. Omnia mediocriter pulverizata & cribro trajecta, usui recondantur.

Pulvis Dia Thamaron. D.N. Myrepsi.

℞. *Anthophyllorum. i. Caryophyllorum Magnorum*, (licet nomen hoc florem Caryophyllorum significet) &
Zinziberis utriusque drach. quinque scrup. unum, & grana sexdecim,
Cinnamomi, &
Caryophyllorum parvorum, utriusque drach. quatuor, scrupulum unum & grana sexdecim,
Carnium Dactylorum tantundem,
Galangæ tenuioris ex China *allatæ,*
Spicæ Nardi,
Zedoariæ,
Costi,
Pyrethri,
Gummi Tragacanthi albi,
Corallii rubri,
Rha-Pontici,
Saliuncæ Celticæ,
Anacardiorum,
Ossium Dactylorum,
Carpobalsami vel succedanei ejus Cubebarum cum Galeno.
Vel semen Terebinthi arboris vel Lentisci,
Seminis Anisi &
Juniperi,
Trium Piperum singul. drachmam unam scrupulos duos & grana octo,
Ossis cordis Cervini,
Foliorum Auri puri, potiùs quam Limatura ejusdem,
Foliorum & non limaturæ argenti singul. scrupul. duos & dimidium,
Margaritarum integrarum & perforatarum,
Blatii Bizantii sing. Exagium unum, hoc est, scrupulos duos (horum trium non meminit Salernitanus,)
Ramenti Eboris &
Ambaris, utriusque scrupulum unum, grana septem,
Moschi grana tria. (cujus Salernitanus habet scrupulum unum & grana 7. & Ambaris scrupulum unum. In reliquis conveniunt.)

Fiat Pulvis usui reponendus. Vel cum Saccharo aut Melle despumato, aptentur in Electuarium.

Paraphrasis.

Myrepsus describit pulverem hunc sub nomine Diacamaron, voce à Diacomeron depravata, quæ significat per Antiphrasin contra mortem sive morbum: *Primo de Antidotis cap.* 3. 4. Nomen Diathamaron competit ei melius, quam illud Diacomeron vel Diacamaron. Sicut *Salernitanus*, *Præpositus* & quidam alii post illos scribunt, ob carnem & ossa Dactylorum quæ ingrediuntur compositionem in bona satis quantitate, quos *Arabes* appellant Thamar, unde venit nomen Diatha-

maron, quasi dicas compositio Dactylorum. Hæc descriptio multum differt ab alia consimilis denominationis a *Mesue* descripta in eadem sectione *cap.* 25. valde Cathartica, quæ non in usu est. Caryophylli tam magni quam parvi, Piper, Costus, Pyrethrum, Zinziber, Anacardia, Cinnamomum & Zedoaria imponuntur ad incidendum & attenuandum materias crassas retentas in bronchiis pulmonum, ventriculo, intestinis & utero. Siccitas eorum corrigitur per Tragacanthum: facultas, ad pulmones deducitur per Dactylos: ad uterum, per Galangam, Carpobalsamum, Moschum & Ambram: ad renes per semina. Os Cordis Cervini, Ebur, Margaritæ, Aurum & Argentum corroborant cor: Corallium & Ossa Dactylorum, astrictione sua, retinent tenuitatem Aromatum; Pyrethrum, Costus & Piper, fortificant ventriculum; sicut Nardus Indica, Hepar. In Antidoto *Nicolai Salernitani*, desunt Piper nigrum, Margaritæ, unguis Odoratus, sive Blatium Bizantium: quæ quia in hoc pulvere ad id quod promittit conducunt, nolui detrahere.

De Mixtura sive componendi ratione.

PUlverizanda simul sunt & cribellanda, Costus, Pyrethrum, Unguis odoratus, Galanga, Zedoaria, Ossa Dactylorum, Os Cervini cordis limata: Zinziber, Rhaponticum, Nardus Indica & Celtica incisa. Caryophylli majores & minores, Canella, Anacardia, Cubebæ *vel semen* Lentisci (vice Carpobalsami) semina & Piper. Pulpa Dactylorum concisorum, cum supradictis pulverizari poterit. Seorsim vero pulverizari debet Tragacanthum, ut suprà dictum est. Corallium, Margaritæ tam integræ quam perforatæ, vel dupla portio illarum, si harum non suppetat copia, in pulverem redigenda sunt simul in mortario vel super Porphyriten parvo cum molari lapide conterenda, adjiciendo illis aliquot guttulas aquæ, ne Ebur, Ambra & Moschus exhalent. Hoc cum factum est, omnes pulveres separatim oportet in mortario & sensim permisceri, cum quantitate requisita auri & argenti foliati: quod expedit multò magis quam si limentur ambo. Quamvis enim postea pulverizentur in mortario, tamen gravitate sua nihilominùs in fundo ventriculi subsistent nec distribuentur, atque ita nullius ferè efficaciæ fuerint. Ex hoc pulvere, fieri possit Electuarium solidum cum Saccharo, aut molle cum Melle despumato, cum opus fuerit. Quod utendum est cum vino, vesperi & mane.

Pulvis Electuarii Analeptici, seu Resumptivi. D. Fernelii.

℞. *Penidiorum, unciam dimidiam,*
Succi Glycyrrhizæ,
Amyli,
Seminum Papaveris albi,
Portulacæ,
Lactucæ &
Seriolæ, singul. drach. tres.
Gummium Arabic. &
Tragacanthi, utriusque drach. duas, scrup. 2.
Rosarum rubrarum &
Glycyrrhizæ, utriusque drach. duas & grana quinque.
Seminum quatuor frigidorum majorum mundatorum.
Cydoniorum,
Malvæ, Bombacis & violarum,
Strobilorum, id est, nucleorum pini,
Pistaciorum recentium, vice Berberis,
Amygdalarum dulcium &
Pulpæ sebesten, singul. drachmas duas.
Santalorum Albi & rubri, utriusque scrup. quatuor.
Cinnamomi,
Spodii,
Caryophyllorum singul. drach. unam.
Croci, grana quinque.

Fiat Pulvis usui reponendus, vel excipiendus triplo Syrupo violati in Electuarium molle, sic diu conservetur, nec rancescit.

Paraphrasis

Paraphrasis.

ELectuarium hoc, nomen adeptum est ab effecto suo, quoniam ægrorum vires longiore ægritudine diminutas reficit. E multis descriptionibus selegimus hanc unam à *Fernelio* descriptam in *septimo Methodi suæ*; quam composuit ille, super illam à *Nicolao Præposito* descriptam, & hanc suam ipsius super illam *Nicolai Myrepsi*, in *primo Antidotariorum libro*, *Cap.* 157. mutando quædam medicamenta & dosim eorum, eorúmque loco substituendo alia, magis congrua ei quod promittit. Immutavi ego ordinem solum & non medicamenta ipsa, nec dosim eorum incipiendo à majore, & desinendo in minore. Basis non est unum solum medicamentum, sed plura Thoracica, Caryophylli & Crocus imponuntur ad cerebrum corroborandum: Semen Cydoniorum ad pectus. Rosæ ad ventriculum: Santali & Spodium ad hepar, Canella ad matricem. Semina ad perferendas per urinæ ductum reliquias Chronicarum ægritudinum: quæ sunt sæpenumerò causæ recidivarum, & tandem mortis: quoniam impediunt digestionem & distributionem alimenti ad nutritionem partium necessarii. Penidia, Amylum & Gummina, emendant asperitatem Santalorum & Caryophyllorum: syrupus Violatus additur saporis gratia, & conservationis cæterorum.

De Mistura, sive Componendi ratione.

PRimum conterendi sunt Santali: dein adjungenda Glycyrrhiza rasa & incisa cum suo succo, Canella & Caryophylli: Paulò pòst, semina Cydoniorum, Malvæ, Violarum, Papaveris, Portulacæ, Lactucæ, Cichorei domestici sive Scariolæ. Tandem Rosæ, ut omnia pulverizata & subtiliter cribro trajecta misceantur, cum aliis pulveribus subsequentibus.

Seorsim pulverizanda sunt Gummina in mortario cum pistillo utriusque calidis, priusquam ponderentur decidui causa. Amylum, Spodium, Crocus, & Penidia sicca, sunt etiam seorsim pulverizanda. Pulpa Sebesten in tantilla quantitate facilè in pulverem redigi poterit, & cribello transmitti, cum aliis siccis. Amygdalæ, Pistacia & Pineæ cum Bombacis semine, & quatuor semina frigida suis à pelliculis mundata, concidenda sunt super papyrum candidam, cultro Sutorio, quam fieri potest minutissimè: deinde subtilius etiam rursus conterenda sunt, in mortario cum pistillo, unà cum Penidiis & Amylo, Gummis, Spodio, aliisque pulveribus ante declaratis: de quo pulvere, cum triplo aut quadruplo omnium syrupi Violati cocti ad perfectionem, fiat Electuarium molle; quod diù recondetur sine rancore incorruptum. Jam verò si res postulet, ut componatur Electuarium solidum: sumi debet sacchari vel quadruplum vel * sexcuplum; quod exurget ad binas uncias pulveris pro singulis sacchari libris, & sufficiet: quod solvetur in aqua Violarum stillatitia per Alembicum vitreum, inque eadem ad perfectionem cocta, paulatim (póstquam authepsa ab igne sublata est) dissolventur pulveres, undè formari poterint Tabellæ vel morsuli, ad formam conservæ Rosarum siccæ, vel Pineolati: quibus utendum est in principio, medio & fine Pastus, ac sæpius etiam ea quantitate quæ placeat ægro & malè affecto.

* *Sexies tantum.*

Si velit quis servari pulverem diutiùs, ante utenditempus, Pharmacopœus differet impositionem Amygdalarum, Pistaciorum, Pinearum, seminum oleagineorum ad ipsum tempus utendi: quoniam rancire facient pulverem, reddéntque adeò ingratum, ut ægri nesciant uti, quod nihil aliud est quam tempus & argentum perdere.

Dia Margariton Simplex: seu Manus Christi cum perlis incerti Authoris.

℞. *Margaritarum super Porphyrite, subtilissimè tritarum, unc. dimidiam. Sacchari optimi, aqua Rosarum vel Buglossi soluti & cocti, lib. unam. Fiant Rotulæ parvi digiti figurâ, vel Tabellæ usui necessariæ.*

Paraphrasis.

HOc Electuarium est modernorum inventum, qui nomen ei attribuerunt, *Manus Christi*, ob ingentum illius virtutem : Epitheton sanè malè aptatum : quoniam finiti ad infinitum nulla est proportio : & satiùs fuisset, illud appellare Electuarium de Perlis simplex, quod alio nomine, vel Diamargariton simplex. Hac cura adhibita, ut Pharmacopœus semper in promptu habeat in officina sua Margaritas pulverizatas super Porphyriten, cum parvula mola, & tantillo aquæ rosaceæ (ut impediat earum evaporationem) vel in mortario marmoreo suffecerit. Quovis enim tempore & prout usus postulat, & citò hoc fieri poterit, videlicet, accipiendo semunciam Perlarum ad singulas libras (duodecim unciarum) sacchari purissimi in aqua rosarum, sive Bugloss, seu cujusvis alius aquæ Cardiacæ soluti. Forma seu figura erit oblonga, vel qualem voluerit æger, Medicus, seu Pharmacopœus. Perlæ naturâ perforatæ non sunt, sed arte & industria Artificum. Appellantur Græcis Margaritæ, & Latinis Uniones. Probantur majores, clariores, rotundiores & læviores : minus verò parvæ, & quales in usu medico sunt. Generantur in carne quarundam concharum non admodum Ostreis dissimilium quà Promontorium *Gomorin* in longitudine porrigitur, usque ad *Zeilan Indiarum Orientalium :* Reperiuntur etiam in *Occidentalibus Indiis*, sed omnimodò minores & viliores. Quæ piscando capiuntur post plenilunium, diminuuntur & flaccescunt temporis processu : non illæ autem quæ capiuntur ante pluviam. Amplæ Margaritæ inveniuntur in conchis quæ nutricatum habent in superficie aquæ : Parvulæ autem in illis, quæ in fundo nutriuntur. Numerus earum est incertus : in hiis major, in illis minor, pro magnitudine cochleæ sive testarum : *Garcia.*

Pulvis Diamargariti frigidi, compositi. Incerti Authoris.

℞. *Trium Santalorum,*
Florum Violarum,
Sem. Melonis excorticati, &
Trochisc. Diarrhodon sing. drach. duas
Serici crudi,
Ossis cordis Cervini,
Spodii,
Doronici, vel si mavis hujus vice, *Radicis Angelicæ, vel Galangæ,*
Behen albi, hujus loco sume *Rad. Bugloss,*
Behen rubri, vel Radicis Boraginis,
Spicæ Nardi, &
Croci, singul. scrupulos duos.
Rasuræ Eboris,
Margaritarum integrarum & pertusarum,
Lapidum Saphyrorum.
Hyacinthorum
Smaragdorum
Jaspidum viridium
Ligni Aloës, vel Santali Citrei,
Seminis Intybi sativi, i. Seriolæ, &
Oxalidis,
Ambaris, &
Foliorum Auri singul drach. semissem.
Caphuræ, scrupulum unum.
Moschi grana duo.
Technicè fiat Pulvis.

Paraphrasis.

PUlvis hic tantopere usitatus, non est *Nicolai*, sed alterius cujusdam quod ad nos incerti, & hoc multis ansam dedit adjiciendi quid & detrahendi. Nomen illi est de Basi sua Perlis, *Græcè* Margaritis. Cognomen illi adjecimus compositi, ut differat à præscripto simplici, vulgò *Manus Christi perlata* vocati. Virtus cordialis Perlarum augetur Ambra Grisea, Moscho, Folliis auri, Ebore, Lapidibus pretiosis, Osse Cervini cordis & Serico crudo. Lignum Aloes, Canella & Crocus adjiciuntur, ut tenuitate partium suarum, perducant virtutem Basis, & aliorum terrestrium ad Cor. Flores Violarum, semina & radices Bugloss & Boraginis (supposita vice Behen albi & rubri, quæ parum aut nihil valent, & pro veris substituta sunt, immittuntur hîc ad corrigendam crassitiem & siccitatem, Trochiscorum Diarrhodon,

don, & Galanga (posita loco Doronici, nequaquam Cardiaci, sed speciei Aconiti & venenosi. *Matthiol.*) injiciuntur ad corroborandum ventriculum. Santali, Nardus Indica & Spodium hepatis confirmandi causa. Quidam, ex opinione *Platearii*, in commentario quem scripsit in Diamargaritum calidum *Nicolai Salernitani*, imponunt Rosarum & Santalorum æquale pondus, idque ventriculi gratia quod non est necessarium, quum Trochisci ingrediantur, idemq; quod cupiant operentur.

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimum concidere oportet forfice quam minutissime, Sericum crudum, idemque in mortario cum pistillo æneo pulverizare, cum Perlis, Corallio & Lapidibus pretiosis, conterendo idem, ita ut *Serapion* in *Libro simplicium cap.* 28. & post eum *Abynzoar*, *tractatu* 12. *cap.* 2. *Theistr* sui præcipiunt) potius quam torrere, ut suadet *Avicenna*, & ejus sequentes, quoniam assatione Cardiacam virtutem perdit hic requisitam, & vim acquirit alienam, visceribus inimicam ægrorum supra modum calefactis.

Per se pulverizare debent subtiliter Trochisci Diarrhodon, Spodium, Crocus, Ebur, Ambra, Moschus & Caphura. Una cum Santalis confractis contundenda sunt Nardus Indica concisa, Galanga sive Angelica, Semina Melonum suis corticibus ademptis, os Cordis cervini limatum & minutim concisum: Radices Buglossi & Boraginis siccatæ: Lignum Aloes, Semina Endiviæ, Oxalidis & flores. Hæc hunc in modum pulverizata & subtiliter cribrata, commisceantur in mortario. Dein adjicientur illis folia auri pondere justo, quæ multò potiora sunt quam aurum limatum & in pulverem redactum, idque ob rationes suprà expositas. Post, omnia usui reponentur.

Pulvis Dianthos. D. N. Salernit.

℞. *Florum Rorismarini, unciam unam.*
Rosarum rubrarum,
Florum Violarum, &
Glycyrrhizæ, singul. drach. sex.
Caryophyllorum,
Spicæ Nardi,
Nucis Moschatæ,
Galangæ tenuioris qualis ex China adfertur.
Cinnamomi vel Canellæ selectæ,
Zinziberis,
Zedoariæ (hujus non meminit *Myrepsius*)
Macis,
Ligni Aloes; vel Santali Citrei tantundem,
Cardamomi,
Sem. Anisi &
Anethi, singul. scrupulos quatuor; etiam cum *Actuario*, licet *Myrepsius* legat *singul. scrupul. unum.*

Fiat Pulvis qui Saccharo (si Electuarium solidum) aut Melle despumato (si molle requiris) excipiatur.

Paraphrasis.

SAlernitanus hanc descriptionem mutuatus est a *Myrepso*, *primo Antidotorum cap.* 64. qui non meminit Zedoariæ ab *Actuario* scriptæ, aliisque, quin & in fine apponit singulorum unum scrupulum pro quatuor. Credo ego, quod tam hic quam in pluribus aliis locis, Contextus *Myrepsi* Græcus est depravatus. Singulorum enim scrupulus unus parum nimis esset ad proportionem Basis & aliorum deinceps ingredientium, ut sufficiat ei quod *Nicolaus* promittit. Pulvis hic nomen nactus est sua de Basi, flore scilicet Rorismarini, quem citeriores *Graci*, appellant ἄνθος .i. florem, accipientes genus pro specie per excellentiam: quod nomen adeò insculptum est & impressum, ut nullus sit Pharmacopœus, quin si interrogetur, quid sibi velit per (*Anthos*,) subitò & extempore respondebit, Florem Rorismarini, quam *Dioscorides* & *Galenus* appellant Libanotim coronariam. Cujus facultas incisiva, attenuans & aperiens, augetur seminibus, & speciebus Aromaticis: detergens

tergens Glycyrrhiza & Melle. Violæ ingrediuntur ad moderandum eorum calorem: Roſæ & Nardus Indica, ad fortificandum aſtrictione ſua, viſcera infirmiora.

De Mixtura ſive componendi ratione.

IN primo triturationis ordine, ponenda ſunt Lignum Aloes, ſive illius ſuccedaneum, Santalum citrinum & Radices: in ſecundo collocandi ſunt Caryophylli, Canella, Semina, Cardamomum, Macis & Nux Moſchata, In tertio, Roſæ, Roriſmarini flores & Violæ; omnia ſubtiliter pulverizata, recondenda ſunt in olla vitrea ſua, Charta duplicata operta, ad tabellas componendas cum Saccharo, vel Electuarium molle, cum Melle deſpumato: ita ut ſuperius demonſtratum eſt.

Pulvis Diamoſchi dulcis. D. M.

℞. *Moſchi ſcrupulos duos.*
Behen albi vel Radic. Bugloſſi,
Behen rubri, vel radic. Boraginis,
Folii Indi ſeu Malabathri Græcorum,
Spicæ Indicæ & Caryophyllorum, ſing. drach. unam.
Zinziberis,
Cubebarum &
Piperis longi. ſingul. drach. unam & ſemiſſem,
Croci,
Doronici, vel ſi mavis,
Radicis Angelicæ, vel Galangæ minoris
Zedoariæ,
Xyloaloes (hujus penuriâ ſume *Santalum citreum, &*
Macis, ſingul. drach. duas.
Margaritarum ſplendidarum,
Serici crudi & non uſti (quoniam uſtione vis cardiaca hîc expetita, amittitur.)
Succini i. Karabes,
Corallii rubri.
Galliæ Moſchatæ, &
Seminum Ocymi Citrati, ſingul. drach. 2. & ſemiſſem.

Sacchari, Stillatitio liquore Bugloſſi ſoluti, quantum ſufficit. Fiat Electuarium in Rhombos.

Paraphraſis.

AUthor hujus pulveris eſt *Meſue, diſtinctione primæ partis Electuariorum*, qui nomen illi impoſuit de Baſi ſua, Moſcho, utpote qui primum tenet ordinem inter Odoramenta. Cognomen Dulcis additur ei ad differentiam alterius nomine conſimili, ſed adjecto cognomine (*Amarus*) qui inſuper continet, Abſinthii, Roſarum, ſingul. drach. tres, Aloës lotæ ſemunciam: Caſtorei & de *Cheſin*, quod eſt Liguſticum *Græcorum*, vulgò dictum Leviſticum, ſingul. drachmam unam. Canellæ drach. unam & dimidiam, & Aloës non lotæ, drachmas duas & dimidiam. Hic pulvis Diamoſchi amari, adeò eſt ingratus, ut pauci ægri eo poſſint uti, raróque paratur. Sufficit igitur Pharmacopœus in officina paratum habere quod dulce eſt: niſi fortè adjungat medicamenta ſupra dicta amara, ſi uſus poſtulet. Vis cardiaca Baſis intenditur Perlis, Serico crudo, Trochiſcis Galliæ Moſchatæ, Ocymo citrato, croco & radicibus Bugloſſi & Boraginis, pro Behen albo & rubro. Cætera conducunt eorum virtutem ad cerebrum, & viſcera fortificant. Calor eorum temperatur frigiditate Corallii & Carabes, ſive Ambræ citrinæ.

De mixtura ſive componendi ratione.

SImul curabis in pulverem redigere margaritas, Corallium, Caraben, & Sericum crudum in mortario marmoreo & cum piſtillo æneo ob rationes expreſſas in pulvere Diamargariton: In mortario æneo contundi ſimul debent, Lignum Aloes ſive ſantalum Citrinum, radices Zedoariæ, Galangæ, ſeu Angelicæ: (pro Doronico:) Bugloſſi & Boraginis, (pro Behen albo & rubro) Zinziber & Nardus Indica inciſa. Poſt, adjicientur Caryophylli, Folium Indicum Cubebæ, Piper & ſemen

Semen Ocymi, seu Basiliconis Citrati, ita dicti ob bonum odorem illi de Citrio vicinum, potiùs quam Melissæ, Citraginis *Latinis* dictæ, cujus odor differt ab Ocimo: ita ut colligere est è scriptis perdoctis *Serapionis*, *libro Simplicium. Cap.* 156. & 158. & post eum, *Matthioli*, in *librum secundum*, *Cap.* 135. *Dioscoridis*. Postremo imponi debet Macis. Pulverizentur seorsim, Trochisci Galliæ Moschatæ, Crocus & Moschus. Postquam omnia fuerint pulverizata & cribellata, permisceri sensim & paulatim in mortario oportet, & usibus recondi.

Pulvis Electuarii de Gemmis. D. M.

℞. *Trochiscorum Diarrhodon, &*
Ligni Aloes (hujus loco sume *Santali Citrini*) *utriusque drachmas quinque,*
Zedoariæ,
Doronici vel Angelicæ, vel Helenii:
Corticis Citrii sicci,
Macis,
Alfeleniemisce, i. seminis Ocymi Caryophyllati.
Ambræ cineritiæ, &
Margaritarum splendidarum, singul. drach. duas.
Fragmentorum.
Saphyri
Hyacinthi
Sardinis
Granatorum &
Smaragdi
} Vulgò *quinque lapidum pretiosorum.*
Cinnamomi,
Zurumbet (est altera Zedoariæ species)
Galangæ, sing. drach. unam & dimidiam.
Radicum Behen albi, vel Rad. Bugloss, vel Angelicæ, & Behen rubri, vel Radicis Boraginis, vel Helenii, vel Tormentillæ.
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Piperis longi,
Spicæ Indicæ,
Folii Indi, seu Malabathri Græcorum,
Croci optimi, &
Heyl, i. Cardamomi majoris, sing. drach. unam.
Corallii rubri,
Succini vulgò Karabes, &
Rasuræ Eboris, singul. scrupulos duos,
Foliorum Auri, &
Argenti, utriusque Aur. semissem, seu scrupulos duos.
Moschi Orientalis, drach. semissem.

Ex arte fiat pulvis: Sacchari aqua soluti, quantum sufficit; si Electuarium solidum componiturus es: si verò molle, pulvis excipiatur æquis partibus mellis Rosati & Syrupi conservationis myrobalan. Emblic. & usui repone.

Scholia in Smaragdum.

COntextus *Mesue* Arabicè scriptus, habet *Peruzi*, & non *Feruzegi*, ut exemplaria nostra *Latina*. Facilis fuit Typographi lapsus. F. pro P. reponentis. Nam Feruzegi (si *Authori Pandectarum* credendum est, Stannum Metallum sonat. *Peruzegi*, verò est lapis *Erani* seu *Turchesia* nostra, & non Smaragdus (ut perperam vertit interpres *Mesue*) qui *Arabibus* nonnullis vocatur *Zamorat*. Aliis verò *Zabarzet* & *Tabarzet* dicitur. Interpres forsan Smaragdum *Erano* prætulit: quod hic Gemma non sit à quibus hoc Electuarium nominatur, & nullius fere Medicinæ sit in usu: ille verò inter Gemmas principatum obtineat, magnarúmque sit virium, ad effectus titulo enunciatos. Quamobrem hiis ductus forsan rationibus Interpres, pro *Peruzegi*, seu *Erano*, vel *Turchesia* nostra, Smaragdum supposuit.

Paraphrasis.

PUlvis hic nomen sumpsit suum à Basi, lapidibus pretiosis, quos *Latini* Gemmas vocant, ad differentiam marmoris saxi, cotis & silicis: Quos oportet esse substantia perquam vivida & polita: colore nativo, claro & nitido, qui visum adimplet spectantis: ad tactum duros, adeò ut difficulter Lima friari possint, præ antedictis marmore, saxo, cote & silice. Qui plura de hiis scire expetunt, legant *Plinium*, *Albertum Magnum*, & quosvis authores, qui integros de hoc argumento scripserunt libros:

Signa communia ad dignoscendum lapides pretiosos ab aliis.

libros: vel frequentant doctos & expertos *Lapidarios* à quibus addiscere possunt, quod scire eos oportet, videlicet, Quomodo Adamas, in duritie & existimatione, primas inter Gemmas teneat: Smaragdus similiter in specie & pulchritudine: Saphyrus Cerulus, in alacritate. Carbunculus & Rubinus splendore: Opalus in varietate coloris: Chrysolithus in nitore & puritate. Qui pro *Peruzegi*, quod *Turqueisiam* significat, (ut antea clarum fecimus) sument Smaragdum, quod sit admodum Cardiacus & huic pulveri satis congruus, satis bene facient. Itidem qui pro Zerumbet, accipiunt secundam speciem Zedoariæ, aut penuriâ illius, Canellam, secundum *Possidonium*, non minùs bene facient. Similiter, qui pro Doronico, radicem Helenii, & vice Behen albi & rubri, radices Bugloſſi & Boraginis desiccatas: hoc si fecerint, pulvis accommodatior prorsùs erit ei quod *Mesue* promittit. Ingredientia jam disposui & dispensavi, quæque suo in ordine, juxta doctrinam *Andromachi*.

De mixtura, sive componendi ratione.

TRochisci Diarrhodon, Moschus, Ambra Grisea & Ebur singula seorsim sunt in pulverem redigenda. Margaritæ, Corallium, Carabe lapidésque pretioſi simul pulverizanda sunt cum parva mola, super Porphyriten, vel in mortario marmoreo cum pistillo, & aliquot guttis aquæ rosaceæ, (ne forte exhalent) quam subtilissimè: alioqui gravitate suâ subsistent in fundo ventriculi, ut non distribui possint per venas Capillares, nec potentiam in actum perducere valeant: & consequenter nullius efficaciæ sint. Simul etiam, & in mortario æneo, conterere oportet Lignum Aloes, & radices Zedoariæ, Succedanea Zerumbet, & Doronicum, unà cum Behen albo & Rubro, item corticem Citrii, Zinziber & Nardum Indicam incisam. Hiis semipulverizatis, adjicienda sunt, Canella, Caryophyllum, Folium, Piper, Cardamomum & Ocymum citratum, tandémque Macis. Omnia hæc subtiliter in pulverem redacta & cribello creta, sensim & paulatim cum aliis pulveribus permiscebuntur (seorsim pulverizatis) & lapidibus: deinde adjicientur illis, auri argentique foliorum quantum par est, ut in vitreo quodam vase papyro duplici contecto, usui recondantur. Qui ex hoc pulvere componere velit Electuarium molle in forma Opiatæ, singulis unciis pulveris, apponere debet duas mellis rosati colati; vel syrupi *tantundem*, in quo Myrobalani Emblicæ conditæ fuerunt, quod est ejusdem quadruplum, ut ait *Mesue*: Sin verò Electuarium solidum ut hodie præparatur, singulis unciis pulveris sumenda est libra una, vel unciæ duodecim sacchari purissimi, illúdque solvendum in aqua Bugloſſi, & coquendum in Electuarium solidum. Cujus proportio est, duorum pulveris scrupulorum, singulis sacchari unciis.

Pulvis Lætitiæ. D. N. Salernitæ.

℞. *Seminis Ocimi Caryophyllati,*
Croci optimi,
Zedoariæ,
Xylobalsami, vel surculorum Lentisci, sive Terebinthi (Pena)
Caryophyllorum,
Corticis Citrii mali,
Galangæ tenuioris, ex China *delatæ,*
Macis,
Nucis Moschatæ, &
Styracis Calamitæ, singul. drach. duas & semissem.
Seminis Anisi,
Raſuræ Eboris,
Thymi,
Epithymi, &
Margaritarum, singul. drach. unam.
Ambaris Cineritii,
Moschi Orientalis,
Caphuræ, &
Ossis è corde Cervi, sing. drach. semissem.
Fol. Auri, &
Argenti utriusq; scrupuli semissem.
Sacchari aqua Boraginis soluti, quantum sufficit.

Fiat Electuarium in Tabellas. Si molle cupis, saccharum solvatur succorum pomorum redolentium, Cydoniorum & Boraginis, vini veteris optimi æquis partibus, hoc est, quantum despumando, & coquendo saccharo satis erit, in Electuarium molle: & servetur usui.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

HOc Electuarium non est *Galeni*, ut putat *Nicolaus Salernit.* sed alterius cujusdam, de quo nobis non constat. *Galenus* enim non cognovit unquam Ambram Griseam, Moschum, Caphuram: nec Margaritas quæ illud ingrediuntur. Nomen sumpsit ab effectu suo: quoniam Lætitiam indicibilem illis impertit qui eo utuntur: cum sit compositum ex medicamentis cardiacis, & quæ robur afflant, omnibus viscеribus diuturna ægritudine elanguidis: sicut cuique videre est, qui perpendunt ingredientia. Mistura ei facilis erit, qui consideraverit quæ antè dicta sunt, & postmodum dicentur. Parari poterit in forma solida & molli, ut dictum est in contextu.

Pulvis Electuarii Lætificantis. D. Rhasis.

℞. *Melissæ,*
Corticis Citrii mali,
Caryophyllorum,
Trochiscorum Galliæ Moschatæ,
Mastiches,
Croci Orientalis vel potioris,
Cinnamomi seu Canellæ selectæ,
Nucis Myristicæ. i. Nucis Moschatæ,
Cardamomi,
Neheremisc. i. Pæoniæ seu Rosæ Asinæ,
Radicum Behen albi vel radic. Buglossi,
Behen rubri, vel radic. Boraginis,
Zedoariæ,
Doronici, vel hujus loco Helenii,
Seminis Ocymi majoris, &
Ocymi Caryophyllati. singul. pares portiones,
Moschi denarii partem decimam, seu grana octo.

Fiat Pulvis. Sacchari aqua Melissæ soluti, quantum sufficit, fiat Electuarium in Tabellas. Si verò molle Compositurus es, Myrobalanorum Cepularum, numero viginti, Emblicarum, numero triginta, Conterantur Myrobalani pingui Minervâ, seu crassa: & coquantur in aquæ libris tribus ad tertias & exprimentur. Colaturæ adde Mellis despumati libram unam: & simul coquantur, quousque universa aqua absumatur. Postremò, tribus hujus decocti mellis partibus, partem unam pulveris præscripti adjicito: Hoc est, uncias quatuor in libras singulas Mellis.

Paraphrasis.

AUthor hujus Electuarii est *Rhasis, nono libro* sui *continentis*, quem dedicavit *Almansori Persarum Regi*, ad finem Capitis, de Melancholia. Nomen accepit ab effectu suo, sicut præcedens, quod recreat spiritus, & nativum calorem longo morbo deperditum reducat: fortificando scilicet ventriculum: adeò ut diu fruantur ægri Sanitate, & videantur sibi rejuvenescere. Facultas ejus prioris non est inferior. Quare Pharmacopœus qui unum habet, poterit omittere alterum, modò adjiciat id quod doctus & peritus medicus, pro tempore & loco præceperit.

De Mistura, sive componendi ratione.

PRimo in ordine trituræ poni oportet radices, & Citriorum cortices: in secundo semina, Canellam, Melissam, Caryophylla & Nucem Moschatam: in tertio, sed quæque seorsim, Trochiscos Galliæ Moschatæ, Mastichen, Crocum, & Moschum. Quantitas singulorum poterit esse semuncia: & Moschi grana octo: decima videlicet, plus minùs, denarii pars, qui paulo plus quam una drachma pendit, quia septem denarii unciam efficiunt. Quædam exemplaria hoc in loco habent drachmam, & non denarium. Omnia accuratè pulverizata & permista, recondantur in vase terreo bene obturato, ut fiat Electuarium solidum, aut molle. Si solidum, cuiq; libræ Sacchari optimi in aqua Melissæ soluti & cocti, adjicietur una pulveris uncia: sin molle, in forma opiatæ, accipere oportet Cortices viginti Myrobalanorum Cepularum, & Emblicarum triginta, quas contusas bullire facies in tribus aquæ libris,

quousque duæ tertiæ partes consumantur, & exprimes. In' Colatura fervefiet libra una Mellis prius despumati, & cocti quousque colatura consumpta fuerit. Authepsa jam ab igne remota, & Syrupo media ex parte refrigerato adjicientur illi paulatim, quatuor pulveris unciæ, ut totum usui recondatur.

Pulvis Electuarii Liberantis. D. Val. Cordi.

℞, *Boli Armenæ præparatæ, &*
Terræ sigillatæ veræ, utriusq; drach. tres
Radicum Tormentillæ,
Seminum Acetosæ,
Endiviæ sive seriolæ,
Coriandri præparati, &
Corticis Citrii Mali. singul. drach. unam & dimidiam.
Radicum Dictamni albi &
Santalorum omnium, singul. drach. unã.
Penidiorum, &
Sacchari Crystallini, utriusque scrupulos duos,
Margaritarum splendidarum,
Coralliorum albi & rubri,
Carabes seu Succini i. Electri,
Rasuræ Eboris,
Spodii (Arabum *scilicet & non* Græcorum.)
Ossis e Corde Cervi,
Radicum Behen albi, vel hujus loco radicis Buglossi,
Behen rubri vel hujus loco Radicis Boraginis,
Doronici, vel hujus loco Radicis Angelicæ, vel Helenii.
Cardamomi,
Cinnamomi seu Canellæ selectæ,
Macis,
Ligni Aloes, vel hujus loco Santali Citrini.
Cassiæ Ligneæ Aromaticæ,
Croci, &
Zedoariæ. singul. drach. dimidiam.
Lapidum Smaragdi,
Hyacinthi,
Granatorum,
Serici crudi minutim inciſi,
Florum Nenupharis,
Bugloſſi &
Rosarum, singul. scrupulum unum.
Caphuræ, grana septem.
Moschi Orientalis, &
Ambaris, utriusque grana tria.

Technicè fiat pulvis, usui reponendus: vel cum Sacchari albi Aquæ Bugloſſi quantitate sufficienti soluti, fiat Electuarium in Tabellas.

Paraphrasis.

DE Authore excellentis hujus pulveris nobis non constat; descripti nihilominùs à *Valerio Cordo*, è quo egomet transcripsi. Nominatur ab effectu, quoniam liberat homines correptos a peste, sanosque ab ea præservat.

Mixtura sive componendi ratio, non differt ab ea quam posuimus in Diamargariton Compositio frigido.

Confectio de Hyacyntho. D. Jouberti.

℞. *Lapidum Hyacinthorum, &*
Coralli rubri,
Boli Armenæ &
Terræ sigillatæ, singul. drachmas quatuor & semissem.
Granorum tinctorum &
Radicis Dictamni &
Tormentillæ,
Seminis Citrii mundati,
Croci optimi,
Myrrhæ,
Rosarum rubrarum,
Santalorum omnium,
Ossis è Corde Cervi,
Cornu Cervi usti,
Seminum Acetosæ &
Portulacæ,
Rasuræ Eboris, singul. scrupulos 4.
Lapidum Sapphyrorum,
Smaragdi,
Topasii,
Margaritarum splendidarum,
Serici crudi,
Foliorum Auri &
Argenti. singul. scrupulos duos,
Caphuræ,
Moschi Orientalis &
Ambaris, singul. grana quinque.

Fiat

Fiat pulvis: Sacchari aqua Bugloſſi, vel Cardui Benedicti ſoluti & cocti, quantum ſufficit: Fiat Electuarium in tabellis, vel cum ſyrupo de limonibus, fiat confectio, ſeu Electuarium molle, uſui reponendum.

Paraphraſis.

QUiſnam fuerit Author hujus confectionis incertum eſt, quâ diù antequam *M. Joubertus* eam promoveret, medici *Monſpelienſes* uſi ſunt, hodiéque utuntur, loco confectionis Alkermes, ſi æger diarrhæa ſive fluxu ventris tentetur, idque ob lapidem Lazuli qui ſatis magna quantitate eam ingreditur. Facultas ejus non inferior eſt præcedentis, adeò ut qui altera inſtructus ſit, carere poſſit altera. Denominationem habet ſuam à Baſi, lapidibus Hyacinthis in fronte ipſius poſitis. Miſcendi ratio conſimilis ei eſt, quam in Diamargariton compoſito deſcripſimus.

Pulvis contra Peſtem. D. Bauderoni.

℞. *Boli Armenæ veræ aqua Scabioſæ præparatæ unciam unam.*
Terræ ſigillatæ veræ ſi fieri poteſt, unciam dimidiam.
Radicis Tormentillæ, & Angelicæ, utriuſque drach. duas,
Corticis Citrii mali,
Seminum Citrii mundat.
Acetoſæ,
Portulacæ,
Cardui Benedicti, &
Radicum dictamni, ſingul. drachmam unam & ſemiſſem.
Helenii,
Bugloſſi,
Boraginis,
Zedoariæ,
Tunicis, i. Betonicæ altilis,
Raſuræ Eboris,
Oſſis è corde Cervi,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ,
Foliorum Meliſſæ ſiccorum,
Lapidum Smaragdi,
Hyacinthi,
Granatorum,
Saphyrorum,
Coralii rubri,
Margaritarum ſplendidarum, &
Roſarum rubrarum, ſing. drach. unam.
Moſchi Orientalis, &
Ambari utriuſq; ſcrup. ſemiſſem.

Fiat pulvis: ex hoc pulvere, varia concinnentur præſidia, pro cujuſque laborantis palato, temperie, ætate, ſexu, tempore & regione. Supplebit vicem pulveris de Bolo & Bezoardici, ut carere poſſis.

Paraphraſis.

INſcriptio hujuſce pulveris, declarat virtutem ejus, qui ſupplere poterit pulverem Bezoardicum & de Bolo, qui præparatur vulgò in officinis, quod Methodicè compoſitus ſit de Medicamentis ſelectis, & per multa ſecula uſu approbatis, à nobis præſertim hoc anno 1586. hic *Maſcone* multisque in locis circumvicinis, tam ad præcautionem, quam ad curationem multorum peſte laborantium. Baſis omnino eſt Alexiteria, ut cuique patebit perpendenti omnia ingredientia.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

SIngula ſeorſim pulverizari oportet: Bolum orientalem ſæpius lotam aqua Scabioſæ & ſiccatam: Terram ſigillatam, Ebur Moſchum & Ambrum. Super Porphyriten, vel Marmor, in pulverem ſimul redigi debent lapides pretioſi & Corallium irrorata aliquot aquæ roſaceæ guttulis (ne forte exhalent) quam fieri poteſt ſubtiliſſimè: ut ſuâ naturâ & ſponte, de potentiâ in actum reduci poſſint, & digeri per anguſtos meatus, ita ut antè dictum eſt. In mortario, cum piſtillo metallico primum pulverizanda ſunt, radices, Cortices, & Os de corde Cervi limatum, vel quam minutiſſimè inciſum: Poſt, adjicienda ſunt ſemina, Nux Myriſtica & Meliſſa; poſtremò, Roſæ rubræ ſiccæ, & ſuis ab unguibus mundatæ.

Pulvis Pleres Archonticon. i. *Implens Principale.* D. N. Salernit.

℞. *Cinnamomi,*
Caryophyllorum,
Ligni Aloes, vel hujus penuria Santali Citrini,
Galangæ tenuioris ex China *allatæ,*
Spicæ Indicæ,
Nucis Moschatæ,
Zinziberis,
Spodii,
Schœnanthi,
Cyperi,
Rosarum rubrarum, &
Violarum singul. drach. unam, & grana quindecim.
Folii Indi, seu Malabathri Græcorum,
Glycyrrhizæ,
Mastiches,
Styracis Caalmites,
Sampsuchi, seu Majoranæ,
Balsami (cum Myrepso, *potiùs quam Balsamitæ cum* Salernit. *quoniam in viribus recolligendis est efficacius.)*
Seminum Ocymi, &
Cardamomi,
Macropiperis, i. *Piperis longi,*
Leucopiperis, i. *Piperis albi,* (hujus non meminit *Myrepsus,*)
Corticum foliorum Citrii mali, &
Baccarum Myrtillorum singul. scrupulos duos & grana quinque,
Margaritarum (has prætermisit *Myrepsus.*)
Radicum Behen albi, vel harum loco radicum Buglossi,
Behen rub. vel ejus loco rad. Boraginis,
Corralli rubri, &
Serici crudi, singul. scrupulum unum, grana duo & semissem.
Moschi garna septem & semissem,
Caphuræ grana quinq.

Technicè fiat pulvis: Sacchari albi quantum sufficit, fiat Electuarium solidum, vel molle cum syrupo Rosato Simplici.

Paraphrasis.

ELectuarium hoc nomen sumpsit ab effectu suo admirabili, in restaurando, sive supplendo vires ægrorum deperditas vi aut diuturnitate morborum: quia corrigit vitia quæ supersunt in visceribus, adeò ut ægri usu illius recipiant sanitatem suam & inde præcipuè reparentur. *Nicolaus Salernitanus*, transcripsit hoc Electuarium verbatim è *Nicolao Myrepso: Primo Antidotorum, lib. cap.* 149. nisi quod adjecit Piper album, & plus Margaritarum quàm *Myrepsus:* & scripsit Balsamiten (quæ nostra est menta aquatica, pro Balsamo *Græcorum*) quod simpliciter & sine additione positum semper pro præcipua parte Balsami accipitur, quod est Opobalsamum, idque convenit magis reparationi virium ægrorum amissarum, quam Balsamita. Qui compotes non sunt genuini *Judææ* Balsami, sumere non difficulter poterint Oleum Caryophyllorum, vel Nucis Moschatæ, vel liquorem Myrrhæ recentis, quæ vera est Antiquorum stacte per expressionem extracta. Pro Behen albo & rubro, accipere licet radices Buglossi & Boraginis: & qui formidant Caphuram ob ingratum vel saporem, vel odorem, æquum pondus accipere possunt foliorum Melissæ, aut seminis Cardui Benedicti, quod conveniant magis ei, quod suprà.

De mixtura sive componendi ratione.

SEricum non est torrendum aut urendum, ut *Salernitanus* requirit: quia virtutem suam Cardiacam amittit acquiritque Empyreuma visceribus nocivum, sed concidendum est minutè & pulverizandum cum Margaritis & Corallio: ita uti dictum est in pulvere Xyloaloes & Diamargariton frigidi. Seorsim verò conterenda sunt Spodium, Styrax, Mastiche, Moschus & Caphura in æneo mortario. Ac primum quidem pulverizandum est Lignum Aloes, Radices & Cortices Citrii: Paulò post, Canella, Caryophylli, Zinziber, & Schænanthum, Folium Basilicon, Cardamomum, Piper & Myrtilli: ultimo in loco, Nux Myristica, Rosæ & Violæ. Pulveres hii accuratè pulverizati & cribrati paulatim permiscendi sunt cum Balsamo, sive Succedaneo suo, ut in vase sive olla sua usui recondantur.

Pulvis

Pulvis Dia Trion Santalon. D. N. Salernitæ.

℞. *Trium Santalorum,*
Rosarum rubrarum, &
Zuccari vel Zaccariæ, i. sem. Psyllii,
(sic legendum censeo potiùs quam *Saccari vel Cuccare, i.* Cicutæ) *sing. solidos duos, seu scrup. octo.*
Rhabarbari, vel potiùs Rhapontici veri,
Spodii,
Succi Glycyrrhizæ, &
Seminis Portulacæ, sing. solidum unum & semissem, seu drach. duas.
Amyli,
Gummi Arabici, &
Tragacanthi,
Seminum 4. frigidorũ mundatorum, & Intybi, i. Seriolæ sing. solidum unum, seu scrup. 4.
Caphuræ scrupul. unum & semissem.
Ex arte fiat Pulvis. Nonnulli quadruplicant pondus Rosarum, quod non probo.

Paraphrasis.

Salernitanus hanc descriptionem transcripsit verbatim à *Nicolao Myrepso, Primo Antidotorum cap.* 213. nisi quod in fine, *Myrepsus* posuit semiunciam Violarum: & *Salernitanus*, post Santala, Psyllium in secundo gradu frigidum & temperatum in siccitate & humiditate, *Galen. in fine lib.* 8. *simplicium*: & non corticem situm frigidum in tertio, & Medullam calidam in 4 gradu: ut voluerunt *Avicenna* & *Mesue* eorumque sequaces. Non consulerem ego, ut Pharmacopœus caperet semen cicutæ, quod Planta sit venenosa, testimonio omnis Antiquitatis & experientiæ artium Magistræ: sed Psyllium sive violas, ex opinione *Myrepsi* Authoris *Græci*, uti neque quadruplicaret Rosas, sed ut contextus eo sit quod illic est: quandoquidem sufficiant cum spodio, Rhapontico & Santalis, astrictione suâ, ventriculum, hepar aliaque viscera corroborare, caloremque illorum reprimere. Basis sunt tria santala, à quibus hic pulvis appellationem sumpsit suam: quorum siccitas & asperitudo, temperatur visciditate Psyllii, Gummibus & Glycyrrhizæ succo. Semina & Caphura, tenuitate partium sua, perferunt per meatum urinæ bilem, & Serositates, quæ viscera calefaciunt. Loco Rhabarbari suaderem ego, ut sumatur Rhapontícum, quod astrictione sua fortificat viscera, nec purgat, ut Rhabarbarum: Cum nunc temporis, nullo negotio verum parari possit. Ut non dicam, quod *Myrepsus, Salernitanus*, & plures alii, eorum sectatores, arbitrentur Rhabarbarum *Arabum*, Rhaponticumque *Dioscoridis* & *Galeni* easdem esse plantas: quod prorsus à vero abhorret. Malim autem, ut capiatur residuum Rhabarbari expressi, post infusionem, si veri Rhapontici parandi non suppetat copia, quod non omnino purgat: quod hic positum in parva quantitate nec purgare potest, nec movere humores, ubi convertitur in eorum naturam, & consequenter morbos protrahit.

Solidum sive Exagium nomen est ponderis antiquitus usitati, quod continet sextam partem unius unciæ, i. quatuor scrupulos, & non drach. unam & dimidiam, qui non velit cum *Salernitano, Soladino, Præposito*, & quibusdam aliis eorum sequacibus ponere novem drachmas in unciam pro octo. *Quid sit solidum sive Exagium.*

De mixtura sive componendi ratione.

Singula seorsim pulverizanda sunt Rhaponticum sive residentia Rhabarbari expressi, Spodium, Succus Glycyrrhizæ, Amylum & Caphura. Simul verò Gummi Arabicum & Tragacanthum, in mortario aheneo cum pistillo utriusque calidis, antequam ponderentur: quod in terendo una portio exhalatur, adeò ut in fine pondus requisitum minimè existat. Quatuor semina frigida suis à corticibus mundata super candidam chartam concidenda sunt scalpro vel cultro sutorio: Post, in mortario resubtilizanda sunt cum gummis & pulveribus supra dictis, ut deinde commisceri possint cum hiis subsequentibus. Santala primum incidenda sunt

sunt & conterenda, irrorata antè aqua Rosarum, pulverizanda & subtiliter cribellanda: Post adjici illis possunt Rhaponticum, Psyllium & Scariola, & sub finem Rosæ. Tum demum omnia permiscenda sunt,& usui recondenda.

Dialacca Magna. D. M.

℞. *Laccæ præparatæ, ut dicitur,&*
Rhabarbari,vel potius Rhapontici veri,
(quia potentiùs jecur & reliqua viscera firmat,quàm Rhabarbarum ipsum) *utriusque drachmas duas.*
Spicæ Nardi,
Mastiches,
Schœnanthi (sume florem & non paleam)
Costi candidi,
Myrrhæ electæ,
Croci optimi,
Cinnamomi vel Canellæ selectæ,
Cassiæ Ligneæ Aromaticæ & non Cassiæ purgatricis,
Bdellii,
Seminum Anisi,
Apii,
Ameos,
Fœniculi,
Succorum Absinthii,&
Eupatorii Mesue, *vel* Græcorum.
Sabinæ,
Asari,
Aristolochiæ rotundæ,
Gentianæ,
Hyssopi siccæ,
Amygdalarum amararum,
Radicis Rubiæ tinctorum. singul.drach. unam & semissem.
Piperis nigri &
Zinziberis,utriusque drach.unam.

Fiat Pulvis usui reponendus: vel Myrrham & Bdellium vino infunde, cætera tere,& omnia Melle despumato excipe,& usui repone.

Paraphrasis.

HOc Electuarium a *Mesue* discribitur, *part.* 2. *distinct.* 1. nomen impositum fuit à Basi, Gummi Laccæ primo loco indito,quod ex lotione tenuitatem, & magis aperitivam facultatem acquirit. Hujus virtus incisiva, attenuativa,& detersiva crassorum & viscidorum humorum ad Pulmones per Hyssopum,& Amygdalas amaras ducitur; ad hepar, mediante Succo Absinthii & Eupatorii *Mesuæi*, (quod teste *Matthiolo* est Ageratum *Dioscoridis*) Rhapontico, (pro Rhabarbaro propter rationes in priore Paraphrasi redditas) & Nardo Indica; ad matricem per Sabinam, Aristolochiam, & Gentianam; ad Lienem, Renes & Vesicam, per Asarum, Rubiam tinctorum, Semina Apii, Anisi, Ameos, Fœniculi, & Costum. Mastiche Piper, Zinziber,Crocus, Cinnamomum, & Cassia aromatica (quarum differentia ponitur superius in Paraphr. pul.Diacinnamomi)immittuntur solummodo ad consumendum ventositates, Basis virtutem incisivam augmentandum, ventriculumque partem primam recipientem corroborandum. Myrrha & Bdellium immissi sunt ad viscerum duritiem remollìendum; Mel ad detergendum,& totum conservandum.

Laccæ præparatio.

℞. *Aristolochiæ longæ, & Scœnanthi utriusque unc. semissem. Coque in aquæ lib.una, ad quartæ partis consumptionem; Colaturæ inspergæ Laccæ integræ unc. quatuor, quæ lento igne coquatur donec aqua sit coloris sanguinei, aut quicquid in Lacca boni fuerit, sit dissolutum; tunc per pannum lineum aut filtrum cola, & remanentes sordes rejice: Excolatam vero aquam rubram leviter prunis ad Mellis crassitudinem coquito, & tepidam massam in Trochiscos formato, & usui reponito.*

Paraphrasis.

Gummi lacca quid sit: & de loco ubi crescit.

LAcca non est Cancamum *Græcorum*: quæ artificialis est & Naturalis: Illâ sæpius utuntur Pictores quàm Medici, qua de, non nobis animus est, hoc in loco dicere.

dicere. Naturalis nihil aliud est quam lachryma sive Gummi quarundam grandium arborum, quales sunt Nuces Juglandes quæ ingenti copia crescunt in Pegu & Mertaban, (Provinciis *Indorum* Orientalium) foliis non absimiles Prunis arboribus in quibus formicæ illius regionis industriâ quadam naturali & Artificio admirabili laborant, & sugunt è ramis novellis & tenellis humorem quendam, qui Gummi instar morâ concrescit in ramusculis illis, & subinde reperitur in ipsis formicarum alis. Optima ea est quæ nitescit maximè: & Masticata vel Mansa Salivam rubram reddit: dicitúrque à loci incolis *Trec*, *Arabibus* verò *Persis* & *Turcis*, *Los Somutri* pro *Samatra* hodie dicta *Taprobana*: non quia *Samatra* sit provincia *Pegu* ubi crescit Lacca, vel propè ipsam: sed quia ab *Indis* Orientalibus eò apportatur magna illius copia, tanquam ad præcipuum portum *Indorum* quò *Arabes Persæ* & *Turcæ* appellunt ab omnibus partibus mercandum aromata, aliásque merces quæ eò advehuntur: Quod in causa est ut nominent eam *Lot Somutri* unde transportatur in diversos *Arabiæ* locos, & ad *Aleppo* urbem *Syriæ*: & inde *Constantinopolim*, *Alexandriam*, *Venetias*, *Massiliam*, *Lugdunum*, & alias.

De Mistura, sive Componendi ratione.

PRimum locum trituræ habeant radices: secundum, semina, Cortices, & Schœnanthum, minutim admodum incisa, præsertim si sit ejusdem palea quæ longam fert trituram: quod si sit flos, non incidi debet. Hic *Mesue* bis requirit, & in eodem ordine Schœnanthum, sufficit semel: Tandem Amygdalæ amaræ & herbæ. Si velit Pharmacopœus servare pulverem, Myrrha & Bdellium minutim concisi eum aliis siccis, facilius in pulverem redigentur. Seorsim vero pulverizare oportet Mastichen & Crocum.

Sin verò agatur de compositione Electuarii mollis, Myrrham & Bdellium infundere oportet, ut ait *Mesue*, in vino super calidos cineres, deinde ad consistentiam mellis decoquere, cui adjicietur ad quadruplum totius Mel album despumatum ante & coctum. Deinde, misceantur pulveres, ut usui recondantur omnia. Si succi Absinthii & Eupatorii sicci sunt, cum cæteris facile in pulverem redigentur: Sin verò recentes, adjicientur melle adhuc calido, ante Myrrham, Bdellium & Pulveres. Ad singulas despumati mellis libras, tres unciæ pulveris requiruntur.

Dia Curcuma, sive Diacroc.

℞. *Croci optimi,*
Asari,
Seminum Petroselini,
Dauci Cretici,
Anisi,
Apii, singul. unciam dimidiam.
Ravedsceni, i. *Rhabarbari, vel potiùs Rhapontici,*
Meu Athamantici,
Spicæ Indicæ, singul. drach. sex.
Scordii,
Succi Glycyrrhizæ, singul. drach. duas & semissem,
Scolopendrii,
Costi,
Myrrhæ,
Cassiæ lignæ aromaticæ,
Schœnanthi,
Carpobalsami, vel sem. Lentisci, vel Terebinthi arboris,
Rad. Erythrodani seu Rubiæ tinctorum.
Succorum Absinthii, P. majoris vel rustici & vulgaris, &
Eupatorii Mesue *vel Agrimoniæ nostratis, &*
Olei Balsami, vel Caryophyllorum, vel Nucis Moschatæ, singul. drach. unam.
Calami Aromatici veri, vel officinarum,
Cinnamomi, utriusque drach. unam & semissem.
Gummi Tragacanthi drach. unam.
Fiat pulvis per se reponendus, vel melle despumato excipiendus.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

Mesue describit hoc Electuarium, in loco præallegato. Inscriptio nomen est Arabicum, & res diversas significat. *Serapion*, enim *Cap.* 506. *Lib.* de *Simplicibus*, ait, Curcuma significare Chelidonium. Sed, non video ego, *Mesuen* hoc voluisse, quum in universa hac compositione nullibi ingrediatur Chelidonium. Idem *Serapion*, & *Avicenna*, suis in Synonymis dicunt Curcuma significare radicem illam qua tinctores utuntur, & quam *Græci* appellant Erythrodanon, positam à *Mesue* in tertio ordine, & à nobis in quarto, quæ verisimilior videatur opinio quàm prior. Quidam existimant, Curcuma illud idem esse quod nos vulgò dicimus, *Terre Merite :* Alii, quod hoc vocabulum depravatum sit de *Diacrocon*, i. compositio de Croco, posito in principio, & magna in quantitate & tenente locum Basis : quæ etiam appellatio hactenus retinetur. Quod ad me attinet, opinor hoc nomen Generale esse : & ab *Arabibus* accipi pro re omni quæ flavum tingere possit colorem ; sicut Chelidonium, Rubia major, Terra Merita, Crocum, &c. Quod ipsum ansam Interpretibus dedit, hoc vocabulum variis modis vertendi. Levis croci astrictio intenditur & ad jecur perducitur, per succos Rhapontici, Schœnanthi & Nardi Indicæ. Calamus Aromaticus, Myrrha, Scordium, Carpobalsamum & Opobalsamum (sive eorum Succedanea) vim suam ad matricem deducunt. Meum Athamanticum, Costus, Asarum, Rubia tinctorum. Semina & Ceterach, ad Lienem, renes & vesicam : Canella & Cassia Aromatica induntur ventriculi causâ & resistendæ humorum putredini : Succus Glycyrrhizæ, & Gummi Tragacanthum, imponuntur ad corrigendum calorem & siccitatem præcedentium : Mel ad detergendum materias Crassas & viscosas in visceribus detentas : & ad totam compositionem servandam.

Conciliatio variarum opinionum de Curcuma.

De Mixtura, sive componendi ratione.

Ordo terendi observari debet, ita ut dictum est in Dialacca. Pulvere jam præparato, Pharmacopœo considerandum est, utrum velit eum diutius servare an non : num velit etiam conficere Electuarium solidum an molle in Opiatæ forma. Si animus sit ei pulverem diù conservare, non oportet eum admiscere succedaneum Olei Balsami, nisi in ipso utendi tempore : alioqui totus pulvis esset rancidus, ingratus, & parvo in tempore minor. Quod si haberet verum *Judæa* Balsamum, immiscere illud poterit, quia non rancescit. Si uti eo impræsentiarum cupit, vel Electuarium molle conficere, immiscendum est Balsami succedaneum paulatim, pulveri in mortario, vel cum melle despumato dissolvere : & coctum cum est, (authepsa jam ab igne sublata) cum pistillo ligneo : Post adjicere poterit pulveres paulatim, continuo agitando, ne in grumos concrescant. Cum jam refrixerit, omnia simul in olla bene contecta usui recondentur : Ac sic quidem diù tota confectio servabitur. Quod ad dosim pulveris ad Electuarium molle, hæc proportio servanda est, trium sc. unciarum, ad singulas mellis despumati & cocti libras : Ad solidum Electuarium, sufficiunt sex drachmæ sive semuncia cuique sacchari libræ, in gratiam delicatiorum, propter amaritudinem : sicut supra dictum est.

Pulvis Electuarii, Justi. D. N. Salernitani.

℞. *Cinnamomi, seu Canellæ selectæ,*
Cassiæ lignea aromaticæ,
Folii Indi, seu Malabathri Græcorum,
Hyssopi sicca,
Pulegii.
Arthemisiæ,
Radicum Costi,
Nardi Indicæ,
Aristolochiæ longæ & Rotundæ,
Helenii, id est, Inulæ campanæ,
Pentaphylli, id est, quinquefolii,
Piperis albi,
Erui, seu Orobi veri,
Seminum Petroselini.
Olusatri seu Hipposelini.
Levistici seu Ligustici,

Urtica,

Urticæ,
Milii solis, seu lithospermi Græcorum.
Saxifragi,
Asparagi,
Sileris montani,
Apii seu Eleoselini Græcorum:
Anethi,
Rutæ,
Citrii mali,
Fœniculi,
Anisi.
Baccarum Juniperi &
Lauri: sing. drach. unam & semissem.

Fiat pulvis quantitate sufficienti Mellis despumati excipiendus; vel sine Melle, usui reponatur.

Paraphrasis.

Salernitanus dicit *Justinum* Imperatorem *Romanorum*, fuisse hujus Electuarii Authorem: qui suum illi nomen imposuit: compositioni scilicet se dignæ & Imperatore, ob insignem ejus virtutem. Basis est prorsus diuretica, & frangit lapidem, præterquam quod quædam imponuntur ad fortificanda viscera, & reddendum eorum actionem meliorem.

De Mixtura sive componendi ratione.

IN primo triturationis ordine, ponendæ sunt Radices: in secundo, Semina, Canella, & Cassia, ultimo in loco herbæ siccæ. Cuncta subtiliter pulverizata & cribellata, probeque in vase vitreo suo composita: ut cum Saccharo in aqua Saxifragiæ soluto, fiat Electuarium solidum: vel cum Melle candido despumato & cocto, Electuarium Molle: vel aliud Remedii genus quale præscribetur.

Pulvis Elect. Lithontripticon. D. N. Salernitani.

℞. *Nardi Indicæ,*
Zinziberis,
Xylobalsami, vel surculorum Lentisci vel Terebinthi,
Acori veri vulgò Calami Aromatici Officinarum nuncupati,
Cinnamomi,
Peucedani,
Meu Athamantici,
Trium Piperum & Saxifragiæ, singul. drach. duas & semissem,
Opobalsami vel Olei Caryophyllorum, vel Nucis Moschatæ
Caryophyllorum,
Costi,
Rhapontici, vel Rhabarbari (quia Arenulas comminuit.) tenuissimè pulverizati.
Glycyrrhizæ,
Cyperi,
Gummi Tragacanthæ.
Seminum Olusatri seu Hipposelini,
Apii,
Ameos (cum *Nicolao Præposito* & non cum *Salern.*)
Asparagi,
Ocimi. i. Basiliconis,
Urticæ,
Citrii mali,
Chamædryos, singul. drach. unam & gr. quindecim,
Folii indici seu Malabathri Græcorum,
Croci,
Schœnanthi,
Cassiæ Lignea Aromaticæ
Bdellii,
Mastiches,
Ireos,
Amomi
Levistici, hæc tria addit *Præpositus*, & non *Salernit.*
Milii solis, seu Lithospermi Græcorum.
Petroselini Macedonici vel nostratis,
Sileris montani,
Sinoni, seu Apii montani, seu Petroselini agrestis, vel Oreoselini, Dioscor.
Cardamomi,
Anethi,
Euphorbii,
Lapidis Lyncis,
Oleorum Nardini & Moschelini, sing. scrup. unum & grana 4.
Sacchari vel Mellis despumati, q. s. Fiat Electuarium.

Paraphrasis.

DE Authore hujus tam præstantis pulveris, nobis non constat: describitur tamen a *Salernit.* in *Antidotario suo.* Cui *Nicolaus Præpositus* adjecit Semina Ammeos, Amomum & Ligusticum, vulgo dictum Levisticum, & radicem Ireos. Appellatio sua satis denotat virtutem. Nam Lithontripticon denotat calculum seu lapidem comminuens: quandoquidem comminuit crassum sabulum & calculum in renibus & vesica retentum. Basis non est unicum medicamentum, sed plura simul. Quædam eorum posita sunt ad corrigendam aliorum asperitatem & siccitatem, sicut Olea, Bdellium, Glycyrrhiza, Gummi tragacanthi: Alia ad firmandum ventriculum, ut Mastiche, Canella, Cassia Aromatica, Zinziber, Crocum, & Caryophylla: Alia ad roborandum jecur, ut Nardus Indica, Rhapontícum, Folium & Schœnantum: Alia ad lienem & matricem, veluti Chamœdrys, Iris, Meon, Cyperus, Xylobalsamum, Opobalsamum, &c. Usus ejus erit a purgationibus universalibus, & matutino in tempore solum. Atque illius plus aut minus pro ratione ætatis, sexus, temporum & regionum.

De mixtura sive componendi ratione.

IN principio trituræ, ponenda sunt Lignum Aloes, sive Santala Critina, rejicimus autem Lentisci aut Terebinthi secundum *Penam*, ob Xylobalsamum & radices. In medio Semina, Canella, Cassia, Caryophylla, Zinziber, Schænanthum & Chamœdrys. Deinde adjicies Olea & Succedaneum Balsami: quæ impedient exhalationem eorum, & ne adhæreant Mortario. Seorsim conterenda sunt, Crocum, Mastiche, Lapis Lyncis & Bdellium cum una parte Seminis Citrii, ut non adhæreat mortario: Euphorbium etiam cum residuo Seminis Citrii, ne exhalet & offendat pulverizantem. Gummi Tragacanthum in mortario & cum pistillo calidis; antequam ponderatur, quod oportet. Omnia subtiliter pulverizata, commiscebuntur, & usui reponentur. Cui placet Electuarium componere solidum, accipiat unciam pulveris unam, ad singulas Sacchari libras: sin verò molle in forma Opiatæ, triplum aut quadruplum Sacchari, pro delicatioribus: vel tantundem Mellis albi despumati & cocti: pro aliis minus: Hac in formâ, diutius servabitur quam alias: Nam pulvis minore in tempore (ob olea) rancescit: & in forma solida, aer facilè virtutem resolvit, quod fieri non oportet, ut diximus in pulvere *Justini.*

Pulvis Dia Cydoniten sine speciebus. ἀδύνατον.

℞. *Rosarum rub. unciam dimidiam,*
Trium Santalorum &
Coriandri præparati ana drach. duas.
Seminum Acetosæ,
Portulacæ,
Berberis,
Cort. granorum Sumach,
Gummi Arabici assi &
Tragacanthæ ana drach. unam,
Mastiches,
Sanguinis draconis in Lachrymis,
Succini, vulgò Carabes &
Spodii Arabum ana drach. semissem.
Camphoræ gr. 2. & semissem.
Fiat Pulvis usui reponendus.

Paraphrasis.

DE Authore hujus pulveris incertum est mihi, atque idcircò non video quare debeat ita nominari (qui non ingrediuntur Cydonia, nec eorum quicquam) nisi hoc sit ad supprimendam memoriam aliorum pulverum ejusdem nominis, a *Myrepso, Mesue* & *Salernitano*, in Antidotariis suis descriptorum: in quos ingrediuntur Cydonia, Aromata sive species & Moschus ad recalfacienda & fortificanda viscera refrigerata, quæ non amplius jam in usu sunt, ob ingratum eorum saporem. Quorum vice utuntur quidam Miva Cydoniorum, a *Mesue* composita & superius descripta,

descripta, quæ consimilem habet virtutem, & non ingrata est ægrorum palato. Hanc descriptionem mutuatus sum è Pharmacopœa *Jouberti*. Cujus Basis sunt Rosæ positæ in principio: à quibus non potuit suam denominationem accipere, ob pulverem Diarrhodon qui illic nominatur. Virtus earum refrigerans augetur per Santala & semina Acetosæ, portulacæ & aliorum. Astrictoria, per sanguinem draconis in lachryma, qualis hodiè apportatur ex *Insulis Canariis*, quas *Fortunatas* dicunt, & per Caraben, sive Ambram Citrinam seu flavam: Mastiche hic additur, tam ad fortificandum ventriculum quam ad conservandum calorem ejusdem naturalem, & contemperandam frigiditatem aliorum. Gummia immittuntur ad incrassandos humores nimis aqueos, qui sæpe decumbunt è Cerebro in ventriculum, unde insequuntur vomitiones & Diarrhæa: similiter etiam ad retinendum diutiùs virtutem suam in parte affecta, quandoquidem remediorum nostrorum operationes, perfici non possint in uno temporis momento, & præterea ad corrigendum bilis acrimoniam, quæ excalfacit viscera. Caphura parva in quantitate inditur ob ingratum illius saporem, & ut pro vehiculo sit astringentibus. Variis & diversis modis uti quis poterit hoc pulvere, vel cum ovo tremulo & molliusculo pondere semidrachmæ: vel drachmæ integræ cum vino: plus aut minùs secundum tollerantiam ægri, vel habita ratione ætatis & temperamenti sui, vel secundum intentionem quam ipse respicit: sive etiam in componendo tabulas vel pulverem digestivum, vel conditum, vel aliam remedii formam. Si placent tabulæ, proportio erit pulveris duo scrupuli vel drachma una singulis sacchari unciis. Si pulvis digestivus duæ illius drachmæ unicuique sacchari libræ: sin verò conditum sive Opiata, tres drachmæ singulis unciis conservarum morbo congruarum. De quo capiat æger, vesperi, mane atque etiam à pastu.

De Mixtura, sive componendi ratione.

IN primo terendi ordine, tria Santala minutim incisa, sunt ponenda: in secundo semina omnia, & in tertio Rosæ à suis unguibus mundatæ: per se & seorsim pulverizare oportet Mastichen cum aliquot aquæ guttis, ne mortario adhæreat. Gummia itidem antequam ponderentur ob eorum deciduum, in mortario & cum pistillo calidis in pulverem reducenda sunt. Succinum citrinum, Spodium Arabum, acceptum pro Antispodio *Græcorum*; Sanguis draconis & Caphura, cum semiguttulâ olei. Hoc facto omnes simul pulveres commiscebuntur, & usui recondentur.

Pulvis Electuarii Croci Martis Descriptionis, B. Bauderoni.

℞. *Dictamni Cretensis sicci, subtiliter triti, vel ejus penuriâ, salviæ subtiliter pulverizatæ, scrup. unum.*
Cinnamomi interioris drach. semissem.
Pulveris Electuarii de Gemmis, descriptionis Mesuæi, *scrup. duos:*
Pulveris Diarrhodon Abbatis drach. unam.
Scobis (i. *Limaturæ*) *Chalibis aut ferri optimè præparati unciam semissem.*
Fiat pulvis usui reponendus, vel cum sacchari Taberzet aqua Graminis aut Melissæ soluti, unciis decem, fiat Electuarium solidum in Rhombos, ponderantes drachmas duas, aut tres.

Paraphrasis.

MAgister *Bricius Bauderonius* Pater meus, hujus pulveris Author est, qui longa experientia sua edoctus effectus ejus compotes nos fecit, quippe quo usus semper fuerat ipse quotidie adversus pallidos (virginum) colores & obstructiones, nunc in liquore aliquo, nunc in tabulis ac subinde in opiatæ forma, prout ægrorum palato inserviret. nomen illi imposuit Croci *Martis*, Basis ratione, quæ est Limatura ferri vel Chalybis, & cujus dosis major est quàm ullius ingredientis cujuscunque: cognomen illi addidit *Martis*, quod hujusmodi metalla, propriè respiciant *Martem*, tanquam ejus influentiis & Dominio subjecta, sicut Cuprum *Veneris*. Plumbum *Saturni*, Aurum *Solis*: Argentum *Lunæ*: & sic de Cæteris (quod nihil nostro

Crocus Martis quid, & unde sic dictus.

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

tractatui aut propositio competit.) Appellat autem Croci nomine, coloris flavi causâ quo præditus est, parum à Croco differentis. Debilior virtus ejus in deoppilandis viscéribus, Dictamno intenditur: tardior vis Canellæ acceleratur, quæ illi est pro vehiculo, ad mesenterium, jecur, lienem & matricem eum perducendo. Pulvis Diarrhodon inditur tam ad munimentum ventriculi & hepatis, quam ad ea fortificanda: ad reprimendum etiam eorum intensum calorem, ad promovendam concoctionem, & discutiendos ventriculi flatus: Pulvis Electuarii de Gemmis ingreditur, Cerebri, Matricis & Cordis causâ: quod fortificat & præmunit adversus syncopas & palpitationes, tristitiam & mœrorem ægrorum pellendo.

De Mistura, sive componendi ratione.

MUlti præparare Ferrum & Chalybem consueverunt, ut usui in medicina inservirent: sed variis & diversis modis, adeò, ut non ineptè dici possit, Martem suo quemque Marte parare: quod quidem in hoc pulvere faciliùs negotium. Optimus (quod sciam) est, & quem author in Praxim adduxit, ferrum sive Chalybem priùs Limatum Calcinare in crucibulo per reverberationem, idemque jam prærubrum immittendo in aquam rosaceam quod supernatat, colligendo, auferendóque; crassiorem verò partem quæ fundum petit, in mortario æneo pulverizando, iterumque ut antea, calcinando, & in aliam aquam rosaceam vel acetum rosaceum immergendo, seorsim semper quod supernatat seponendo, & sic continuando, quâ pulverizando, qua calcinando residuum, eodem in crucibulo, quoúsque totum ita subtile deveniat, ut ægrè possis digitis prehendere: Alioquin gravitate sua ponderéque, subsisteret in fundo ventriculi: nec per Mesenterium viscerâque distribueretur, ad quæ ut perveniat Author intendit, ut effectus fœlici cum successu perspici possit. Huic Limaturæ ad hunc modum præparatæ adjicientur alia ingredientia seorsim quæque pulverizata, ut omnia simul usui recondi possint. Ex hoc pulvere componi poterint Tabellæ, opiatæ, pilulæ, aliáque remediorum genera, prout usus postulat, doctúsque ac expertus medicus præcipiet. Dosis ita se habet, út sacchari singulis unciis, duo scrupuli, vel drachma una ut plurimum accedant, idque pro minùs delicatis & robustioribus, si quis velit componere tabellas; binæ verò drachmæ, si cui placeat in opiatæ formam reducere, singulis conservarum unciis. Sin verò in Pilulas, misceri poterit hic pulvis, cum syrupo Capillarium, vel alio quopiam, ut medico videbitur, adjiciendo semiunciam Aloes *Socotorinæ* (qualis ad nos apportatur ex Insulis, *Socotorinis*,) Lotæ in aqua Meliss æ aut Graminis, ut omnia simul incorporentur, & fiat Massa, usui reponenda.

Pulvis Hydragogus, Descript. B. Bauderoni.

℞. *Radicis Jalap. unciam dimidiam.*
Radicis Mechoacan veræ, & non Bryoniæ, drach. duas.
Rhabarbari electi, &
Cinnamomi ana scrup. quatuor,
Seminis Ebuli, &
Anisi,
Folior. Brassicæ marinæ Dioscor. i.
Soldanellæ ana drach. unam.
Fiat pulvis subtilis usui servandus.

Paraphrasis.

HYdropici adeò frequentes sunt in Climate sub quo *Magister B. Banderonus* Pater meus medicinam facit, ut hunc quem in manibus habemus componere coactus sit. Cui consimilem feci ego in publicum commodum: ad subveniendum illis: quum in officinis non extet ullum remedium ad hoc præparatum. Hujus pulveris exhiberi tuto potest cum vino albo vel alio liquore conveniente pondus, ab una drachma ad duas pro robustioribus: vel inde componere licet, Tabellas, Opiatas & alias remediorum formas pro ægri palato & arbitrio medici. Cognominatus est ab Authore suo Hydragogus, ob effectum suum. Basim constituit Radix Jalapii posita in principio: cujus infirmior vis

augetur,

augetur, per radicem Mechoacam, ſemen Ebuli, Soldanellam & Rhabarbarum: ad detrahendum aquas per ſeceſſum, & expeditè facileque per viam urinæ. Canella inditur ad munimentum ventriculi & aliorum viſcerum contra nocumentum Hydragogorum, & ad eadem viſcera fortificanda: Aniſum ad flatus diſcutiendos, qui ſolent ea concitari.

De Mixtura ſive componendi ratione.

OMnia pulverizari ſimul poſſunt & ſubtiliter Cribro trajici: excepto Rhabarbaro, quod per ſe in pulverem redigi oportet quam tenuiſſimum. Quod commodè fieri non poterit unà cum aliis ingredientibus. Talis autem pulvis ita commiſtus, uſui ſervandus eſt.

Pulvis ad Puerperarum tormina. D. B. Bauderoni.

℞. *Seminis Saturiæ, drach. duas.*
Radicum ſymphyti majoris drach. unam.
Nucleorum Perſicorum mundatorum, & Nucis Moſchatæ, ana ſcrupul. duos.
Succini drach. ſem.
Ambaris Cineritiæ ſcrup. unum: Si dives fuerit; vel ſcrupul. ſemiſſem, ſi minùs dives.

Fiat Pulvis, uſui ſervandus. Doſis eſt drach. 3. aut ſcrup. 4. ſi eſt expers febris; aut cum jure pulli, ſi febris adeſt.

Paraphraſis.

NOmen huic pulveri eſt ab effectu ſuo. Baſis eſt ſemen Satureiæ, vulgò dictæ *Sarriette*. Virtus ejus detergens augetur per Symphytum majus, Nucem Moſchatam & Ambram griſeam. Carabe ſeu Ambra Citrina, additur ad fortificandum aſtrictione ſua. Doſis erit drachma una, aut ſcrupuli quatuor cum vino albo, ſi febris abſit: vel cum jure capi ſi febris adſit. Quod ad miſturam, ſingula quæque ingredientia ſeorſim pulverizari oportet ſine ullo alio artificio: dein permiſceri & uſui neceſſario ſervari.

Pulvis ad Puerorum Enterocelem. D. B. Bauderoni.

℞. *Radicum Symphyti majoris, & Herniariæ drach. duas.*
Radicis ſigilli Beatæ Mariæ. vi. Cyclaminis, Ciſſanthemi ſeu Ciſſophyllon dicti, & non Radicis vitis nigræ.
Radicis ſigilli Salomonis, ſeu Polygonati Dioſcoridis *ana drach. ſemiſſem.*
Cineres limacum Rubrarum drach. unam.

Fiat Pulvis: de quo initio Paſtus diſſolvatur drach. ſemis in parva quantitate pultis dando reliquum pultis, in quo nullus pulvis inerit, ſic per multos dies continuando.

Paraphraſis.

INventionem hujus pulveris non aliunde profectam eſſe cenſeo, quam a Magiſtro *Bricio Bauderono* patre meo: quod eum viderim fœliciter in diverſis locis illo utentem: quem cognominavit ab effectu ejus in ſcriptis ſuis nondum excuſis, è quibus eum tranſcripſi. Baſis illius ſunt Radices Symphyti majoris (vulgò appellati *Conſire*) poſitæ in principio: quarum vis aſtringens hîc ſolum quæſita, augetur & intenditur per *Herniariam* (centumnodiam ſive Polygonum minus dictam) & Polygonatum, Officinis *Sigillum Salomonis*. Cineres limacum & ſecunda ſpecies Panis porcini vocati Ciſſanthemum, & in officinis Sigillum Beatæ Mariæ, adhibentur ut ficcitate ſua abſorberent & conſumerent, humiditatem ſuperfluam quæ in pueris & infantibus abundat: & comitari ſolet inteſtinorum deſcenſum ſive prolapſionem in ſcrotum: Adde quod, occultâ proprietate propoſito Authoris accommoda ſunt.

De

De Mixtura ſive componendi ratione.

LImaces rubras calcinari oportet in olla terrea : Radices ſiccatas ſimiliter, pulverizari : poſt, commiſceri & ſervari ad uſum.

Sectio Quinta.

De Opiatis.

De Opiatis in genere.

OPiata eſt unum Antidoti genus, ſive Electuarium molle, ab Opio ita denominata, quod eam ingreditur Opium : ſive aliud Medicamentum Narcoticum vel ſtupefaciens illius penuriam ſupplens. Medici & Antiqui & Neoterici utuntur ad ſomnum conciliandum, vel dolorem quempiam inſignem mitigandum, quod Anodyna, non efficere potuerunt : vel etiam ad incraſſandum & ſiſtendum enormem defluxionem aliquam quæ a Cerebro decumbit in pectus, pulmones, ventriculum &c. vel denique ad cohibendam quamcunque Hœmorrhagiam.

Earum uſus quantumvis periculo vacat, ſi non in majori quantitate ſumantur, ſicut teſtatur *Galenus libro* 3. *ſimplicium. cap.* 18. & 19. Tamen non utendum illis eſt, ante ſex menſes ab earum compoſitione, in quibus fermentantur, & durant plerumque in vigore ad ſex uſque annos inſequentes : Poſtea, minimè aut nihil omnino valent, quod Narcotica jam earum virtus evanida ſit. Author *Avicenna libr.* 1. *Fen.* 4. *cap.* 30. Utcumque alia diutius vigorem ſuum retinent ; Quales, ſunt Aurea Alexandrina, Theriaca, Mithridatium : ob inſignem Opii quam recipiunt quantitatem. Ad accerſendum ſomnum nos utimur ferè à Cœna, horâ quando æger etiamnum ſanus cubitum petit. Ad ingentes dolores mulcendos & ad ſiſtendas hæmorrhagias, primo mane, & ventriculo ab alimentis vacuo : quatuorq; horis ante & poſt, ad incraſſandas fluxiones.

De Opiatis in ſpecie.

Diacodium ſimplex & Compoſitum. Galeni.

℞. *Capita decem Papaveris magnitudine mediocri : in Aquæ ſextario uno vel quantitate ſufficienti macera horas* 24. *ſi humidiora, vel biduo ſi ſicciora, ſuper Cineres calidos. Coquantur dum flaccida fuerint ad ſucci extractionem. Expreſſo liquore diſſolve medium pondus Sapæ & Sacchari, non Mellis : quia acrius & calidius eſt quam par ſit, & coque ad juſtam Craſſitiem, ut ſervari poſſit : ſi compoſitum deſideras ex* Meſuæi *præſcripto, unicuique libræ Diacodii ſimplicis, pulvis ſequens injiciatur.*

℞. *Acatiæ veræ, vel noſtratis,*
Hypociſtidos,
Myrrhæ,
Croci optimi,
Balauſtii. ſingul. drach. unam.
Trochiſcorum Ramich, unciam dimidiam.
Fiat pulvis utendi tempore miſcendus.

Paraphraſis

Paraphrasis.

VTrumque hîc non intret Opium, tamen Capita papaveris, ex quibus fit, supplent ejus defectum, & consequenter locari meretur in Serie Opiatarum, & non alibi. Author est *Galenus*, *Lib.7. Medicamentorum secundum locos*, *Cap.2.* unde nos transcripsimus. Mellis vice (quod calidum & acre sit) una cum *Mesuæo* suademus saccharum injicere & Penidia, pari pondere, quo sapam vel vinum decoctum. Basim faciunt Papaveris capita, quas Græci Κωδείας, & Κώδιας vocitant, à quibus nomen sumpserunt. Pulvis non est injiciendus, nisi quando summa opus est astrictione. Sapa seu vinum decoctum vel Penidia, & saccharum imponuntur, ad corrigendam siccitatem & asperitatem, tam Basis quam pulverum: ad detergendum etiam, & promovendam eorum actionem, & virtutem eorum conservandam.

De Mistura sive componendi ratione.

ACcipe capita Papaveris, albi & nigri, magnitudine mediocri, quæ sint neque humida, nec sicca, sed quæ utrumque participant. Sicca enim parum succi habent: humida nimio scatent, eóque crudo, aquoso & invalido. Hunc in modum selecta, macerato magis aut minùs prout participant plus aut minùs humiditatem & siccitatem, in quantitate sufficienti aquæ sive pluviæ, sive fontanæ super calidos cineres: deinde coques ea parum, si recentia sint & mollia, quia *Galeno* Authore, facultas eorum refrigerans, hîc quæsita coctione amittitur: contrà verò, si siccio-ra sint, coquere ea paulò plus oportet, donec flaccescant & molleścant, ex *Oribasii* sententiâ *Lib.* 5. *Cap.* 18. *Collectaneorum suorum*, & ut per fortem expressionem extrahi succus possit, non autem ea coquere ad medietatem, vel ad duarum tertiarum aquæ consumptionem, ut quidam consulunt. Super duodecim uncias succi injicies tres sapæ seu vini cocti uncias: vel Penidiorum & saccharì tantundem dimidium sc. duo denarii numero, quæ parvo igne, lucido & non fumante coqui curabis, ad consistentiam Eclegmatis, quod medium inter syrupum & Opiatum obtinet, necessariis usibus reponenda.

Sextarius nomen est Antiquorum mensuræ, quod significat sextam partem alterius majoris, sc. *Congii* & *Chus*: quæ *Athenis* ponderabat novem, *Romæ* verò decem aquæ libras, vel etiam vini mediocris substantiæ. Oleum levius est quam vel aqua vel vinum, novena scilicet parte: mel dimidia parte ponderosius. Exempli gratiâ: Si sextarius ponderat aquæ vel vini viginti uncias, ponderabit octodecim olei uncias, & mellis viginti octo. In tractatu de ponderibus & mensuris fusius volente Deo dicemus, in commodum eorum qui minus hoc in argumento versati sunt.

Requies. D. N. Myrepsi.

℞. *Rosarum rubrarum, &*
Violarum, utriusque drach. tres (hoc pondus *Myrepsus* prætermisit, addit *Salernitanus*)
Opii, vel Meconii,
Seminum Hyoscyami,
Papaveris albi,
Intybi seu Seriolæ sativæ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Psillii,
Corticis radicis Mandragoræ,
Nucis Moschatæ,
Cinnamomi, &
Zinziberis, singul. drach. unam & dimidiam (hujus non meminit *Salernitanus*).
Sacchari Chrystallini seu Candi, drach. unam (*Salernit.* ut aliorum habet drach. unam & semissem.)
Trium Santalorum, cum *Salernitano*, (nam Citrini non meminit *Myrepsus*,)
Spodii,
Tragacanthi, sing. scrup. duos & grana quinque.

Technicè fiat pulvis, usui recondendus, vel cum Julepo Rosato paretur Opiata usui. Mel, quoniam calidius & acrius est, minus convenit: ob id, rejiciendum censerem.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

NIcolaus *Myrepsus Alexandrinus*, in *primo Antidotorum*, *Cap.* 295. hanc Opiatam describit quæ ab effectu suo nomen adepta est, quoniam provocando somnum requiem præbet & robur ægris infirmis, ex resolutione & dissipatione spirituum, humidíque radicalis consumptione, à nimio calore febrium continuarum, qui deiccat meningas seu membranas cerebri, corpúsque universum. Pro Basi sunt Rosæ Violæque in principio locatæ: quarum vis refrigerans intentior fit Opio, Hyoscyamo, Mandragora & Papavere. Nux Moschata, Canella & Zinziber suo calore noxam narcoticorum corrigunt, & penetrare faciunt ea tenuitate partium suarum: corroborántque ventriculum, utpote qui primum recipit fructum. Santala & Spodium imponuntur ad muniendum jecur, fontem venarum & sanguinis: ubi materia febrilis sita & congesta est. Semina Endiviæ, Lactucæ & Portulacæ, ad vehendum bilem & serositates per urinæ meatus. Saccharum crystallinum & gummi Tragacanthinum immittuntur cum semine Psyllii ad detergendum materiam crassam, leniendum & emendandum asperitatem & siccitatem totius compositionis. Syrupus Rosatus cum saccharo factus & aqua rosacea quatenus refrigerat, magis convenit deliriis & febribus continuis, quam Mel, quia calidum, quod injectum est ad detergendum & totum conservandum, reddendúmque ejus actionem efficaciorem.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimum curiosè conteri debent Santala, cum aliquot guttulis aquæ rosaceæ: dein adjicienda sunt cortex Mandragoræ, Canella, Nux Moschata & Zinziber: Paulò post Opium (vel illius penuriâ meconium quod nunc dierum pro verò Opio venditur, sed male) & semina omnia, postremò Rosæ & Violæ (seorsim pulverizari oportet saccharum, Spodium & Tragacanthum) post hæc, unà cum cæteris commisceri in mortario. Pulvis servetur per se in vase suo, & cum triplo Julepi Rosati (cocti ad perfectionem syrupi) misceatur, & usui recondatur.

Antidotum Asyncritum. D. Actuarii.

℞. *Opii, drachmas sex,*
Myrrhæ drach. quinque & scrupulos duos,
Piperis nigri, &
Seminis Petroselini, utriusque drach. quinque,
Apii, &
Sinapeos, utriusq; drach. quatuor.
Junci odorati seu schœnanthi drach. tres
Amomi, aut succedanei ejus, Cubebarum,
Styracis Calamites, utriusque drach. duas,
Magmatis Hedychroi, drach. unam & scrup. duos,
Cassiæ Lignea Aromaticæ,
Piperis albi &
Seminis seseleos scrup. quatuor.

Fiat pulvis cum omnium triplo Mellis despumati excipiendus, & usui asservandus. Opium sapa dulci macerandum, donec liquescat. Styracem melle deductum, vel deductum usurpa, & reliqua lævigata insperge in Opiatæ crassitudinem.

Paraphrasis.

ANtidotus hæc, seu Opiata describitur ab *Actuario, libro quinto Cap. 6. Methodi suæ curativæ*: quæ nomen sumpsit ab effectu suo incomparabili: quoniam virtute non aliis cedit quibuscunque. Basis est Opium positum in principio, cujus nocumentum corrigitur Myrrhâ, Pipere & Cassiâ Aromaticâ, quæ insuper corroborant ventriculum, incidunt materias crassas, inserviúntque pro vehiculo; Schœnanthos astrictione sua fortificat hepar. Semina deducunt vim Basis ad renes & vesicam, flatúsque discutiunt: sicut Amomum & Hedychroon,

chroon, & Styrax ad matricem, detergentque mucores qui inibi sunt, idque auxilio Sapæ & Mellis quæ illas recipiunt, corpusque Compositioni addunt, & promovent ejus actionem, speciesque conservant.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimum infundatur Opium in Sapa, (super cineres calidos) in morsellos concisum, ut citius liquefiat. Tum pulverizentur semina, Piper, Schœnanthum & Canella, in mortario æneo & cribellentur: seorsim contundantur, Myrrha Trochisci & Styrax. Deinde sumatur triplum omnium Mellis albi despumati & cocti. In quo adhuc calido dissolvatur Styrax: Posteà immittatur Opium in Sapa solutum, ablata jam ab igne authepsa. Tum demum injiciantur sensim & paulatim pulveres: ac cum omnia refrixerint, usui recondantur.

Philonium Magnum, seu Romanum. D. N. Salernit.

℞. *Piperis albi &*
Hyoscyami albi, utriusq; drach. quinq;.
Opii drach. duas & dimidiam.
Cassiæ lignea & Aromaticæ,
Cinnamomi utriusque drach. unam & semissem.
Sem. Apii.
Euphorbii &
Costi, singul. drach. unam. (Si hujus loco, tantundem Myrrhæ vel Castorii sumpseris, Basis erit emendatior)
Sem. Petroselini.
Fœniculi &
Dauci Cretici, singul. scrupulos duos, & grana quinque.
Nardi Indicæ
Pyrethri, &
Zedoariæ. singul. grana quindecim.
Croci scrup. dimidium.
Mellis optimi despumati, omnium triplex pondus.

Ex arte paretur Opiata usui asservanda. Hoc Philonium similes obtinet vires, illis quas laudanum Spagyricorum ab eis celebratum, ut eo carere possis.

Paraphrasis.

OPiata hæc nomen accepit ab Inventore suo, *Philone* Præstanti Medico & Philosopho Græco, *Tharsis*, (patriâ *Divi Pauli*) oriundo, qui Medicinam *Romæ* fecit, quando versu Elegiaco illam composuit. *Galenus lib. 9. Medicamentorum secundum locos cap.* 4. Ex quo tempore, medici addiderunt aliquid, & indiderunt ei cognomen, (*Magnum,*) ad differentiam aliorum eodem nomine, minoris efficaciæ: uti & *Romanum*: quia primum in usu fuit Authori ipsi aliisque Medicis *Romæ*. Basis est Opium, cujus vis Narcotica intenditur Hyoscyamo: nocumentum corrigitur Euphorbio, Croco & Castorio, inserto pro costo. Cætera medicamenta calida imposita sunt, ut tenuitate partium suarum, incidant & attenuent, crassas & viscosas materias, consumant flatus, & penetrare faciant profundius, narcoticam Basis vim, omniaque viscera corroborent: Mel ad detergendum, promovendam operationem, & vires ingredientium conservandas.

De mixtura sive componendi ratione.

CRocus & Euphorbium primò per se pulverizanda sunt & cribellanda, deinde cum reliquis permiscenda. Postea Mellis albi despumati & cocti triplum pulveris pondus accipiendum: quod cum jam ab igne sublatus est lebes, paulatim permiscendus est, & totum usui reservandum. Hac Opiata non utendum est sex mensibus insequentibus, ob quantitatem Hyoscyami & opii quæ ingrediuntur. Post decennium, eorum frigiditas aliis medicamentis calidis superatur, & ex consequenti, Opiata parum aut nihil valet. Dosis robustis est magnitudo unius nucis Avel-

Animadversio seu Admonitio de dosi & usu Opiatarum.

lanæ, debilibus vero unius fabæ: Infantibus autem Ciceris, cum convenienti aliqua decoctione. *Gal.* 12. *Methodi.*

Philonium Persicum. D. M.

℞. *Piperis albi* & non Papaveris albi,
Hyoscyami, utriusque drach. viginti.
Opii &
Terræ sigillatæ utriusque drach. decem.
Sedenegi. i. lapidis Hæmatitis,
Croci utriusque drach. quinque.
Castorii,
Spicæ Indicæ,
Euphorbii,
Pyrethri,
Margaritarum integrarum.
Karabes seu succini,
Zedoariæ,
Doronici vel Inulæ Campanæ,
Trochisc. Ramich. singul. drach. unam.
Caphuræ scrup. unum.
Mellis Rosati, omnium triplex pondus.

Fiat Opiata. Dosis erit, a drach. semiss. ad drachmam unam, cum Succo Arnoglossi, aut aqua Rosarum cum pauco vini puri.

Paraphrasis.

HÆc Opiata non reperitur in Antidotario *Mesue*, sed in fine *cap.* de fluxu sanguinis per os, *Practica sua.* Quam mutuatus est ab *Avicenna. Canon.* 5. *summa* 1. *Tract.* 1. qui scripsit in principio, Piperis albi, & non Papaveris: quod demonstrat, exemplaria nostra hoc in loco depravata esse: ne dicam, quod in uno exemplari pervetusto *Mesuæi*, (Piperis non Papaveris.) Similiter, quod in nulla descriptione legimus Papaveris, sed Piperis: quod insignem virtutem habet reprimendi malignam qualitatem Hyoscyami. Opium item & non Papaver, cujus est liquor qui è Capitibus exit. Basis est Opium & Hyoscyamus: quorum noxia vis emendatur per Castorium, Euphorbium & Crocum: virtus incrassans augetur per Terram sigillatam, vel Bolum Orientalem, lapidem Hæmatitem, & Trochiscos de Ramich. Alia immittuntur, ut tenuitate partium suarum incidant, attenuent & detergent materias crassas, & viscosas faciantque in profundum penetrare: simul etiam ut corroborent ventriculum, jecur, cor, lienem, renes, vesicam & matricem. Mel deterget, corpus addit, conservat species, & earum actionem promovet.

De Mixtura sive Componendi ratione.

COntundenda sunt seorsim singula. Terra sigillata vel Bolus Armena (si vera terra non extet:) Lapis Hæmatites, Crocus, Euphorbium, Margaritæ, Karabe, Caphura, & Trochisci de Ramich. Alia poterint simul pulverizari & cribellari adeo subtiliter ut velis. Dein commisceri cum aliis Mel album despumatum & coctum, ponderatumque, ad triplam pulverum rationem (authepsa jam ab igne sublata) & tepidum, cui adjiciantur paulatim, ut cum omnia refrixerint, recondi possint ad usum.

Musa Ænea, sive Zazena, seu Egenea. D. M.

℞. *Castorii,*
Myrrhæ,
Opii,
Piperis longi & nigri,
Galbani,
Costi,
Cinnamomi,
Radicum Phu. 1. *valerianæ majoris.*
Sem. vel Rad. Meu (vel Succedanei ejus sem. seseleos)
Danci Cretici,
Asari,
Croci singul. unciam dimidiam.

Fiat Pulvis, Melle despumato, vel Sapa excipiendus in Opiatam.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

Musa nomen est Authoris hujus Opiatæ, insignis & Philosophi & Medici, cujus opiatæ cognomen accessit *Ænea* à colore æneo, sive æris. Basis est Castorium, in principio positum: cujus vis incidens, attenuans, detergens & consumens, aliis ab ingredientibus augetur, quæ etiam virtutem ejus in varia viscera deducunt. Opium ingreditur ad calorem eorum intensum reprimendum, & subitam exinde exhalationem impediendum, durationémque longiorem promovendum, & ut postea fermententur. Usus illius non conceditur, priùs quam corpus purgetur; neque ante sex à compositione menses. Mel aut Sapa tripla in quantitate adjectum, formam præstat & totum conservat.

De Mistura, sive Componendi ratione.

OPium & Galbanum simul cum aliis, facilè pulverizantur: Myrrha & Crocus seorsim. Mel despumatum & coctum, vel Sapa tripla (ut dictum est) quantitate cum aliis pulveribus paulatim adhuc calens immiscebitur: Postea totum usui asservabitur. Præstantissimum hoc est remedium, (quantumvis parum usitatum) ad sedandos vehementes dolores à pituita vitrea exortos.

Aurea Alexandrina. D. N. Salernitani.

℞. *Asari*,
Carpobalsami, vel hujus loco sume Terebinthi, vel Cubebas ex *Galeno*.
Seminis Hyoscyami, singul. drach. duas & dimidiam.
Caryophyllorum,
Opii Thebaici tanquam optimi,
Myrrhæ, &
Cyperi, singul. drach. duas.
Balsami, vel succedanei Olei Caryophyllorum, vel Nucis Moschatæ,
Cinnamomi optimi vel Canellæ selectæ.
Folii Indici seu Malabathri.
Zedoariæ,
Zinziberis,
Costi,
Coralli rubri,
Cassiæ ligneæ & Aromaticæ,
Euphorbii,
Tragacanthi,
Thuris,
Stiracis Calamitæ,
Salviæ cum *Myrepso*, potiùs quam Saliuncæ cum *Salernit.*
Meu Athamantici, Cardamomi cum *Salernit.* (& non cum *Myrepso.*)
Sem. Sileos.
Sinapi (cum *Myrepso*, potiùs quàm Napi cum *Salernit.*)
Saxifragiæ,
Anethi, &
Anisi sing. drach. unam.
Xyloaloes, hujus penuriâ sume Santalum Citrinum.
Rhapontici cum *Myrepso*, potiùs quàm Rhabarbari cum *Salernit.*
Trochiscorum Aliptæ Moschatæ,
Castorii,
Spicæ Nardi,
Galangæ ex *China* ad nos allatæ,
Opoponacis,
Anacardii,
Masticbes,
Sulphuris vivi, sed crudi, & ignem non experti.
Peoniæ,
Eryngii,
Rosarum rubrarum,
Thymi,
Acori veri, seu Calami Aromatici officinarum.
Pulegii,
Aristolochiæ longæ,
Gentianæ,
Corticis radicum Mandragoræ,
Camædryos,
Phu. i. *Valerianæ majoris*,
Baccarum Lauri, &
Sem. Ameos, &
Dauci, cum *Salernit.* & non cum *Myrepso.*
Piperis longi, & albi (hujus penuriâ sume nigri.)
Xylobalsami, vel surculorum Lentisci, vel Terebinthi.
Seminis Amomi, vel succedanei Acori veri cum *Galeno.*
Carnabadii, i. *Carui*

Petroſelini Macedonici, vel hujus penuriâ noſtratis,
Libyſticĩ, vulgò Leviſtici,
Rutæ, vel
Sinonis, ſeu Apii montani *ſingul. drach. dimidiam.*
Foliorum Auri, & Argenti,
Margaritarum ſplendidarum,
Blattæ Bizantæ, &
Oſſis cordis Cervini, ſingul. Grana quatuordecim.
Ramenti Eboris.
Calami Aromatici veri, ſin autem deſit, ejus qui in officinis extat.
Pyrethri, ſingul. grana novem (cum Salernit. & non 29. cum *Myrepſo.*)
Mellis Attici, vel ſacchari albi, quantum ſufficit.
Technicè paretur Opiata uſui reponenda.

Scholia.

SI hæc deſcriptio conferatur cum ea *Nicholai Myrepſi. Sectione* 1. *Antidotorum, Cap.* 1. Septem deſiderantur, nempe Caro palmularum, ſeu Dactyli. Rad. Behen albi & rubri, ſingul. drach. ſemiſſem. Lapidis Saphyri, Smaragdi, & Jaſpidis, ſingul. drach. 1. Nucis Avellanæ, drach. 2. Contrà in ea *Myrepſi*, Cardamomum deſideratur. In reliquis conſentiunt.

Paraphraſis.

HÆc Opiata, (ſicut ſequentes) eſt revera Antidotus, quæ nomen accepit ab Auro quod eam ingreditur quamvis, in parva quantitate: cognomen autem à celebri medico & Philoſopho nomine *Alexandro*: qui primus eam invenit, & in uſu traxit. *Salernitanus* autem à *Myrepſo* in loco præcitato mutuatus eſt. Baſis locum tenet Opium, cujus refrigerans & ſtupifaciens vis auctior fit Hyaſcyamo albo, & cortice Mandragoræ; Nocumentum eorum corrigitur Myrrhâ, Euphorbio, Caſtorio & Anacardiis. Virtus eorum ducitur ad cerebrum, Caryophyllorum, Salviæ, Peoniæ, ligni Aloës, Caſtorii, & Thuris vehiculo. Ad Pulmones & Pectus, Sulphuris vivi, Thymi, Pulegii, & Tragacanthi adminiculo. Ad Cor, Margaritarum ſive Perlarum, Blattæ Bizantiæ, Auri, Argenti, Oſſis cordis Cervini & Eboris ope. Ad ventriculum, Maſtiches, Canellæ, Caſſiæ aromaticæ, Zinziberis, Piperis, Galangæ, Roſarum & Coralli auxilio, quæ ipſum fortificant. Ad lienem, renes, veſicam, matricem & hepar, omnium ſeminum, Cardamomi, Acori, Calami odorati, Gentianæ, Ariſtolochiæ, Chamædryos, Balſami partiúmque ejus, Valerianæ, Trochiſcorum Aliptæ Moſchatæ, Rhapontici, ligni Aloes, Mei, Folii, Zedoariæ, &c. adjumento. Quæ omnia incidunt, attenuant, detergent & conſumunt flatus: deoppilant meatus pituita craſſa, ſpiſſa & viſcoſa obſtructos, promovéntque Baſis penetrationem ad partes remotiores. Styrax & Opoponax induntur ad remolliendam jecoris duritiem & lienis ſi qua ſit: & ad expurgandam materiam inibi retentam. Mel hîc magis competit quàm Saccharum: quod illud cæterorum operationem promoveat, Saporem conciliat, diutiùs virtutem conſervet: adeò ut Antidotum hanc liquido poſſis dicere officinam eſſe medicamentorum uno in vaſe contentorum, adverſus omnes morbos frigidos Cerebri, Pulmonum, ventriculi, inteſtinorum, jecoris, lienis, renum, veſicæ, matricis, junctúrarúmque, ſeu articulorum, & verè quidem Auream, multis aliis jure præferendam.

De mixtura, ſive componendi ratione.

IN prima trituræ ſerie, locanda ſunt ligna, radices, cortices, Os cordis Cervini limatum, unguis odoratus: In ſecunda ponenda ſunt ſemina omnia, Fructus, Opoponax, Caſtorium, Opium conciſum, Oleum Caryophyllorum, vel Nucis Moſchatæ, pro Balneo Judææ, quod impedit ne quid adhæreat mortario aut piſtillo, neque exhalet. In tertiâ ponendæ ſunt herbæ, Thymus & Roſæ. Seorſim pulverizari oportet, myrrham, Euphorbium, Corallum, Perlas, Gummi Tragacanthi, Thus, Styracem, Trochiſcos Aliptæ Moſchatæ, Maſtichen, Sulphur vivum & Ebur.

Ebur. Hoc facto, permiscenda sunt omnia in mortario, post adjicienda folia auri & argenti. Deinde, triplum pondus sumendum Mellis albi despumati & cocti. In quo adhuc calente & (authepsâ jam ab igne sublata) dissolvetur sensim pulvis, & cum refrixerint omnia in olla sua usui asserventur. Non utendum est hac Opiata, sex a compositione mensibus, quoniam vis Opii prævalet, & fermentatio non adhuc perficitur: nisi ob dolorem aliquem a materia calida provenientem. Exacto jam anno incipit vires exerere suas: indeque ad octo annos vel decem easdem tuetur: tum demum paulatim exolescit.

Mithridatium Damocratis. ex Galeno.

℞, *Myrrhæ optimæ,*
Croci Corycii vel potioris,
Agarici probati,
Zinziberis,
Cinnamomi vel Canellæ selectæ,
Nardi Indicæ,
Thuris Masculi &
Seminum Thlaspeos. singulas drach. 10.
Seseleos Massilienses,
Opobalsami vel succedanei ejus,
Olei Caryophyllorum vel
Nucis Moschatæ,
Schœnanthi i. floris junci odorati.
Stœchados Arabicæ,
Costi candidi,
Galbani,
Terebinthinæ,
Piperis longi,
Castorii,
Succi Hypocistidos.
Styracis Calamitæ ex Pamphilia regione.
Opoponacis,
Folii Indi, singul. drach. octo.
Casſi nigræ Aromaticæ (scilicet,) non autem purgatricis.
Polii montani,
Piperis albi,
Scordii Cretensis.
Seminis Dauci Cretici.
Carpobalsami vel Sem. lentisci vel Terebinthi (*Pena*) vel Cubebarum cum *Galeno.*
Trochiscorum Cypheos, & Bdellii. sing. drach. septem.
Nardi Celticæ.
Gummi Arabici vermiculati.
Semin. Petroselini Macedonici Estreatici.
Opii Thebaici, (hujus penuriâ sume Meconium)
Sem. Cardamomi minoris &
Fœniculi,
Radicis Gentianæ &
Rosarum rubrarum, singul. drachmas quinque.
Dictamni Cretici, drach. quinque boni ponderis.
Sem. Anisi.
Rad. Acori veri, falsò Calam. Aromat. nuncupati.
Ari vulgò Jari nominati.
Phu i. valerianæ majoris.
Sagapeni. singul. drach. tres.
Meu Athamantici
Acaciæ veræ (hodie haberi potest) vel nostratis.
Ventris Scinci, &
Seminis Hyperici vel summitatum ejus. singul. drach. duas & dimidiam.
Vini optimi &
Mellis Attici, vel Galliæ Narbonensis *despumati & cocti, utriusque quantum sufficit.*
Fiat Opiata, usui reponenda.

Paraphrasis.

HÆc Antidotus sive Opiata nomen acceptum fert Inventori suo *Mithridati* Regi *Ponti* & *Bithyniæ.* Magnum eum dico, non solum ob plura Regna & Provincias quibus imperitavit: sed scientiæ & experientiæ ergò: utpote qui sine interprete calluit viginti duo genera Linguarum, totidemque locutus est, & acquisivit universam quasi cognitionem medicamentorum Alexiteriorum quæ expertus est illis qui maleficio suo mortem per venena meruerunt, quique morsi vel icti fuerunt ab ulla bestia venenosa seu rabida: *Galenus* refert, suo tempore *Attalum* Regem *Pergami* idem factitasse. Rex hic *Mithridates,* metuens sese periturum esse veneno, ab inimicis suis & invidis: hanc Antidotum composuit ex probatissimis & exquisitissimis

quisitissimis quæ cognoverat medicamentis, ut ad quosque eventus singulare quoddam & certum remedium ei suppeteret, quo cum opus esset, sibi caveret quod secum portare solitus est & de quo jejunus quotidie gustavit: adeoque illi assuevit, ut cum ad extremum se vidisset redactum esse, morique potius quam vivere cupiens: veritus scilicet ne in manus cum veniisset *Pompeii*, Captivus *Romæ* duceretur in Triumpho, multis in venenis virulentisque bestiis ad accelerandam mortis suæ horam periculum fecit, quibus nihil efficere potuit, ita utique continuo hujus Antidoti usus se præmunierat. Quod cum vidisset, a servo suo quem unicè amavit seipsum interfici curavit. Qui plura de hoc argumento scire desiderat, legat consulo *Valerium, Plutarchum, Appianum Alexandrinum*, aliosque Historiographos, qui integros de eo scripserunt libellos. Floruit centum circiter annos, ante mortem & passionem servatoris nostri *Jesu Christi*. Receptum sive formula hujus compositionis (sua manu descripta) a *Pompeio* ipso in illius scriniis reperta fuit, quam is *Romam* attulit, & longo post tempore versibus Hexametris à præstanti & celebri medico *Damocrate* descripta: ac post, a *Galeno* transcripta *lib. 2. Antidotorum*, ita ut hodie in praxi nostra receptam habemus, tanquam aliarum omnium certissimam. Basis est omni modo Alexiteria & Cardiaca, quoniam venena & Deleteria, quæ a bestiarum virulentarum ictu inferuntur, natura sua nostram naturam & vitam destruunt, quæ in corde consistit. Talia autem sunt Trochisci Cypheos de quibus in sectione de Trochiscis dicemus, Aron, Dictamnum, Gentiana, Anisum, Petroselinum Macedonicum, Cardamomum, Daucus, Scordium, Polium, Piper, Castorium, Costus, Opobalsamum, & fructus Balsami, Cassia, Canella, Sagapenum, Agaricus, Galbanum, Hypericum, Renes Crocodili de *Nilo* Scinci nominati &c. Cætera medicamenta Aromatica imponuntur ad virtutem eorum pervehendum ad Cerebrum, ventriculum, Hepar, Lienem, Renos, Vesicam, Matricem & articulos: uti etiam ad eas partes corroborandas levi astrictione sua: cujusmodi sunt Valeriana, Meon, Acorus, Hypericon, Costus, Stœchas, Agaricus, Nardus Indica, & Celtica, Folium, Schænanthum, Thlaspi, Seseli, Zinziber, Crocus, Myrrha, &c. Alia verò ceu Hypocistis, Acatia, Rosæ, &c. immittuntur ad corrigendam tenuitatem supradictorum medicamentorum, incidentium, attenuantium, & consumentium materias crassas & viscosas in visceribus congestas, ad reprimendam etiam subitam eorum exhalationem, sicut Opium ad corrigendum intensum eorum calorem, & virtutem diutius conservandum, donec eorum fomentatio & coctio perfecta fuerit: uti & Gummi Arabicum ad emendandum eorum siccitatem. Galbanum, Sagapenum, Opoponax, Styrax, Terebinthina, Bdellium, Myrrha & Thus adhibentur, tam ad detergendas materias crassas & viscosas, quam ad remolliendam viscerum duritiem, si qua esset. Mel & vinum opitulantur plurimum, odorem impertiunt, operationem promovent, & conservant omnia, adeo ut Antidotus hæc, in curatione morborum frigidorum, & ad venena, non cedat Theriacæ, nec Aureæ Alexandrinæ: verum quidem est, quod ad ictus & morsus bestiarum virulentarum, minus valet: uti infra dicemus. *Galenus*.

De Mixtura sive componendi ratione.

IN vino *Falerno*, vel *Maluatico*, sive alio admodum generoso & veteri, infundi seorsim debent Opium in minutas particulas concisum, Galbanum, Sagapenum, Opoponax, Bdellium, Hypocistis, Acacia, Gummi Arabicum & Myrrha, præsertim si sint valde recentia, & Styrax recens si sit (qualis ferè apportabatur è *Pamphylia* in calamis *Galeni* tempore) omnia inquam supra calidos cineres. Durante infusione, pulvis in hunc qui sequitur modum fiet. Agaricus rasus, cum vino formabitur primum in Trochiscos, & siccabitur, & post per se pulverizabitur. In primo triturandi ordine ponentur radices Gentianæ incisæ, Meon, Acorus, Phu sive valeriana, Zinziber, Costus & Nardus Indica incisa. Secundum locum tenebunt Castorium, Folium, Canella, Cassia Aromatica, Stœchas, omnia Semina, & Trochisci Cypheos. Tertium, herbæ & Rosæ. Seorsim ab aliis in pulverem redigenda sunt Thus, Crocus, & Gummi Arabicum, si sit siccum. Pulveres hii subtiles & tenues, permixti,

permixti servandi sunt, ut cum aliis misceantur: Deinde liquores, Gummia & succi colentur & coquantur ad consumptionem, aut paulò citrà vini: post, sumatur mellis albi de *Languedoca* vel *Provincia*, quod minimè cedit illi *Attico*, modo accuratè selectum sit, triplum totius, priùs despumati & decocti, in quo macerari oportet paulatim gummia, liquores, & succos: Deinde adjiciantur pulveres, (authepsa jam ab igne sublata) & Terebinthina. Hæc omnia sine intermissione moveri oportet spatulâ sive radiculâ ligneâ, dum refrixerint: post, servanda in olla terrea vitrata non prorsùs plena, ne fortè inter coquendum desuper effundatur quid. Primo mense quotidiè vesperi & mane, moveri hæc oportet & concitari, longa validâque spatula, vel pistillo ligneo, circiter semihoram: secundo mense, quarto quoque die semel: tertio semel in quaque septimana: quarto mense ter: quinto, bis: sexto demum semel. Quo facto magna cum cura obtegenda est olla humecta membrana, eâque in loco calido servanda, si aer non talis sit, nempe ut concoctio citius perficiatur. Ante sex menses eâ nequaquam utendum est. Quibus elapsis, ad morbos calidos, ad sopiendos graves dolores, ad incrassanda rheumata: cum virtus Opii dominatur, securè eâ modicâ in quantitate uti licet. Calore suo alia medicamina superat: Antidotus est præstantissima, adversus frigidos morbos Cerebri, junctarum, & omnium viscerum: contra venena, morsus, ictúsque bestiarum virulentarum, & pestem. Virtus ejus ab annis quatuor ad duodecim usque increscit, validâque permanet ad vicesimum. Quibus transactis, paulatim decrescit. Quandiù viget, ad curationem morborum calidorum, non convenit bilioſis; neque in æstate in calentibus regionibus; nec infantibus; nec qui rarâ sunt corporis textura. Dosis ejus ad præcautionem minor esse debet, quam ad curationem: & contra venena, non solum mane, sed etiam vesperi, eâque tripla quantitate in eminente periculo, nulla habita ratione regionis, anni temporis, ætatis, temperamenti & sexus, cum hac tamen cautione, ut infantibus minor dosis concedatur, quam hiis qui ad justum incrementum provecti sunt.

Theriaca. D. Andromachi senioris.

℞. *Trochiscorum Scilliticorum. unc. sex.*
Viperæ,
Magnatis Hedychroi,
Piperis longi (potiùs quàm nigri cum *Damocrate.*) &
Opii Thebaici, singul. uncias tres,
Iridis Illyricæ, vel hujus penuriâ, *Florentinæ,*
Foliorum florum Rosarum rub. ab unguibus expurgatarum,
Succi Glycyrrhizæ,
Sem. Buniadis, i. *Napi Silvestris,*
Scordii Cretici,
Opobalsami, vel succedanei ejus Olei Caryophyllorum, vel Nucis Moschatæ,
Cinnamomi seu Canellæ selectæ, &
Agarici, singul. unc. unam. & semissem.
[Hæc duo *Andromachus* pater omittit addunt filius & *Damocrates.*]
Costi candidi, & recentis,
Nardi Indicæ,
Comæ Dictamni Cretici,
Rhapontici, & non Rhabarbari, ut nonnulli somniarunt,
Radicis Pentaphylli, vel Tormentillæ nostratis, quæ etiam venenis resistit.
Zinziberis non Carioſi,
Verticillorum, vel seminum Prassii albi,
Stœchadis [florum vel summitatum,]
Scœnanthi, seu florem Junci odorati,
Seminis Petroselini Macedonici Estreatici (vel Montani, illius loco, si verum *Macedonic.* deficit)
Calaminthes Montanæ,
Nepithæ Romanis *dictæ,*
Corticis Cassiæ Aromat. non Fistulæ nigræ, & purgatricis,
Croci Corycii vel potioris,
Piperis albi & nigri (& non longi cum *Damocrate*)
Myrrhæ Trogloditicis,
Thuris masculi, &
Terebinthinæ Chiæ, *sing. drach. sex.*
Radicum Gentianæ,
Acori veri (hujus meminerunt *Androm.* filius & *Galenus* & non *Androm.* pater)
Meu Athamantici,
Phu. i. *Valerianæ majoris.*
Nardi Celticæ,
Amomi veri vel succedanei ejus Acori veri

veri *Galen.*
Camæpityos,
Comæ Hyperici, vel sem. (quoniam potior vis plantæ in eo consistit. Ex *Theophrast. lib. 1. de Causis plantarum cap. 18.* (At *Galenus* octavo Simplicium non tantum semen, sed totum etiam fructum usurpandum censet.)
Seminum Ameos,
Thlapeos,
Anisi,
Fœniculi,
Seseleos Massilienſis,
Cardamomi minoris,
Foliorum Malabathri,
Comæ Polii Cretensis,
Camedryos Creticæ,
Carpobalsami, vel succedanei ejus sem. Lentisci, vel Terebinthi, vel Cubebarum cum *Galeno,*
Succi Hypocistidis sicci,
Acaciæ veræ mediocriter siccæ (hodie adferri incipit)
Gummi Arabici vermiculati,
Styracis Calamitæ, ex Pamphylia regione tanquam præstantissimæ,
Terræ Lemniæ,
Chalcitidis tostæ (acrimonia enim ejus ustione retunditur) &
Sagapeni, singul. drach. quatuor.
Radicum Aristolochiæ tenuis,
Comæ Centaurii minoris,
Seminis Dauci Cretici,
Opopanacis,
Galbani,
Bituminis Judaici, &
Castorii, singul. drach. duas,
Mellis Attici vel Galliæ Narbonensis optimi *despumati, & cocti, omnium triplex pondus.*

Vini optimi & veteris seu Malvatici *vel* Apiani, *vel alterius generis, quantum sufficit, succis, liquoribus, & gummis dissolvendis. Fiat Opiata ex arte, usui reponenda.*

Paraphrasis.

THeriaca primum composita fuit ab *Andromacho Cretensi*, primario tam doctrinâ quàm experientia medico sævi illius & crudelis *Neronis*, sexti *Romani* Imperatoris qui ultimo supplicio affecit sanctum *Petrum*, sanctúmque *Paulum* Apostolos. Præceptorem suum *Senecam*, propriámque matrem, præter alia crudelitatis exempla quæ per duodecim annos quibus regnavit exercuit. *Andromachus* nomen ei imposuit *Galenæ*: quod *Tranquillam* significat: quoniam qui peste correpti fuerint, vel veneno infecti, vel à bestia ulla virulenta morsi, ejus usu convaluerunt, & tranquilli facti sunt. Longo post tempore medici eam appellarunt *Theriacam*, exemplo *Nicandri* Poetæ *Græci*, & expertissimi medici: qui vixit temporibus *Attali*, qui sub jugum misit *Gallo-Græcos*, & quodcunque medicamentum Alexiterium nominavit *Theriacam*: sicut videre licet in libro quem ipse composuit, & in hanc Antidotum ingredientibus: quam appellationem etiamnum ad nostrum usque tempus retinuit: Quod idem facit *Galenus*, qui nominavit Allia pauperum *Theriacam*. Quidam hoc nomen deducunt ἀπὸ τῆς θηρίου, *i.* à fera omnium sævissima ἐχιδνῆ, hoc est, *vipera*, quasi *vivipara*, quod vivos pariat catulos: teste *Aristotele*, *cap. ultimo, lib. 5. Animalium.* Composita fuit ab *Andromacho* carmine elegiaco, & è Mithridatio extracta, mutatis quibusdam medicamentis: quorum loco substituta fuerunt alia accommodatiora morsibus, ac ictibus virulentis bestiarum, post centum quadraginta circiter annos. Postea filius ejus dictus etiam *Andromachus* & *Damocrates* plus Canellæ, Agarici & Acori adjecerunt: & aliquot in locis immutarunt medicamentorum dosim: & ubi pater in secundo ordine posuit Piper longum, *Damocrates* reposuit nigrum: & contra transposuit longum, ubi *Andromachus* Pater posuit nigrum. In reliquis conveniunt. Nos descriptionem patris secuti sumus, (quam ille carmine Elegiaco scripsit) potiùs quàm illam filii, quam conscripsit prosâ & solutâ oratione, quoniam hæc facilius depravatur, quàm poema.

Quæstio. Nonnulli quærunt, quare *Andromachus* sumpsit potiùs carnem viperæ, quam alterius serpentum generis, quæ frequentiores numero sunt & paratu faciliores. Cujus *Responsio.* ratio duplex est. Prior, quod aliæ serpentes venenum habeant suum, non solùm in capite, cauda, adipe, & intestinis, sed etiam in carne: Non autem vipera quæ id habent in capite, cauda, adipe & intestinis quæ abjiciunt, [ut corrigatur pauxillum illud quod subsistere possit, coqui eam curant in aqua, cum pauco sale & multo Anetho, quod etiam resistit venenis. Et hoc modo redditur caro persalubris:

Altera

Altera est ratio, quod ejus caro minus tabefica est quam aliarum serpentium. *Galenus, multis in locis librorum suorum.*]

Basis hujus Opiatæ est Caro viperæ, vel Trochisci qui inde conficiuntur, cujus vis Alexiteria intenditur trochiscis de Scilla, & Hedychroo. Piper, Scordium, Castorium, & Agaricus, (qui huc non ingreditur ut purgans, sed quasi Alexiterium *Dioscor. & Galen.*) Pentaphyllon, Gentiana, Aristolochia, Dictamnum, Canella & Cassia Aromatica, Costus, Cardamomum, sem. Napotum, Thlaspi, & Terra sigillata, & Cætera medicamenta Aromatica immissa sunt, ad incidendum & attenuandum materias crassas, & ad munienda viscera, levi sua quam habent astrictione. Cujusmodi sunt, Nardus Indica & Celtica, Zinziber, Schœnanthum, Folium Indum, Meon, Acorus, Amomum, Iris, Styrax & Stœchas, Oleum Caryophyllorum sive Nucis moschatæ, Prassium, Valeriana, &c. Alia ad detergendum & remolliendum duritiem viscerum, si qua inest: Qualia sunt Myrrha, Thus, Galbanum, Sagapenum, Opoponax, Styrax Calamita, Terebinthina, &c. Alia ad reprimendum eorum tenuitatem & siccitatem; cujus sortis sunt, Rosæ, Succus Glycyrrhizæ, Gummi Arabicum, Acacia, Hypocistis, &c. Opium ingreditur, ut corrigat eorum calorem, & sistat repentinam eorum exhalationem: ut de multis contrariis qualitatibus invicem & mutuò agentibus, resultet unum Alexiterium, hoc est, virulentiæ & veneno adversum. Vis eorum narcotica & nociva corrigitur Castorio, Croco, & Myrrha. Semina injiciuntur ad dissipandas materias flatulentas, ad resistendum venenis, quæ derivant & perducunt per viam urinæ: Vinum ad pervehendum virtutem Basis & aliorum Alexiteriorum ad Cor, quod venena directè petunt & oppugnant, secreta quadam vi sua & potentia, magis quam partem ullam aliam quamcunque. Mel adhibetur ad detergendum, & promovendum ingredientium actionem, ut formam etiam & substantiam compositioni præstet, totumque conservet.

Si Pharmacopœus versatus sit, ut par est, in Medica materia: nec velit sumptui & impensæ parcere, quam hic fieri oportet & convenit: facile illi fuerit verum Cinnamomum, & Cassiam nigram Aromaticam comparare quæ Andromachus requirit, genuinum etiam folium Indicum, Florem Iunci odorati, Costum, Rhaponticum, Piper Album, & non nigrum excorticatum: Meum etiam, verum Petroselinum Macedonicum, verum etiam Opium, Castorium: ut non Cogatur uti * Antiballomenis sive succedaneis, quando *Lusitani* & *Hispani* qui solent ad *Indos* tam *Orientales* quam *Occidentales* navigare, ad nos apportant vera. Quod ad verum Amomum attinet, non in hunc diem ad nos apportatur, quod omnes notas habet quas *Dioscorides* illi attribuit: Cujus loco, *Galenus* suadet ut sumamus Acorum Officinis appellatum Juncum odoratum: & pro * fructu Balsami, Cubebas, vel sem. Lentisci vel Terebinthi, satis frequens in pluribus *Franciæ* locis. Pro * Succo Balsami, Oleum, Caryophyllorum vel Nucis Moschatæ, si cui non suppetit Stacte, quæ liquor est Myrrhæ recentis per expressionem extractus. Pro Aspalatho qui ingreditur Trochiscos Hedychroi, accipi poterit Santalum Citrinum: nam Ligni Aloes veri parum reperitur. Habemus etiam genuinum Gummi Arabicum veramque Acaciam. Atq; ita, Theriacam habemus Mithridatium & Auream Alexandrinam præstantissima & mortalibus necessaria.

* *Sive Quid pro quo.*

* *Carpobalsamum.*
* *Opobalsamum.*

Διάλυψις. i. Disceptatio de chalcitide.

Quatuor rationes quibus adducti quidam, Chalcitidem è Theriaca tollere voluerunt.

Cordus, *Fuchsius*, *Fernelius Plantius* & quidam alii, de Theriaca Calcitidem tollere suadent, idque ob rationes quatuor. Quod quia menti Authoris compositionis hujus adversatur, admittere nequeo. Prima eorum ratio est, quod solum ad nigredinem illi inducendam imponitur. Secunda, quod ingrati est Saporis. Tertia, quoniam Escharotica est, & acrimoniâ suâ ulceret viscera. Quarta, quod Antiquorum quidam intra Corpus non admisserint.

Responsio ad primam rationem; Pro Chalcitide.

Prima videtur frivola; quoniam vulgi opinione fundatur, qui *Romæ Galeni* tempore vixerunt, juxta illud quod *libro secundo Antidotorum* scripsit: censens Theriacam eam non esse Probam, si alterius esset coloris præterquam nigri, qui provenit procul-

proculdubio a Chalcitide, quantumvis exigua in quantitate ingreditur. Hujusmodi opinionem justo satis nisus subjecto & argumento nihili æstimat, cum probe sciat talem colorem, nec augere nec minuere virtutem illius, hoc etiam nunquam cogitavit.

Responsio ad Secundam rationem. Ad secundam respondemus, quod utcunque Chalcitis auferatur, Theriaca tamen minimè jucundior esset: ob tot alia ingredientia medicamenta admodum injucunda, Nempe, Opium, Bitumen, Castorium, Liquores Galbani, Sagapeni, Opopanacis; Radices Gentianæ, Aristolochiæ, aliarumque plurium.

Duæ aliæ rationes, quamvis majoris sint momenti, tamen non sufficiunt, ut nos inducant eorum amplecti opinionem.

Responsio ad tertiam. Quod ad tertiam, quia Escharotica est & acrimonia sua viscera ulceret: Valeret quidem hæc ratio, si quantitas illius exhiberetur sola, & cruda: non calcinata, nec correctivis suis comitata, sicut hac in Compositione. Hîc adduco authoritatem *Dioscoridis*, & aliorum *Græcorum* dicentium mediocriter esse corrosivam, respectu Chalcanthi aut Vitrioli. Usus quem ex ea sperat *Andromachus* capere hic est, quod per Calcinationem adeò acritudinem suam diminuat, ut non possit viscera corrodere ut illi arguunt, & sic per eandem, adauget siccitatem suam ad absorbendum virus bestiarum venenosarum, quod præcipue intendit, una cum ope quam ex aliis accipit medicamentis, ad eundem finem tendentibus. Atque ut per suam tenuitatem partium faciat eam penetrare crassitudinem terrestrium & astringentium, quales sunt Rosæ, Acacia, Hypocistis, &c. Et ad emendandam asperitudinem, quæ post ustionem supereſt, imposuit Glycyrrhizæ succum, Gummi Arabicum, & Opobalsamum, &c. Et ita demum, tali artificio adeò salubris efficitur, ut ne valeat ventriculum aut ullam internam partem lædere.

Responsio ad ——tam. Ad quartam, hunc in modum respondemus, quod non recte ab illis, infertur consequentia. Ut enim Antiquiores *Andromacho* non ea interius sive intra corpus usi sunt, non ideo sequitur neque illum nec posteros ejus uti debuisse. Quin potius veri est simile, quod ipse alias expertus fuerat, cumque reperisset, admirabiles ejus effectus majoribus & antecessoribus suis incognitos, eosque permagni usus in hoc quod sibi proposuit, eorum voluit ille posteros participes fieri, & ab illis perpetuo observatum iri. Atque incertius majusque hujus quod assero argumentum, producam ipsos Authores tam suprà memoratos, quam omnes nostræ ætatis neotericos, qui unà cum experientia illis astipulante ingenue libereque asseverabunt: omnes eos qui usi sunt Theriaca confecta cum Chalcitide, nullum inde detrimentum, sed contra commodum percepisse: dummodo ea tempore & loco suo uterentur, sicut olim *Galenus*: qui illius usu *Eudemum* Philosophum curavit, & quartanâ triplici liberavit. Eadem ipsa experientia Magistra edocti sumus Oleum Vitrioli chymice extractum (quod multo magis quam Chalcitis cruda corrodit) parva dosi sumptum, Asthmaticis prodesse & calculosis. Præterea, Antiquiores *Andromacho* nos edocuerunt vitriolum Calcinatum fungis & Boletis tota essentia sua & natura venenosis Antidotum esse: idque interius sumptum, drachmæ unius pondere, cum Citrii Succi uncia una, & quacunque aqua Cardiaca, sive sit Buglossi, sive Cardui Benedicti. Cum ergò illi satis fœliciter ea usi sint interius: cur non nobis eorum exemplo edoctis uti ea licet? præsertim calcinata, & suis correctivis ad operationem ejusdem promovendam comitata: parva etiam quantitate & minus quam vitriolum corrodente? Nequaquam ut mihi videtur de hoc dubitandum est. Quæ cum ita sint, supra citatis auctoritatibus, argumentis & experimentis fretus, concludo tandem Calcitidem in Theriaca componenda perutilem esse & necessariam, neque posse quemque nec debere eam rejicere, (sicut illi consulunt) sine injuria & reipub. & authori ipsi illata.

Conclusio.

Relatio Apologetica, de eadem Chalcitide, per Magistrum Gratianum Bauderonum. D. M.

DIsceptatione jam superius à me habitâ pro *Andromacho*, commodum hoc in loco mihi se offert occasio, causam mei ipsius patris Authoris hujus Paraphrasis agendi,

agendi, & respondendi Domino *Fontano*, qui impræsentiarum ad *Aquas Sextias* in *Provincia* medicinam facit, ad id quod ipse dicit in parvo quodam *Tractatu* suo de *Theriaca*, quem in lucem edidit *anno* 1602. Excusum typis *Avenione* in *decimo sexto*, *pag.* 132. & 133 qui de Chalcitide verba habens, dicit, *Institui posse contra fungum sive Boletum, nulla adhibita cura ut penetrare possit, vel detergere, ut quidam imaginantur:* Hanc Thesim cum directè in patrem meum hujus voluminis Authorem, utcunque suppresso ejus nomine, intenderit, nihil minùs ipse facere potui in ejus defensione & mea ipsius fama vindicanda quæ ex sua promovetur, quam operam dare, ut & ipse Dominus *Fontanus* videat, & posteritas sciat, hæc Authoris Lemmata & conceptiones quas, illi placuit imaginarias appellare, consentaneas & multò melius fundatas esse quàm suas. Sed quoniam illa Thesis supradicta, duas partes continet, hanc affirmativam quidem, illam verò negativam, semota omni Philonicia, & verborum, ut ita dicam, passione intra modum cohibitâ, bifariam & ipse hanc dissertationem dividam, & earum utrique parti sigillatim respondebo, & ut oculo appareat digitóque monstretur, chalcitidem nec utiliter posse, nec tuto institui Fungis & Boletis, tota natura sua deleteriis: nec sufficere ut quis dicat parari posse & exhiberi ad Fungos, quandoquidem idem quid posset de alio quopiam medicamento dicere, sed reddenda est cuique sui dicti causa, & quam ob rationem.

Opinio Fontani.

Quatuor modi ad refutandum opinionem Domini Fontani.

Viæ quibus insistere, & per quas methodicè & absque omni molestia, ad ejusmodi cognitionem, & conclusionem pervenire cupio, sunt quatuor. Prima tractabit differentias Fungorum sive Boletorum. Secunda eorum temperamentum. Tertia differet de symptomatis eorum. Postremò locum *Galeni* exponam, super quem dictum *D. Fontanum* priorem partem *Thesis suæ* fundasse arbitror: Dein secundam partem excutiam, post de una & altera parte concludam.

De Fungorum differentia.

Fungi, sive Boleti in duas differentes species reduci possunt secundum *Græcos*, & *Serapionem*, *Cap.* 352. *libri de Simplicibus Medicamentis*. Nempe in bonos sive salubres; & malos sive insalubres. Hoc in tractatu non animus est, de bonis sive salubribus verba facere: quandoquidem minimè nocent, nisi nimia in quantitate sumantur, aut malè curentur, vel temperentur à coquis: Ac si quid mali ab illis adveniat, vel populus ipse ab ævo in ævum edoctus est, solam vomitionem efficere, hodiéque nec accersuntur quidem medici. Quod ad *D. Fontanum*, tam bonam de eo concipio opinionem, ut si quid tale acciderit, nollet chalcitidem præscribere, sive ea sit cruda, sive calcinata. De malignis igitur sive insalubribus agitur, de quibus & illi & mihi in hac dissertatione, dicendum est.

Effectus Fungorum Malignorum.

Atque hi quidem adeò maligni sunt & venenosi, ut homines intra duos dies perimere valeant, nisi confestim consultum ab aliquo docto & experto medico fuerit, qui dextrè novit & commodè Antidotum hîc aptum & necessarium præscribere: cujusmodi jam ante à patre meo descriptum est: vel aliud quodpiam eorum, quæ *Nicander* Poeta præcepit, in *libro*, quem ipse versu Hexametro composuit de Alexiteriis, *Capite de Boletis*, sive *Fungis*, & post eum *Dioscorides*, *lib.* 6. *cap.* 23. *Galenus lib.* 2. *de Antidotis*. *Paulus Agineta*, *lib.* 5. *cap.* 54. *Aëtius*, *lib.* 13. *cap.* 73. *Avicen.* *lib.* 2. *cap.* 274. & *lib.* 4. *Fen.* 6. *ad finem primi Tractat. cap.* 10. *Serapion post Galen. cap.* 386.

Temperamentum Fungorum.

Dicere quod Boleti, venena frigida & humida in tertio gradu juxta *Avicennam*, interimunt homines per tale temperamentum, nequaquam videtur credibile: Nam idem æque judicium esset dandum de Lactucis, aliisque plantis frigidis & humidis pari in gradu, quæ nil tale efficiunt: sed è contrà nutriunt & immodicum calorem refrigerant febricitantium, quacunque in ætate, anni tempore & climate, idque fœlici satis successu: tantum abest, ut interficiant, quod fungi faciunt uno eodémque temperamento. Jam sciendum est, num Chalcitis, calida & sicca cum sit in tertio gradu, suo temperamento valeat superare venenum fungorum, qui frigidi & humidi sunt in tertio item gradu: an specificâ suâ formâ, & substantiæ similitudine: Quod ad me credo hoc neutro modo fieri. Si Chalcitis eos vincat qualitatibus suis primis, multa nobis sunt medicamenta calida & sicca pari in gradu, qui hoc non faciant. Sicut Moschus, Amomum, Asarum, Cyclamen, Caryophylli, Dictamnus; Thy-

De medicamentis calidis in tertio gradu, in Theriaca memoratis, quæ resistunt aliis venenatis præterquam fungis.

mus, Elleborus niger, Anisum, Allia, Cepæ, & alia quæ hoc non faciant: & si plurima eorum venenis resistunt, non autem fungis.

De medicamentis calidis, & frigidis, quibus Antiquorum usa est adversus venenum fungorum.

Fatebor quidem; quod Authores præcitati, utuntur adversus venenum fungorum, medicamentis frigidis, calidis & siccis, in tertio, quartoque gradu; Nempe chalcantho calcinato, cineribus ex Clematide aut Volubili factis, sarmento Vitis & Pyro sylvestri, Fæce vini, Fimo Gallinæ, Nitro, sale Indico, Pyrethro, Sinapi, Nasturtio sylvestri, sive Iberide; succis Raphani, Calaminthæ, Citrii & Aceto. Syrupis factis de Absinthio, de Melissa; Radicibus Aristolochiæ, Panace, Ruta; aliis calidis, aliis frigidis, quæ quidem ut vere dicam (præter vomitionem, aut magnam vim ad munimentum cordis, quod venena directè oppugnant) resistunt veneno fungorum, non primis suis qualitatibus, ut dictum est, sed substantiæ similitudine; quod nequaquam cognoscitur, nisi ex effectis, & cujus reddi non potest ratio satis valida, quod mentem & consilium humanum longè exsuperat.

Quod chalcitis per hanc specificam formam superare illud valeat, sicut dictus *D. Fontanus*, vel alius quispiam pro se allegare potest, id verò fieri non potest. Hujusmodi enim experientiam assecutus esset, vel ab antiquioribus, vel à Neotericis, vel à seipso: si ab antiquis, quivis alius hoc ab illis æque observare potuisset ac ipse, nobisque consuluissent eos imitari: Quod ad me, ingenuè fateor me nihil in eruditis eorum scriptis reperisse: si à Modernis & Neotericis, non debuit ille nomina eorum supprimere, ut sibi ipsi attribueret quod ad se non omnino pertinuit: Quod si à sua ipsius experientia hoc edoctus est: quum hoc argumentum tractaret & ad rem ipsam propositam deveniret, hoc nobis illum ostendere oportuisset, nósque docere modum & rationem exhibendi eam: crudamne an calcinatam; simúlque quantitatem & in quo liquore: quæ ratio habenda esset regionis calidæ, quam quis incoluerit: anni temporis, ætatis, sexus, atque ita benè prænoneri possit; vel omninò tacuisset, si hoc pro arcano & secreto apud se tenere voluisset. Quod cum minimè fecerit seipsum meritò culpandum exposuit: & credo si secutus esset *Horatii* consilium, sese continuisset potius quàm contumeliosè Paraphrasis hujus authorem perstrinxisset.

Symptomata supervenientia Boletis sive Fungis.

Symptomata quæ comitari solent eos qui Boletis aut Fungis vescuntur, tam gravia sunt ut non parum terreant & ægrum & astantes: videlicet, Cardialgia sive dolor ventriculi non tolerandus, biliosa vomitio, ventris inflatio, sudores frigidi, syncopæ frequentes, cum respirandi difficultate adeò molestâ; ut æger sibipsi videatur suffocari; præsertim si tales fungi ad fundum sive radicem alicujus arboris putridæ collecti fuerint: vel ubi venenosa aliqua bestia delituerit, bufo scilicet aut vipera, serpensve alia quæcunque; vel si vetus aliqua Rustici vestis illic putorem putroremvé contraxerit; vel etiam si clavus aliquis aut ferrum rubiginosum ad eorum Basim jacuerit, quæ omnia venenum quod in illis est augere valeant.

Fundamentum prioris partis Thesis Domini Fontani.

Jam restat, ut dicam, qua tandem *D.* ille *Fontanus* authoritate fretus tanquam fundamento, hanc suam opinionem astruere potuit, & posteritatem certam securámque facere quod Chalcitim liceat propinare adversus fungorum venenum; non enim veri est simile virum quâ ille doctrinâ excultum, in publicum sine aliquo Authoris patrocinio talem Thesim proponere voluisse. Expectans igitur vel ipsius, vel alterius pro illo declarationem, arbitror eum è *Galeni* loco commentum hoc fuisse *lib. 9.* de *Simplicibus medicamentis*, de Vitriolo, quo scripsit ille, *vidisse se in itinere quo peregrè profectus est in* Cyprum, *collem quendam perfossum & pertusum rarè cujusdam naturæ, in cujus aditu, sive introitu fodina quædam esset, sive minera, quæ intra se, Sory, Chalcitim, Misy & Æs contineret, de quo colle usitatè destillare solebat, tam die quam nocte, aqua quædam, pluviæ instar, (quæ illum irrigabat) in quendam lacum dissitum ab eo stadium unum, sive centum viginti quinque passus Geometricos: quæ colorem, odorem, & saporem retinuit quatuor dictorum mineralium, eáque à vinctis quibusdam mancipiis efferebatur in quasdam piscinas quadratas de * plumbo factas, quod vitriolum exedat, & consumat vasa ex quavis alia materia facta: in quibus talis aqua concrescebat in Vitriolum, quod ille* Chalcanthum *appellat, absq; ullo alio artificio quam naturæ providentiâ:* (haud aliter quam viride æris sive Ærugo ad Montem Pessulanum,

Historia de Sori, Chalcitide, & Ære.

** Fictiles ait* Galenus.

super quasdam æris laminas.) Qui *Galenus* etiam refert, de tali loco se asportasse se, cum grande fruſtum ſive fragmentum, quod magnâ cum cura apud se asservavit, & post viginti annos obſervasse se ait, partem illius quandam, in Chalcitim degenerasse. Si Narratio hæc *Galeni* vera sit, *D. Fontanus* bene utique in ea acquieſceret, cum autem contrarium appareat, peſſimè. Hanc opinionem, ſecutus esse videtur *Paulus Æginetа, Serapion, Sylvius*, & quidam alii, qui ulteriori non adhibito examine, ſcriptis illius tanquam Oraculo fidem adhibuerint. Huic fundamento adjungam ego in patrocinium *D. Fontani* authoritatem talis viri adeò recepti in Scholis Medicinæ & tanquam oculati teſtis, cui uni fidendum magis est quam decem aliis auritis, qui quatenus per auditum habent loquuntur. Atque ita videtis quodnam mihi esse videtur dicti *Fontani* fundamentum. Jam verò demonſtrari oportet, tale fundamentum ſubſiſtere non posse, idque ob rationes inſequentes, atque adeò ipſius *Galeni* authoritate & experientia refragante.

Hiſtoria de vitriolo.

Plaut. in Truculento Act. 2. Scena 6.

Si Collis ille contineret Chalcitim tantum, & ſi Chalcanthum ſive vitriolum, & Chalcitis, unum idemque essent, veri ſimile videatur, quod aqua inde proveniens possit ad principium ſuum quamvis ægerrimè reverti: ſed cum ex ſuis ipſius ſcriptis contrarium appareat, cenſendum est hoc minimè fieri posse: nec credendum esse, cum collis quatuor mineralia contineat, & cum aqua quæ inde deſtillet, retineat colorem odorem & ſaporem: quidnam videri possit eum inducere ut credat, tam posse in hoc degenerare potius quam in aliud? quando Sory, Chalcitis & Miſy, adeò contigua ſibi invicem ſint, uti ea vix vel ne vix quidem diſtinguere ea possit, ut *Galenus* fatetur. Multo illud veri videatur ſimilius, quod in capite præcedenti ſcripſit de Miſy, quod ex eodem itinere aſportavit magnum fragmentum, quod tria in ſe contineret mineralia, Sory, Chalcitim & Miſy, & post triginta annos, obſervabat, Sory cœpiſſe in Chalcitim degenerare, & hanc in Miſy. Quod quidem natura facere possit quandoquidem non differant inter ſe, niſi in craſſitudine partium & tenuitate, verum ut credamus quod ille voluit unam aquam pluviam quæ collem irrigat continentem in ſe valeat in hoc potius quam in illud degenerare, impoſſibile est naturam tractu temporis hoc efficere. Verum ſanè est, vitriolum omne, de quo clima te quocunque proveniat, & quam accuratiſſime quis velit illud involvere & aſſervare, proceſſu temporis quiddam in ſuperficie ſplendoris, virtutiſque ſuæ & facultatis quam habet amittere, cujus rei experientia nos fecit Magiſtros: ſed ut naturam mutet ſuam, & formam ſuam prorſus exuat, per impreſſionem ſive introductionem alterius, hoc credere (inquam) deceptio quædam est, & impoſturam ſapit.

Rationes contra D. Fontani fundamentum.

Hiſtoria de Sory, Chalcitide & Miſy.

De *Paulo Æginetа, Serapione, Sylvio* & Aliis, qui *Galeni* opinionem ſequuntur, utcunque docti ſint & eruditi, non omni ex parte poſſunt excuſari, quod proniores quam par est in illius jurare verba fuerint. Hoc liquido de ipſo dicere licet, hominem fuiſſe eum, peræque ac nos, ideoque culpæ errorique obnoxium, & quod ſæpius ipſe dixit de *Hippocrate*, fidem illi habere nolle, niſi ratio & experientia cogerent eum ita facere: Quæ duo ſunt præcipua ad urgendum quodcunque ſit, ſicut & ipſe in *Commentario primo* quem fecit *in librum Hippocratis de humoribus, in parte ſeptima.*

Quod Chalcitis & Chalcanthum ſive vitriolum idem ſint, eademque vi ac virtute peræque prædita, nullum ſanæ mentis hominem novi; utcunque mediocriter in cognitione medicamentorum verſatum, qui fateatur. Cum hoc quidem calidum ſit & ſiccum in tertio gradu, illud verò in quarto: aliud minerale & naturale, aliud minime: ſed aqua in quadam piſcina ſine artificio ullo congelata. Verum, ut diſſimilia, *Dioſcorides, Galenus, Avicenna*, aliique ea in Capitibus particulatim diſtinxerunt. Si hoc agatur, ut ab experientia petamus, non inveniemus, quod vel Græcorum aliquis, vel Arabum, vel etiam Latinorum, uſurpavit Chalcitim ad fungos, omnes autem vitriolum approbarunt. Et ut appareat *Galenum* non hîc ſolum, ſed alias etiam lapſum esse & erraſſe, ſufficiet mihi, è multis aliis locis, hunc unum qui ſequitur in medium proferre, ut non digrediar a Theriaca noſtra qui faciat ad Pharmacopœos noſtros *Gallicanos* admonendos.

Differentia vitrioli ſive Chalcanthi, & Chalcitidis.

Galenus redarguitur, propter opinionem ſuam de canella.

Primo in libro Antidotorum, cap. 13. In *libro de Theriaca ad Piſonem cap.* 10. probam Canellam ait (quam ille Caſſiam vocat) degenerare in Cinnamomum: & tenuius

nuius Cinnamomum melius esse quam optimam & selectissimam Canellam quod mansum & masticatum resipiat Rutam: Hoc autem a vero abhorret. Bonum enim Cinnamomum, quod ille tanti facit (& quale apportatum fuit *Romam*, *Trajano* & *Adriano* Imperantibus) allatum fuit a *Zeilan*, Provinciâ longe ab *Indiis Orientalibus* dissita: quò nec *Alexandri* Magni arma, nec *Romanorum* unquam penetrarunt: & quæ illis temporibus non adeò frequentatæ fuerunt ac hodie sunt. Tenuior autem Canella, quam ille parvi æstimat, advecta fuit è Provinciis *Malavar* & *Java*: ubi ejusmodi arbores sua sponte & sine artificio crescunt frequentes, omnino inter se consimiles. Locorum autem distantia, speciem non potest mutare: Disparitas & discrimen quod in illis observatur, in sapore, odore & bonitate consistit: quæ aliunde non possunt provenire quam à natura & bonitate soli, clementiaque cœli & aëris in *Zeilan* regione, essentiæ sive substantiæ Canellæ, accommodatiore, quam illius *Malavar* & *Iava*, ex authoritate antiquorum, & experientia Artium Magistrâ, quæ fidem faciunt. Authoritas peti poterit ab *Hippocrate lib. 4. de Morbis* cum de Silphio sive Lasere verba habet: in *libro de Aere locis & Aquis*: & post eum à *Platone* in *Timæo* suo: & a Poeta *Virgilio* 2° *Georgicorum*. Qui certos faciunt nos de experimento quod una in regione cernitur in una eademque planta Vitis: quæ certo in loco plantata proferet vinum multo melius quam in alio. Ad restituendum hunc *Galeni* locum (& ad excusandum potius eum quam accusandum) ut propius ad veritatem historiæ accedamus; censeo ego ubi legimus σμυρίζειν, legendum esse δειγαρίζειν, quoniam proba Canella sive Cinnamomum propius accedit ad odorem & Saporem Origani, quam Rutæ. De hac opinione mea, meipsum ad doctiores referam, in quorum judicio acquiescam: & silentio præteribo illud, quod superius de hoc ipso argumento scriptum est, in pulverem Diacinnamomi, post *Garciam de Horto*, referam meipsum etiamnum ad id, quod *Hispani*, (qui sæpius in has regiones procul remotas navigant) pro certo nobis affirmant: & qui ad nos important magnam illius præstantissimi copiam, quod mansum minimè resipit Rutam. Quapropter si fides mihi adhibeatur, sufficiet Pharmacopœo præstantissimam quæ ubique parari possit Canellam seligere, loco boni & veri Cinnamomi, cum in animo habet Theriacam suam vel aliud Antidotum componere, non duplam illius dosim sumendo, quod *Galenus* suadet, quando unum idemque sint: Differentia in bonitate, quam *Græci* observarunt, argumentum illis & occasionem præbuit opinandi plures esse illius species: sicut etiam de plantis ipsis quod numero sint sex, cum non nisi una tantum sit species. Jam ut ad rem institutam de Chalcitide regrediar: quandoquidem resistere non potest veneno Fungorum per temperamentum suum, nec est illorum Alexiterium, quantum vel Antiquorum Authorum ante memoratorum, vel experimentis Neotericorum qui ad hoc usque tempus scripserunt, compertum habemus, ob grave præsensque periculum quod Fungi inferre possint illis qui eos comederunt, suaderem ut si quando res & occasio postulet huic malo medendi, ut relictâ Chalcitide (nec acquiescendum in Dictis *Fontani*) usurpemus Vitriolum calcinatum, quod securum est medicamentum, paratu facile, non adulteratum, vilis pretii, omnibus cognitum. E contra, Chalcitis rara est, paucis mortalibus cognita, cara, longè petita, nullis hactenus experimentis pro comperto habita: mei consilii hæc est ratio, quod sæpe antequam advocatur medicus, venenum jam cor ipsum occupaverit, vires ægri adeo imminutæ sint & prostratæ, ut per Alexiterium quantumvis validum paratum, medicus non possit ad summum opus suum pervenire: Quomodo ergo hoc per invalidius perficere poterit? Quis igitur ille est adeò doctrina, judicio & experientia vacuus, qui velit certum pro incerto relinquere? in novo remedio, cum agitur de vita proximi sui, periculum facere? quem nollet vel videre tantum tali in discrimine jacentem & procul aliunde quærere quod advectum ad se habeat? caréque admodum mercari, quod vili pretio parare possit. Non sumus amplius nos in temporibus illis Regum *Mithridatis* & *Attali*: qui in reis & damnatis non in aliis experimenta fecerunt sua. Erimusne igitur nos illis pejores? Absit. Ex hoc igitur quod supra dictum est, concludere quis possit, quod Chalcitis nec utiliter nec tutò exhiberi possit, contra venena Fungorum, ubi dictus D. *Fontanus* pro certo habet: & quod Fundamentum suum infirmum sit, utcunque è *Galeno*

Canella & Cinnamomum unum & idem sunt.

Consilium de vitriolo, pro iis qui comederunt Fungos.

Conclusio prioris partis, Fontani Thesis.

Magni

Magni illius *Hippocratis* Interprete desumptum. Atque hæc de priore membro Thesis D. *Fontani* dicta sunto.

Restat jam ut videamus, si altera pars suæ Thesis, melius fundata sit quam prior: cum per eam, Chalcitim ingredi Theriacam ad promovendam ejus penetrationem & ad detergendum deneget, sicut Author scripsit in hac Paraphrasi, ad instruendum minus versatos in arte sua Pharmacopœos, & non ad doctos. Ut succidam igitur poplitem(ut ita dicam)opinionis D.*Fontani*,eámque prorsùs, evertam præter rationes & experimenta utar tam authoritate antiquiorum *Græcor.Dioscor.Galeni*,& *Pauli Æginetæ*,quam *Arabum*,nominatim *Avicennæ* & Neotericorum variis in locis scriptorum suorum, (quorum seriem si sigillatim enumerem nimis prolixam, tædium crearet Lectori) quæ valent eam destruere. Hac sola ratione pro *Achille* clypeoque ejus utar, quod sciam omnia medicamenta operari, vel forma essentiali suâ, vel qualitatibus primariis vel secundis. Antehac monstravimus Chalcitim non debellare posse Fungorum venenum formâ suâ, nec primis qualitatibus. Restat nunc igitur, inquirere & videri,num hoc possit efficere, vel ne? quod Author pater meus scripsit,per qualitates ullas primarias, & secundas,quæ numero quinque sunt, videlicet: Calor, siccitas, tenuitas partium, detersio & astrictio. A quibus sumere licet demonstrationes & consequentias non minus certas, quam illa est, quæ cogit inferre diem esse, quam diu sol lucens & clarus curriculo suo super Horizontem Hemisphærii nostri prætervehitur. Per calorem suum gustu manifestum mutua cum ope plurium aliorum medicamentorum Theriacam ingredientium,moderari valet frigiditatem Opii illic positi in majori quantitate. Per siccitatem suam quæustione accrescit, desiccare potest & absorbere humorem virulentum bestiarum venenosarum (quod ipsum præcipuè voluit *Andromachus*) & resistere putredini humorum, unde tanquam è fontibus scaturiunt multi morbi, quibus fœliciter accomodatur Theriaca. Per tenuitatem partium (quam alia etiam ingredientia promovent) penetrare facit crassitiem medicamentorum frigidorum & astringentium, qualia sunt, Opium, Acatia, Hypocistis, Terra sigillata, Rosæ cum aliis. Per virtutem suam detersoriam, detergere nata est, materias crassas, glutinosas & viscosas, genetrices, nutricésque simul, majori ex parte, ægritudinum frigidarum, cum cerebri, tum Articulorum: Authoribus *Dioscoride*, *Galeno*, *Avicenna*, & aliis. Per astrictionem suam non levem cohibere valet subitam aliorum medicamentorum plurium quæ resolutu facilia sunt, elevationem & exhalationem quorum non exiguus est numerus in dicta Theriaca: & nihilominus, ad fermentationem ibidem requisitam, Opio in opem adhibito, aliisque terrestribus.

Contra secundam partem Thesis, dicti Fontani.

De quinque Chalcitidis qualitatibus.

1.

2.

3.

4.

5.

E supra dictis argumentis non disputandi gratia problematicis, sed certis & apodicticis, docti judicabunt, si illis videbitur,uter horum certiore nitatur fundamento, illéne qui negavit Chalcitim Theriacæ impositam esse, ad detersionem & promovendam penetrationem: an Author ipse, ejus quod in tractatu de illa scripsit, quum non sit Alexiteria veneno Fungorum, quod ille alter pro certo asserit in priore parte Thesis suæ.

Si quis in dubium revocet, quod Theriaca recens adhuc minoris ætatis,nullius usus sit ad Fungorum venenum, tota natura sua deleteria cum sint, quales supra depicti & descripti sunt, esset hoc suam ipsius, nimium prodere inscitiam, non idcirco quod eam ingreditur chalcitis, sed ratione plurium Alexiteriorum ante dictorum quæ fungos respiciunt. Qualia sunt Calamintha,radix Aristolochiæ,Origanum,&c. quæ induntur Theriaca & quæ mutua operatione sua faciunt ut resultet una quædam communis & accommoda qualitas non morsibus solum & ictibus venenosarum bestiarum,& ad quodvis venenum virúsque: Sed etiam ad curationem ægritudinum multarum calidarum, quandiu adhuc recens est, & dum frigiditas Opii dominatur & exuperet calorem aliorum ingredientium: & frigidorum præterea morborum, quandiu frigiditas Opii vincatur à calore tam chalcitidis, quam aliorum medicamentorum calidorum in sequentes annos.

Hiis rationibus, authoritatibus, & experimentis superius prolatis fretus, liquidò concludere possum Thesim D. *Fontani*, sive in affirmativa parte sua, seu in negativa, sive etiam in fundamento suo, è *Galeni* scriptis desumpto, manere funditus subrutam

Conclusio universalis.

rutam & destructam, ac consequenter non recipiendam. Veruntamen si alias rationes habeat, meis firmiores, eâsque authoritate & experientia fundatas, gratum mihi fecerit eas in lucem proferre ad publicum posteritatis commodum : simúlque profitebor, & promittam, quam primum meas in manus pervenerint, meas ipsius deserturum, & non alias. E contra si eas videro Satyricas & inciviles, eundem honorem illi habebo qui solet affinis suis nativis haberi, nempe permittam illum rudere, cum satis supérque sciam, venenum improbi ex lingua deprehendi, virtutem autem sapientis sedem in auribus consistere.

De Mistura, sive componendi ratione.

Mistura, repositio, duratio & usus Antidoti hujus, non differt ab eo quod in Mithridatio retulimus : quem in locum reflectendum est ; supersedeo igitur, ne identidem & sæpius ad unam eandémque rem regrediar. Nam qui novit unum conficere, æquè noverit & alterum.

Theriaca Diatessaron. D. M.

℞. *Radicum Gentianæ, & Aristolochiæ rotundæ : Baccarum Lauri, & Myrrhæ, singul. uncias duas. Omnia curiosè trita Melle despumato excipiuntur. Nonnulli triplum, alii quadruplum mellis injiciendum censent. Qui triplum, efficaciorem & minus palato gratum. Qui verò quadruplum minus efficacem, & gratiorem palato conficiunt. At veteres, non tam palati quam morborum curandorum fuerunt studiosi.*

Paraphrasis.

HÆc Antidotus, quamvis non recipiat Opium ut locaretur in hac sectione, mihi tamen æquum videtur hîc reponere, appellationis suæ causa & virtutis, minoris licet quam præcedentis, pauperibus tamen admodum accommodæ : descripta est à *Mesue*, in *principio secundæ partis primæ distinctionis.* Nomen illius *Diatessaron*, quatuor significat numerum, scilicet, medicamentorum quæ illam constituunt. In hoc numero Mel non continetur, sed illic ponitur solum ad corrigendum saporem ingratum, promovendum actionem, & conservandum virtutem ingredientium.

De Mistura sive componendi ratione.

SImul pulverizandæ sunt radices, & Baccæ Lauri, quam minutissimè. Myrrha verò seorsim : Post, adjiciendum Mellis albi despumati triplum, cocti prius & adhuc calidi ; deinde omnia, usui reponenda.

Tryphera Magna. D. N. Myrepsi.

℞ *Opii Thebaici, drach. duas,*
Cinnamomi vel Canellæ selectæ,
Caryophyllorum,
Galangæ, ex China *translatæ,*
Spicæ Nardi,
Zedoariæ,
Zinziberis,
Costi candidi ex Arabia,
Styracis Calamitæ, (codex *Salernit.* mendosè habet, Calamenti)
Calami Aromatici, vel ejus defectu, officinarum,
Cyperi, (hujus non meminit *Salernit.* habet *Myrepsus,*)
Iridis Illyricæ, aut Florentinæ,
Radicum Peucedani, &
Acori veri, (Calami Aromatici falsò nominati)
Corticis radicis Mandragoræ,
Spicæ Celticæ,
Rosarum rubrarum,
Piperis nigri,
Sem. Anisi, &
Petroselini Macedonici, vel nostratis,
Sinonis seu Apii Montani, quod est diversum à Petroselino Macedonico

donico *Dioscor.* hujus loco, *Salernitanus*, Cymini habet : verum utram sumas, parum refert, quoniam ambo sunt ejusdem facultatis.

Apii, seu Eleoselini Græcorum.
Fœniculi,
Dauci Cretici,
Hyoscyami albi, &
Ocimi, i. *Basiliconis, siag. drach. unam.*
Hyssopum siccam, à *Myrepso* scriptam relinquo ; quia ejus non meminit *Salern.* neque alii : quippe quod alia sufficiat ad effectus titulo enuntiatos.
Mellis optimi despumati, omnium triplex pondus.
Fiat Opiata, usui reponenda.

Paraphrasis.

HÆc Opiata per Antiphrasin appellatur, *Trypherai.* Delicata : quod Solatium & Requiem præstet, tam viris quam fœminis qui ea utuntur : Sapor enim ejus perquam ingratus est. Cognomen illi impositum fuit, ad differentiam alterius, ejusdem nominis, minoris tamen, & numero Medicamentorum & facultate. Describitur à *Nicolao Myrepso Alexandrino, primo de Antidotis, cap.* 210. Basis est Opium, cujus incrassans virtus & refrigerans. augetur cortice Mandragoræ & Semine Hyoscyami, quorum nocumentum corrigitur Caryophyllis, Zinzibere & pipere nigro : virtus eorum perfertur ad pectus per Iridem & Styracem : ad jecur & lienem, per Nardum Indicam, Celticam, & Calamum Odoratum: ad Matricem, ope Acori, Costi, Cyperi, Peucedani & Zedoariæ. Galanga, Canella & Rosæ adduntur ad muniendum ventriculum, adversus noxam Narcoticorum. Semina induntur, ad incidendum & attenuandum materias crassas (& flatus consumendos) quæ deducunt per urinas & Menstrua. Non opus est Opiatam hanc sine Opio dispensare, ut quidam censent, ratione Mandragoræ & Hyoscyami, quæ eam ingrediuntur : & cum omnia Ingredientia alia, hoc in respectu imponuntur : cum etiam, ab elapsis tribus vel quatuor annis vis eorum Narcotica per alia medicamenta superetur calida, & congruentia frigidis ventriculi morbis & matricis : cujus ratione qui eam formidant, tutò uti licet Benedictâ, si purgandum sit.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimo in ordine trituræ, ponendæ sunt Radices Galangæ, Cyperi, Zinziberis, Zedoariæ, Costi, Iridis Florentinæ pro Illyrica, Acori, Peucedani : & cortices Mandragoræ, Canella, Caryophylli, Nardus Indica incisa, & Calamus Aromaticus. In secundo, Opium morsulatim concisum, Spica Celtica, Piper, Semina omnia & Rosæ. Seorsim pulverizare oportet Styracem Calamitam cum quadam Amygdala vel guttis aliquot Olei, ne adhæreat mortario, deinde permisceri omnia & usui recondi. Cui libet Electuarium solidum conficere, imponere debet unam pulveris unciam, cuilibet libræ Sacchari : vel sex drachmas aut semiunciam in gratiam delicatiorum. Sin molle & verè Opiatum, sumendum est triplum Mellis albi de *Languedocâ*, despumati, cocti, & adhuc calidi, post sublatam ab igne authepsam : cui paulatim & sensim injiciendi sunt pulveres : omniaque usui in olla probè operculata, recondenda. Sequitur nunc de Confectionibus, sive Electuariis mollibus, tam Alexiteriis, quam purgantibus.

Sectio VI.

De Electuariis in genere.

Electuarium quid est.

Divisio Electuariorum.

Uprà egimus de pulveribus aromaticis, tanquam materiâ Opiatarum, Antidotorum, Electuariorum mollium & Solidorum. Jam agendum est de Confectionibus, sive Electuariis alterantibus & purgantibus: postquam quid hoc sit, & de usu eorum dixerimus. Electuarium in genere, remedium est internum, & ex pulveribus medicamentis curiosè electis compositum, vulgò appellatur Confectio. Electuaria, sunt vel mollia, vel Solida, Alterantia vel Purgantia. De illis primum agemus, quod minus lædant corpora nostra quam hæc: & alterent potius humores peccantes in qualitate, quam purgent. Atque horum alia sunt jucundiora & Cardiaca, alia minus & ingratiora.

Quare inventa sunt.

Veteres Electuaria invenerunt, ut auxiliis instruentiores essent, omni in tempore & quavis tempestate, ætateque, occurrere morbis & subvenire, qui non inducias dant, nec otium Medico præbent alia componendi, & expectandi dum eorum fermentatio vel coctio in multis necessaria perficiatur.

Dosis pulveris, ad singulas libras Mellis vel Sacchari.

Quantitas pulverum singulis Sacchari libris vel Mellis despumati, communiter tres unciæ: non hic comprehendo Tamarindos, Cassiam, Mannam, Penidia & fructus: nempe Dactylos, Amygdalas, Pineas, Pistacia, Ficus (sive Caricas) uvas passas, &c. quæ recensere potiùs oportet in serie Mellis vel Sacchari, quam pulverum. Præterea hoc pro certo constat, quod quò plus fuerit pulverum, & minus Sacchari aut Mellis, eò magis virium habebit Electuarium, & ingratius erit. Contraria ratione, quod minus habuerit in se pulverum, debilius erit & palato gratius. Ex solidis & mollibus quæ receperint tantum pulveris, hæc peræque ac illa, mollia diutius servabunt virtutem suam & validiora erunt quam solida, præsertim si fermentatio requiratur; sin minus, pro præsenti tempore: solidum distribuetur facilius per totum, & attrahet humores ubique dispersos, consimiles sibi & familiares: hac scilicet ratione, quod solidum sua raritate, cum aër eò penetret, facilius resolvitur à virtute sua purgativa, quam molle ob humiditatem suam, quæ impedit transpirationem ejusdem.

Usus.

Electuariis utendum est præcipuè in aurora, quatuor aut quinque horis ante prandium; plus aut minus pro ratione temperamenti ipsius ægri, ejusque virium, ætatis, sexus, temporis & anni & morborum. Pulveres quo subtiliores fuerint, eo citiùs & celeriùs fermentabitur Electuarium, eoque facilius digeretur & per vias meatusque angustos distribuetur.

De Electuariis in specie.

Confectio Alchermes. D. M.

℞. *Succi pomorum Odoriferorum, &c. Aquæ Rosarum, utriusque lib. unam & semissem: Serici crudi Succo Granorum tinctorum recens tincti, lib. unam. Infundantur simul horis 24. deinde paulisper coquantur, donec liquores isti rubeant. Quos (expresso & abjecto serico) coque cum Sacchari optimi drach. 150. vel libra una dimidia & drach. sex, ad Mellis crassitudinem. Ab igne depositis & adhuc calentibus, Misce, Ambræ crudæ minutim concisæ, unciam dimidiam: quâ liquatâ injice pulverem sequentem.*

℞. *Ligni*

℞. *Ligni Aloes crudi optimi, vel Santali Citrini, &*
Darcheni, ā. *Cinnamomi selecti, utrinsq; drach. sex.*
Lapidis Cyanei, ā. *Lazuli, usti & loti,*
Margaritarum albarum utriusq; drach. duas.
Foliorum Auri optimi, drach. unam.
Moschi Orientalis optimi scrupulum unum.
Fiat Electuarium, vase vitrato diligenter obturato reponendum.

Paraphrasis.

ELectuarium hoc ob ingentem virtutem suam Cardiacam, primum ex omnibus Electuariis mollibus locum meretur: quod nomen accepit à Basi suâ, crudo serico tincto in succo de grano extracto, quo tinguntur vestes coccineæ, & quod *Arabes* appellant *Kermes*, *Græci Coccon Baphicon*, *Latini* Granum tinctorium & infectorium: Granum hoc est quoddam crescens ad Basim vel in medio foliorum cujusdam fruticis, qui appellatur Ilex Glandifera, & aquifolia, à foliorum similitudine; magnitudine unius pisi albi, quod *Maio* mense ac *Junio* colligitur, non citius, nec tardius: plenum rubenti succo, quo Sericum tingitur crudum ad hoc Electuarium. Hoc pro exiccandi modo, in pulviseulum decedit, & in vermiculos convertitur, qui postea volitant seu Muscæ, unde natum est nomen *Vermillon*. Si subito exsiccetur in ardenti sole, aut super ignem mediocrem, hoc non omninò accidit: sed si fiat, aspersio aceti sola, eas abigit. Magna illius vis acervatim comparatur, in *Provincia Languedoca* propè * *Montem Pessulanum*. Manna quædam hæc est pulveribus suo in tempore. Basis hæc auctior fit per Margaritas, Ambram, Moschum & Aurum. Lapis lazuli ustione & lotione exuit vim suam vomitoriam & purgantem unà cum acrimonia sua (non autem Cardiacam hic requisitam, quæ parva in quantitate, non potest humores commovere, nec converti in eorum naturam, sed cohibere vapores melancholicos, qui à liene sursum feruntur ad cor & cerebrum. Vide *Avicennam in libro* quem composuit de *Cordis facultatibus*, *Tractatus secundi caput secundum*; Lignum Aloes, Cinnamomum & Aqua Rosarum adjiciuntur ad viscera levi astrictione suâ, corroboranda: sicut & Pomorum succus ad corrigendam asperitatem & siccitatem eorum: Saccharum ad promovendam eorum actionem, ad saporem, & totius conservationem in usus necessarios. Plures docti medici comparantes hanc descriptionem cum illa *Mesuæi* quam describit *libro de Simplicibus Medicamentis Catharticis capite de* * *Lapide Stellato*, arbitrantur culpam quæ in dosibus deprehenditur, provenisse à primis Librariis, sive Impressoribus. Quidam alii stolidiores rejiciunt vitium in Authorem ipsum, & loquuntur, secundum passionem suam fundatam super nescio quas rationes, non perspiciunt diversas curationes indicativas, ut colligere licet ex ipsis scriptis suis, quæ duæ sunt.

Historia Cocci Baphici sive grani tinctorii.

* *Mont-Pelier.*

* *Sive Lazuli.*

In ea quam de Basi sua * lapide Lazuli, cognominavit: prima indicatio sua erat purgandi per sedem (ope illius) humores adustos & Melancholicos, qui sæpe, Epilepsiam, Maniam, & Melancholiam Hypochondriacam creant. Hoc illud est quare contentus fuit lotione pro tota præparatione, & subtrahere vim vomitoriam, retinendo dejectoriam solam necessariam. Secunda indicatio erat corrigendi nocumentum illius adurens viscera (cum sit medicamentum exulcerans, incidens, abstergens & putrefaciens) mixtione aliorum ingredientium quæ respiciant cor, cerebrum, matricem, & regenerant spiritus, procul abigendo totam tristitiæ causam, & sequendo antecessorum experientiam. Cuique libræ sacchari imposuit unciam unam stellantis lapidis, sive Lazuli.

* *Lapide stellante.*

De confectione illa cognominata *Alchermes* scripta in *Grabidino suo, sive Antidotario*, intentio ejus alia fuit ab ea quæ in præcedente. Non enim illi animus erat purgare tales humores terrestres, sed reprimere solum, idque clementer vapores melancholicos, qui elevati sursum à liene ad cor, & cerebrum, creare potuerunt tristitiam provenientem à causâ non manifestâ, idque authore *Avicenna*, in loco supra notato. Hoc etiam est, quod contentus erat drabus drachmis dicti lapidis tanquam justa satis quantitate, ad reprimendos tales humores. Et ut redderet illum magis salubrem & salutarem, non satis illi fuit lotione ut in priore: sed noluit

etiam cum calcinari, ad tollendam prorsus hujusmodi facultatem purgatricem & vomitivam, unà cum acrimonia, retinendo tantum Cardiacam, hic necessariam: Alia ejus intentio eadémque præcipua erat, reparare spiritus & vires ægrorum diminutas magnis & malignis morbis, muniendo cor primum vivens, & ultimum moriens, Cerebrum, Matricem, & alia viscera, admixtione Ambræ, Moschi, Ligni Aloes, Perlarum & Canellæ.

Dosis lapidis Lazuli hoc in loco memorata, satis ampla est, ad hoc efficiendum quod cupit. Quod si consimilis illa fuisset alteri supra memoratæ contrarium egisset ægrorum præjudicio, quodcunque lotio vel ustio adferre potuit. Quantitas itidem Ambræ & Moschi sufficiunt. Hæc quidem levis cùm sit, & ingrata, effeciisset hanc confectionem adeò injucundam (cum ex se satis ingrata sit) ut nemo ea uti posset: Hoc in loco sesquialtera illa *Johannis du Gard* Pharmacopœi *Avinionensis*, nihili æstimanda est, ita ut voluit ille introducere, in folium suum chartæ duplicatæ in octavo: *Impressum* ad *Aquas Sextias* in *Provincia*, per *Johannem Tholosanum*. *Anno* 1609. Per sermonem suum, & disceptationem non deprehendi quicquam præter verbositatem quandam incitatam passione illius, qui suggessit ei suas rationes & argumenta, (ut sese opponeret, & contradiceret Dominis illis professoribus *Academiæ Monspelienſis*, Magistris meis, qui vivaciores spiritu sunt quam ut gravi gressu recedant, & coactus sum post *Theocritum* dicere de eo, quod ὑς πὸ τὰ. Ἡλιαίαν ἔχιν ἤχισε, quod valet juxta proverbium, sus contra Minervam certare suscepit:) Quæ argumenta deprehendi ego æque frigida ac Fontanam aquam, quo tempore sol suo vectus Pyroente exagitat persequitúrque Leonem, ad augendam Caniculæ sitim. Et Typographus ille qui pro igniario fomite ei fuit ad temerariam suam inscitiam accendendam & illustrandam, non habuisset facultatem distrahendi & divendendi pusillum hunc abortivum fœtum, sine remedio illo Martialis, Epigram. 2. libri tertii.

Est nigram citò raptus in culinam,
Cordylas madida tegat papyro,
Vel Thuris piperísque sit cucullus.

Suadeo igitur, ut hæc ubique adhibeatur cautio fideliter ex suo authore transcribendi, nec addatur quicquam aut subtrahatur rebus ullis ibidem positis, ob supradictas rationes, neque injuria inferatur *Mesuæo*, & illis, qui post eum fœliciter & usi sunt hactenus, & etiamnum utuntur, usúrique sunt ubique in sua praxi quicquid iste garriat obganniatque.

De mixtura, sive miscendi ratione.

IN Colatura coquendum est saccharum, paulò ultra syrupi consistentiam; cui adhuc calenti & ab igne sublato, injicienda sunt Ambra & Moschus pulverizata, & madefacta in mortario, adjecto aquæ rosarum pauxillo, ac tandiù agitanda donec satis liqueſiant, nec appareat grumi quicquam. Dein adjicientur pulveres, cum auro admixto. Cum jam totum refrixerit, in olla sua bene obturata, usui recondatur.

Quidam tingunt sericum probe carptum ac carminatum in succo Kermes tantum, deinde infundi curant in succo Pomorum & aqua rosarum, 24. horis; post, *parum bullire*: tum exprimunt, & colaturam coquunt cum saccharo, illíque adjiciunt Ambram & pulveres, ut *Mesue* hoc in loco præcipit: atque in syrupo suo simplici, *Distinctione sexta*. Attamen prior ille modus melior est, quia de succo Granorum Kermes inditur illic quantum nobis præcipitur ad promovendam Electuarii virtutem. Alii verò (sed malè) penuria succi, grana ipsa sumunt, quæ infundi curant unà cum serico crudo in succo Pomorum & aqua rosarum, permittúntque ferveſieri, exprimúntque & decoquunt, ut dictum est: sed ejusmodi Electuarii, non tanta est efficacia, quanta quod cum succo Kermes recenti conficitur.

Electuarium

Electuarium, sive Opiata Salomonis, ἄλλο. D. Jouberti.

℞. *Corticis Citrii Saccharo conditi. lib. dimidiam.*
Conservæ Rosarum antiquæ, &
Acetosæ, utriusque unciam unam & dimidiam.
Conservæ Bugl ssi &
Helenii sive Inulæ Campanæ.
Mithridatii veteris & probati singul. drach. sex.
Conservæ florum Rorismarini, unc. dimidiam.
Seminum contra vermes &
Citrii mundati, utriusque drach. tres.
Cinnamomi, seu Canellæ selectæ, drach. duas.
Caryophyllorum drach. unam & semissem.
Radicum Dictamni albi,
Cardui Benedicti, &
Corticis Citrii sicci, singul. drach. unam, & grana quindecim.
Ligni Aloes optimi (si fieri potest) drach. unam.
Cardamomi &
Macis, utriusq; scrupulos duos & grana quinque.
Radicis Gentianæ drach. dimidiam.
Ossa de Corde Cervi, numero quatuor.
Grana Juniperi, in Aceto Scillæ per noctem infusæ, numero, viginti quinq;.
Sacchari Solidi. lib. dimidiam.
Syrupi Acetositatis Citrii, vel Limonum, quantum sufficit.
Ex arte paretur Opiata, usui reponenda.

Paraphrasis.

ELectuarium hoc sive Opiata nomen gerit Inventoris sui quidem, (quisnam autem fuerit nobis non constat) ita nominati, Eximii (credo) Medici, ut colligere licet ex hac descriptione, adeo Methodicè composita: Ille ne, qui Pulverem Diaireos dispensavit, an alius, pro certo dicere non ausim. Hanc quam in manibus habemus commodatam accepi è Pharmacopœa *M. Jouberti*; quoniam in nullo authore alio reperitur. Basis ejus est, Cortex Citrii conditus, & siccus, unà cum ejusdem semine. Cujus virtus Alexiteria incrementum accipit, a Mithridatio, Conserva Helenii, & Bugloss. Ossa de Corde cervi, Gentiana, Cardamomum, Dictamnum, Semina contra vermes & Carduus Benedictus, Macis, Canella, Caryophylli, & Lignum Aloes, imponuntur ad viscera confirmanda, (Conserva Rosarum astrictione sua ventriculum fortificat) ad incidendum, attenuandum & detergendum materias crassas viscosasque, quas Grana Juniperi ducunt per urinarios meatus. Conserva Oxalidis, & Syrupus Limonum vel Citriorum cum Saccharo, corrigunt eorum calorem: reddunt operationem meliorem, addunt formam, conservantque eorum virtutem.

De Mixtura sive Componendi ratione.

OS de Corde cervi limatum facillimè in pulverem redigetur cum Ligno Aloes contracto, Radicibus Gentianæ Carduo Benedicto, Canella, Cortice Citrii, Caryophyllis, Semine Juniperi, Citrii, contra vermes, Cardamomo & Maci. Omnia subtiliter pulverizata & Cribro trajecta, adjicientur conservis Helenii, & Cortici citrii conditi, & cum seorsim in mortario marmoreo contusa & conquassata sunt: Post adjicietur illis Mithridatium, Cæteræ conservæ, & Saccharum seorsim pulverizatum: Deinde adjicietur Syrupi quantum videbitur necessarium ad corpus seu substantiam illi acquirendum, & totum conservandum: ut usui inserviat tempore Pestis, contra vermes & putredinem humorum.

Electuarium de Baccis Lauri. D. Rhasis.

℞. *Foliorum Rutæ Siccorum, drach. decem.*
Sagapeni drach. quatuor.
Opopanacis drac. tres.
Castorii,
Baccarum Lauri,

Acori

Acori veri (falsò Calami Aromatici nuncupati,)
Seminum Ameos,
Cumini,
Liguſtici, vulgo Leviſtici,
Nigellæ Romanæ, ſeu Melanthii,
Alexandrini,
Petroſelini,
Dauci Cretici,
Piperis nigri & longi.
Amygdalarum amararum,
Origani &
Mentaſtri, ſingul. drach. duas.
Mellis deſpumati & cocti. omnium par pondus.

Fiat ex arte Electuarium. Doſis erit Nucis Avellanæ inſtar, cum decocto convenienti.

Paraphraſis.

ELectuarium hoc nomen præfert de Baccis lauri, quod ab Authore ſuo *Rhaſi* deſcribitur, *nono libro* quem dedicavit *Almanſoro* Regi *Perſarum Mæcenati* ſuo *cap.* 71. Baſim habet, folia Rutæ ſiccæ locata in principio. Quorum facultas incidens, attenuans, & flatus conſumens, (qui generantur in corporibus noſtris ex reſolutione phlegmatis viſcoſi retenti in ventriculo & inteſtinis) auctior fit Caſtorio, ſeminibus, Baccis lauri, & herbis. Gummia & Amygdalæ amaræ induntur ad tale Phlegma detergendum. Piper & Acorum fortificant ventriculum & viſcera omnia. Mel deterget, Saporem impertit, intendit operationem, & omnia conſervat. Qui præter Authoris mentem duplam vel triplam Mellis doſim imponent, facient illi quidem Electuarium gratius, ſed infirmius. Facultas enim hujus Electuarii non provenit à Melle, ſed ab aliis ingredientibus.

De Mixtura ſive componendi ratione.

GUmmi & caſtorium hîc impoſita morſulatim, facile cum omnibus aliis, ſimul contuſis in pulverem abibunt. Hîc non opus eſt tam ſubtiles pulveres facere quam ad multa alia Electuaria, ob rationes in principio *quartæ ſectionis* expoſitas. Melle deſpumato & cocto, ponderato & adhuc calenti (ſublata ab igne authepſa) adjicientur paulatim pulveres: deinde omnia uſui recondentur. Doſis eſt unius Avellanæ inſtar, cum vini veteris & tepidæ uncia una, ſive decoctione aliqua inciſiva, phlegmatis attenuativa, & flatuum conſumptiva.

Confectio Anacardina. D. M.

℞. *Piperis nigri ac longi,*
Myrobalanorum Cepularum
Emblicarum
Bellericarum &
Indarum.
Fudebeduſter. i. *Caſtorii, ſingul. drach. duas.*
Cyperi drac. quatuor.
Coſti Candidi ex Arabia,
Anacardii,
Zacchari vel Sacchari Tabarzet. i. *optimi,*
Burungi, vel Berungi cum Avicenn.
Baccarum lauri ſingul. drach. ſex.
Butyri vaccini & Mellis deſpumati, utriuſq; pares portiones, vel utriuſque uncias quinque & ſemiſſem.

Scholia ſuper Burungi.

PEr Burungi vel Berungi, quid intelligat *Meſue*, non eſt facile judicare: Quandoquidem non conveniunt Authores. Alii Cubebas, Alii ſemen Erucæ: Alii Melanthii: alii Meliſſæ eſſe autumant. Quodnam horum ſumat Pharmacopœus parum refert, quod ſingula caleant tertio ordine, & affectibus titulo enunciatis quadrent.

Paraphraſis.

Paraphrasis.

Mesuaeus hanc confectionem sive Electuarium Anacardinum describit, *ad finem secundæ partis primæ Distinctionis*, quam mutuatus est verbatim ex *Avicenna, Lib.* 5 *Tract.* 30. *Descript.*25. Hoc excepto, quod nullam Myrob. Cepularum mentionem faciat. Basim constituunt Anacardia, à quibus Electuarium hoc desumpsit appellationem suam. Eorum vis incidens & attenuans pituitam crassam, & compactam (detentam in cerebro, ventriculo & intestinis) augetur per Costum, Castorium & Burungi, sive semen Melanthii, vel Melissæ, consumens materiam flatulentam: augetur per Piper, & Baccas Lauri: detergens per saccharum & mel. Cyperus & Myrobalani injiciuntur, ut astrictione sua corroborent viscera, & reprimant tenuitatem Basis, aliorumque medicamentorum calidorum: Butyrum ad leniendum & corrigendum asperitatem & siccitatem totius compositionis. Cum igitur ita probè comitata sit correctivo suo, nequaquam verendum est nè febres Ephemeras aut Hecticas, aut etiam putridas procreet, dummodo quodque receptum, sive dosis tres drachmas non excedat.

De Mistura, sive Componendi ratione.

PRimum Cyperus & Costus contundenda sunt: Dein adjungenda semina, & Myrobalani, quæ unà pulverizari oportet. Seorsim conterenda sunt Anacardia, suis expurgata Corticibus, & Saccharum, post omnia permiscenda. Quod cum factum est, sumi debet mellis albi & despumati quantitas requisita; cui adjicietur par pondus Butyri recentis & non saliti, & probe purificati. Deinde vase ab igne sublato sensim & paulatim adjicientur pulveres. Anacardia nomen habent à similitudine cordis aviculæ cujusdam, admodum arida, quod de longinquo adferantur: videlicet à *Cananor, Calecuto, Cambayo* & Decam, locis *Indiarum Orientalium*: per navigationem *Lusitanorum* & *Hispanorum*. Advehuntur etiam ad nos ex *Apulia* & *Sicilia*. Pars eorum præcipua consistit in liquore quodam resinoso, qui est inter binas cortices. Qui opportunitatem habent parandi recentia, aut vellent insumere operam in conterendo ea, & macerando in aqua & fervefaciendo, & colligendo quod inter bulliendum supernatat, & ita liquorem talem injiciendo, eorum confectio majoris erit facultatis quam si conficiantur cum eorum nucleis, qui non sunt calidi in secundo gradu completo. Antidotus adversus Anacardia, est Lac vaccinum; vel oleum nucum, post bibitum, si reperiantur experimento esse venenosa, ut quidam pro certo affirmant: quod mihi ipsi incertum est.

Descriptio Anacardiorum.

Micleta. D. N. Salernitæ.

℞. *Myrobalanorum Citrearum,*
Indarum, &
Cepularum,
Sem. Cardami, i. *Nasturtii, sing. drach. duas & semissem.*
Myrobalanorum Bellericarum, &
Emblicarum, utriusq; drach. duas,
Seminum Cymini,
Anisi,
Ameos,
Carui, &
Fœniculi sing. drach. unã & semis.

Myrobalani ab ossibus purgatæ super tegulam, vel Batillum candens, assentur, & simul pulverizentur. Reliqua aspergantur aceto & humectentur per noctem. Manè exsiccentur & assentur donec videantur denigrari, modò non uranturTandem pulverizentur & misceantur Myrobalanis & pulvere sequenti.

℞. *Spodii,*
Balaustiorum,
Sumach,
Masticbes (hujus non meminit *Myrepsus:*)
Gummi Arabici, singul. drach. unam & grana quindecim.

Fricentur omnia oleo Rosato, & excipiantur syrupo Myrtino, & usui reponantur.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

Salernitanus mutuatus est hanc descriptionem à *Nicolao Myrepso Alexandrino*: *in primo Antidotorum cap.* 200. quam quia depravata est, noluimus sequi. *Micleta* significat (secundum ipsum *Salernitanum*) expertum, seu experientia compertum, ad immodicum & enormem alvi fluxum, & Hæmorrhoidas, causâ prius sublatâ. Basim faciunt Myrabalani. Quarum dejectoria vis tollitur assatione sive torrefactione: astrictio hîc quæsita, augetur Spodio, Sumach, Balaustiis, Mastiche, & Gummi Arabico. Semina posita sunt ad incidendum & attenuandum pituitam crassam & densam: quæ in intestinis retinent bilem, & ad eam derivandam per urinarium meatum, uti etiam ad discutiendos flatus. Adde quod, majorem tenuitatem acquisiverunt, per suam in aceto infusionem & torrefactionem: ut penetrare faciant crassitiem Myrobalanorum, & medicamentorum astringentium. Oleum Rosatum adhibetur ad emendandum asperitatem; siccitatem & Empyreuma tam ipsius basis, quam seminum contractum assatione. Syrupus Myrtinus adjectus tripla omnium quantitate formam præstat, promovet operationem, adauget aliorum astrictionem, & totum ad usus conservat.

De Mixtura, sive componendi ratione.

PRimum omnium infundenda sunt (per unam noctem integram) omnia semina cum pauco aceto, die crastino torrenda (reducta in formam pastæ) super tegulam, vel in sartagine ad ignem calidum, movendo & versando semper cum Spatula, usque quo denigrari incipiant, postmodum terenda. Myrobalanos suis exutas ossibus torrefacere item oportet, in pulverem verti, & permisceri cum seminibus, & pulveribus Sumach & Balaustiorum unà pulverizatorum: sicut seorsim Spodium, Mastiche & Gummi Arabicum. Post hoc, positisque jam in mortario, adjicietur Oleum Rosatum, ut diu confringantur cum pistillo, vel inter binas manus confricentur: postea ponderare oportet triplum syrupi myrtini, & paulatim adjicientur pulveres, & totum in olla propria reponatur ad tempus necessarium. Sequitur de Electuaribus purgantibus.

Electuaria purgantia.

Dia-Catholicum. D. N. Salern.

℞. *Polypodii querni contusi, lib. unam,*
Seminis Fœniculi, uncias tres (cum *Jacobo de Manliis* & aliis)
Coque diu in aqua sufficienti & cola. In duabus partibus colaturæ, coque saccharo albi libr. octo ad syrupi crassitiem: deinde dissolve.
Pulpæ Cassiæ, &
Tamarindorum (hæc duo humectentur in parte altera colaturæ ut facilius cernantur,)
Pulveris Sennæ mundatæ singul. uncias octo.
Rhabarbari selecti.
Sem. Violarum (quia potentius purgat flore)
Polypodii querni mundati, &
Anisi, singul. uncias quatuor.
Seminum quatuor frigidorum mundatorum, singul. unciam unam.
Glycyrrhizæ rasæ & contusæ,
Penidiorum, &
Sacchari Chrystallini, singul. unciam dimidiam
Fiat Electuarium.

Paraphrasis.

MYrepsus, *primo lib. de Antidotis, cap.* 502. & 503. describit duo Electuaria, consimilia nomine ambo, sed virtute dissimilia & medicamentorum numero, quæ hodie non in usu sunt. Nos medicamenta dispositimus, secundum ordinem quem in

mixtura

Mixtura ſervare oportet. Nomen ſignificat (*univerſale*) Quandoquidem univerſaliter purgat univerſum corpus, Choleram, Phlegma & Melancholiam, abſque ægri nocumento. Prior baſis quæ choleram purgat eſt Caſſia & Rhabarbarum: Tamarindi & ſemina Violarum hîc imponuntur, ad virtutem eorum purgantem augendum, & ad refrænandum bilis acrimoniam & Rhabarbari calorem: ſicut Penidia & Saccharum Chriſtallinum ad illius ſiccitatem. Altera Baſis eſt Polypodium & Sena, quæ purgant Phlegma & Melancholiam. Illius noxia vis corrigitur coctione & ſemine Fœniculi, quod impoſuimus cum *Manlio* Authore *majoris Luminaris, Cordo,* & aliis quibuſdam Doctoribus: Hujus autem quæ eſt in pulvere, uti & Senæ, ſemine Aniſi; quod incidit & attenuat phlegma, diſſipatque flatus, qui generantur ab eo intra Inteſtina & ventriculum, torminaque ſedat quæ proveniunt à pituita, & non à polypodio vel Sena. Glycyrrhiza & Semina frigida induntur ad tollendas oppilationes, quæ poſſent impedire attractionem purgantium, & ad pervehendas ſeroſitates per urinæ meatum. Saccharum denique, promovet omnium operationem, eaque conſervat.

De Mixtura ſive componendi ratione.

QUandoquidem vis purgans Polypodii non ſita eſt in ſuperficie, ut multorum aliorum; Sed in centro, cumque ratione humiditatis ſuæ excrementitiæ nauſeam pariat, opus eſt ſatis longo tempore ad illius coctionem, unà cum Fœniculo in ſufficienti aquæ quantitate, ſicut *Meſuæus* præcipit, nec unica ſolum infuſio ſufficerit, quod quibuſdam placet. Duæ partes colaturæ ejus perficientur coctura cum Saccharo albo & puro in Syrupi conſiſtentiam decocti. Altera pars illius inſerviet, ad humectandum Caſſiam & Tamarindos, ſi ſicci ſint, ut facilius tranſeant per cribrum inverſum, & ſingula ſeorſim ponderanda ſunt, & humiditas quæ impoſita eſt, ut deciduum quod eſt & abſumptum cognitum ſit, ut ſic juſtum pondus requiſitum conſtet. Dum hoc fit, Pulvis fiet hoc ſequenti modo. *Obſervatio Polypodii, in coquendo.*

Primò conterendum eſt Polypodium mundatum: tum adjicienda Glycyrrhiza raſa & conciſa. Paulò poſt imponendum Aniſi ſemen & Violarum, quoniam hoc magis purgat quam flores: Tandem Sena perpurgata ab omnibus lapillis, pulviſculis, ligneis ramentis, & foliis demortuis. Et ad eorum exhalationem cohibendam pars aliqua ſeminum frigidorum a pelliculis ſuis mundatorum addenda eſt, (ſi Polypodium recentius ſit) vel omnia ſi valde ſiccum ſit. Seorſim Rhabarbarum pulverizari oportet, cum pulveribus & Saccharo Chriſtallino: dein omnia curiosè commiſceri in mortario. Hoc facto; In ſyrupo, ut dictum eſt, percocto miſceantur ſuper ignem paullatim cum rudicula lignea Tamarindi & Caſſia trajecta, ut diximus. Ac poſtea, ſublata ab igne authepſa, adjicientur pulveres ſenſim & paulatim, ut cum omnia refrixetint, uſui recondantur.

Tryphera Perſica. D. M.

℞. *Succorum Solani,*
Intybi, ſeu Endiviæ, &
Apii depuratorum, ſingul. lib. duas.
Lupuli etiam depurati, lib. unam.

In his Technicè coque violarum ſiccarum (recentium potiùs cenſerem) lib. unam.

Folliculorum Senæ unc. duas.
Agarici (ſcilicet) Trochiſcati unciam unam.
Prunorum Damaſcenorum numero 40.
Seminis Caſſuthæ. i. Cuſcutæ unciam dimidiam.
Myrobalanorum Citrearum,
Cepularum &
Indarum, Oleo viol. aut Amygdal. dulcium, frixarum. ſingul. unc. duas. Nonnulli mendose legunt, ſingul. drach. duas.
Spicæ Nardi, drach. tres.

Coque pruna igne lento, donec libra una aut duæ ſuperſint, Cui injice, Epithymi drach. quadraginta,

quadraginta, & Myrobalanos oleo confricatas, ut dixi, & bulliant simul unica Ebullitione, & exprimantur. In parte una Colaturæ dissolve Cassiæ Fistularis unc. quatuor. Tamarindorum, unc. tres. Mannæ unciam unam & dimidiam, Sacchari violati, seu Conservæ violarum uncias duodecim. In parte reliqua colati & aceti libra unâ, coque igni lento, Sacchari albissimi, lib. tres, in Syrupi Crassitiem: deinde dissolve Mannam, Cassiam & Tamarindos: Postremò pulverem sequentem adjicies.

℞. *Rhabarbari optimi uncias duas.*
Myrobalanorum Citrearum, unc. unam & semissem.
Cepularum & Indarum, utriusque unciam unam.
Bellericarum, Emblicarum & Seminum Anisi, singul. unc. dimidiam. sem. Fumariæ.
Trochiscorum Diarrhodon,
Macis,
Mastiches,
Cubebarum,
Spodii,
Santali Citrei &
Seminum 4. frigidorum majorum, mundatorum, singul. drach. duas & semissem.
Spicæ Indicæ drach. duas.

Fiat pulvis guttis aliquot Olei violati aspergendus & confricandus, priusquam Confectioni misceatur, & vase reponatur.

Paraphrasis.

DIfficultas quæ in compositione est hujus Electuarii ansam dedit veteribus Pharmacopœis hoc quasi primarium opus proponere junioribus, ut Magistri in arte sua procederent.

1. Prima est in dosi medicamentorum, quæ multis in locis videtur depravata: sive errore Typographorum, seu non. Quidam enim legunt, quatuor succorum depuratorum, cujusque libras duas. Quibus libenter assentior.

Alii legunt, Trium priorum, singul. libras duas: illius autem de lupulo unam tantum, quam lectionem ego secutus sum.

2. Secunda est in Violis, quæ in Decoctionem ingrediuntur. Quidam enim legunt, tres drachmas. Alii, libram unam. Mihi videntur tres drachmæ violarum siccarum non sufficere, leves jam cum sint, & cum paulò post requirat duodecim uncias (quæ valent libram unam) Sacchari violati, quod nihil aliud est quam nostra Conserva. Quibus commodum est & facile imponere Violas recentes, imponant *ii justum* pondus requisitum, scilicet libram unam, sin minus, tres uncias siccarum, quæ libram unam æquant recentium. Mea sic est ratio & opinio: ne Authori quicquam derogem, neque exemplaribus quæ in manus meas pervenerunt adjicere quicquam de meo.

3. Tertia est in Myrobalanis, nam alii legunt, Citrinarum, Cepularum & Indarum, singul. duas uncias, alii verò duas drachmas. Facilis hic fuerit lapsus Typographi, ponendo characterem (ℨ.) pro (ʒ.) Dosis præcedentium & sequentium planè demonstrat *Mesuæum* voluisse duas uncias, potius quam duas drachmas: Alii adjiciunt tres drachmas Rosarum, sicut Violarum, & Nardi Indicæ, quod non necesse fuit, cum Trochisci Diarrhodon ingrediantur, & *Mesue* nullam earum faciat mentionem. Nomen *Tryphera* significat (*Delicata*) ob rationes in præcedenti Tryphera expressas. Cognomen autem (*Persica*) ad ostendendum, quod *Persarum* Medici eam primi invenerunt & in usum perduxerunt. Virtus ejus est universalis, quod electivè purget bilem utranque & pituitam.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimo in loco succi sunt in sole vel super ignem purificandi, post ponderandi, & in iis, Pruna primum coquenda & Cuscuta contusa: Non ita multo post, Sena injicienda est, mundata, ut dixi; quam contundere aut conterere non est opus, quod nihilo magis purget, & sic decoctionem redderet viscosiorem, præsertim si folia sumantur. Contrà verò si accipiantur folliculi ut *Mesuæus* requirit, (quoniam plus purgant quam folia) parum sunt contundendi: dein immittendus

Agaricus

Agaricus Trochiſcatus contritus, Myrobalani itidem contriti & conſtricati oleo Violarum, vel Amygdalarum dulcium: & cum ſemel tantum bullierint ingeri debent Violæ, Epithymum, & Nardus Indica conciſa. Deinde totum imponatur in ollam fictilem vitratam, vel patellam è Stanno profundam & obtectam: in qua reſtabit dum tepuerit. Tum exprimenrur diligenter, & in colaturam igni redditam, injicietur conſerva violarum, & cum jam bullitura eſt, exprimetur. Si Violæ Conſervæ hujus curiosè mundatæ ſint a parte ſua herbacea, & diligenter tuſæ, diſſolvi poſſunt cum Caſſia & Tamarindis Syrupo jam decocto. In una parte colaturæ humectari debent Tamarindi mundati ſuis oſſibus (& ponderati ad tertiam partem, ſupra quam requiritur, decidui & abſumptionis cauſa) & ſuper Cineres calidos permittendi. Poſtea contundendi ſunt, in mortario marmoreo cum ligneo piſtillo & tranſmittendi per ſetaceum inverſum. Caſſia recens ad triplum ponderanda erit, ſi non ad quadruplum, ſi minus recens ſit, & trajicienda ſicut Tamarindi ſine humectando. Altera pars colaturæ cum aceto & Saccharo, decoquetur paulo plus quam Syrupus, in olla terrea vitrata, vel in Auhepſa ænea Stannata, aceti cauſâ, quod alioqui acquirere poſſit æris acrimoniam, in qua macerandi ſunt Tamarindi, Manna, Caſſia, & Conſerva Violarum. Deinde vaſe illo ab igne ſublato adjicietur paulatim pulvis, ſequenti modo factus. Santalo (ut convenit) confracto adjicietur Nardus Indica conciſa, Semina Fumariæ & Aniſi, Myrobalani, Cubebæ, Semina frigida depellata, Rhabarbarum, Macis, & Trochiſci Diarrhodon, quæ ſimul contundenda ſunt. Per ſe autem ſeorſim in pulverem redigantur, Maſtiche & Spodium, ut omnes hii pulveres miſceri poſſint ſimul cum Oleo Violato ad corrigendam aſperitatem & ſiccitatem Myrobalanorum, quæ abſque eo læderent ſtomachum ægrorum (*Meſue* capite de Myrobalanis) Ac ſic quidem tota miſtura ſervabitur ad uſum neceſſarium.

Tryphera Sarracenica. D. N. Salernit.

℞. *Sacchari uncias tres* (hujus non meminit *Myrepſus*)
Corticum Myrobalan. citrearum.
Oxyphœnicon. i. *Tamarindorum, &*
Medullæ caſſiæ fiſtulæ ſing. unc. unam & ſemiſſem.
Meannæ &
Myrobalanorum Cepularum utriuſq; drach. ſex, ſcrupulos duos, Situria (i. grana frumenti) quinq.
Bellericarum &
Emblicarum, utriuſq; unciam ſem. gr. 4. Mendoſe codex *Myrepſi*, habet drach. ſem & gr. quatuor.
Rhabarb. Indi, &
Violarum recentium vel ſeminis, utriuſq; unc. ſemiſſem.
Seminis Aniſi &
Fœniculi utriuſque drach. duas & gr. quindecim.
Spicæ Ind. (cum *Myrepſo*) *vel Maſtiches* (cum *Salernit.*
Macis, utriuſq; drach. unam grana ſeptem & ſemiſſem.

In libris duabus aquæ calidæ, injice Violarum recentium (ſi vernum ſit tempus) uncias tres: ſin autem non, Conſervæ violarum ſelectæ, unc. novem. Bulliant parum, ut aqua purpureo colore tingatur. Colatura coque, Sacchari uncias viginti (ſi violas recentes injeceris) ſi Conſervam, quatuordecim ſufficient: quoniam in unciis novem Conſervæ ſunt Sacchari unc. ſex, quæ quatuordecim junctæ viginti efficiunt (quantitas hic expetita) Percocto Sypupo diſſolve Mannam, Tamarindos & Caſſiam. Denique pulverem tenuiſſimè lævigatum.

Paraphraſis.

Salernitanus, hanc deſcriptionem verbatim mutuatus eſt de *Nicolao Myrepſo*, *primo de Antidotis, cap.* 209. Præterquam quod ultimarum Myrobalanorum legit ſemidrachmam pro (ſemiunciam) Typographo parum verſato, facilis error eſt, ponere unc. pro drach. Retinui ego Nardum Indicam cujus meminit *Myrepſus*, loco Maſtiches, à *Salernitano* memoratæ ob rationes quas nunc proferam. Nomen

Tryphera, (per Antiphrasim) significat (*Delicata & jucunda*) cognomen est ei à Medicis *Saracenis*, qui hoc Electuarium invenerunt, & in praxim adduxerunt. *Mesue Distinctione secunda* unum condidit simili cognomine, differens tamen in medicamentorum numero & virtute, quod minimè in usu est, sed hoc solum descriptum à *Nicolao*. Basis Cholagoga, sunt Myrobalani Citrinæ, Tamarindi & Cassia: augmentum acceperunt a Rhabarbaro & Violis, quæ corrigunt etiam asperitatem & siccitatem Myrobalanorum & Rhabarbari. Macis fortificat ventriculum adversus eorum noxam, & Nardus Indica Jecur. Semina immissa sunt ad dissipandos flatus, ad incidendum & subtiliandum materias crassas, easque conducendas per urinæ meatum, & ad deoppilandum. Manna & Saccharum detergent, & totam compositionem conservant.

De mixtura sive componendi ratione.

SUaderem ego, ut in Myrobalanos pulverizandos adjiciatur paullum quid Amygdalarum dulcium tam ad cohibendam earum exhalationem, quam ad earundem noxam corrigendam. Simul pulverizanda sunt Nardus Indica, Macis & Semina. Seorsim Rhabarbarum: deinde totum miscendum & recondendum. Hoc facto, sumere oportet aquæ ferventis libras duas: quibus injiciendæ tres unciæ Violarum recentium & mundatarum, si mensis adsit *Martius*: quibus unciæ sufficit ebullitio, ut aqua solum coloretur; dein leviter exprimentur. Una in parte Colaturæ, Tamarindi mundati humectentur, calefiant, tundantur & trajiciantur, ut Cassia super setaceum, cum Spatula ut dictum est: residuo Colaturæ indantur Sacchari albi & puri unciæ viginti, modò Violæ sumantur recentes: sin minus quatuordecim, si conserva adjiciatur: quoniam in Conservæ novem unciis, sex sunt Sacchari unciæ, & Violarum tres: quæ redeunt æque unius ac alterius in idem pondus: quæ coqui permittes paullò supra consistentiam Syrupi: in quo, patellâ etiamnum super ignem, infundentur Manna, Conserva, Tamarindi & Cassia: Tum demum cum omnia tepuerint, sensim adjicientur pulveres. Hoc Electuarium recondetur in olla terrea vitrata ad tempus necessitatis.

Cassia cum Saccharo pro Clysteribus. D. N. Præpositi.

℞, *Maluæ*,
Mercurialis,
Betæ,
Parietariæ,
Violariæ & florum ejusdem. singul. M. unum,
Absinthii Pontici majoris seu vulgaris. M. semissem.

Coquantur in aquæ sufficienti quantitate. Colaturâ laventur Cannæ Cassiæ, & cum Sacchari libra una & dimidia, coquantur ad Mellis crassitudinem, deinde dissolve, Medulla Cassiæ diligenter purgatæ, lib. unam, & repone.

Si vice Sacchari Mel despumatum subjiciatur, Cassia cum Melle nuncupabitur.

Paraphrasis.

EX Pulpa Cassiæ, varia quidam faciunt Electuaria, quibus cognomen adjiciunt de Basi, nempe, Manna, Sena, Scammonea, Rhabarbaro, &c. quæ ea constituunt. Nec opus est ea in tabernis servare, cum quovis tempore, illis Medici adjiciant, quæ videntur necessaria: Adde quod Cassia facilè a vespere in mane acescit, eoque magis si diutius sola reponatur.

De mixtura sive componendi ratione.

MIxtura facilis est: nam nihil requiritur, nisi ut herbæ coquantur in quatuor libris aquæ, ad medias, & in colatura laventur Cannæ Cassiæ, & cum Saccharo bulliant in Electuarium molle: dein dum Authepta super ignem est, in ea infundetur libra una pulpæ Cassiæ recens extractæ, & totum asservetur: Quidam

loco

loco Sacchari imponunt Mellis despumati & cocti consimile pondus, nominantque Cassiam cum melle.

Electuarium Lenitivum. Incerti Authoris.

℞. *Sennæ mundatæ,*
Polypodii Quercini &
Passularum mundatarum, singul. uncias duas.
Mercurialis, M. unum & semiss.
Hordei mundati,
Adianti nigri seu Polytrichi, &
Sem. violarum. vel florum recentium, singul. M. unum.
Jujubarum &
Sebesten, utriusq; numero viginti
Prunorum enucleatorum &
Tamarindorum, utriusq; drach. sex.
Glycyrrhizæ, unciæ semissem.

Coquantur ex artis præscripto in aqua sufficienti. In Colatura dissolve,

Pulparum Cassiæ fistulæ,
Tamarindorum &
Prunorum dulcium,
Sacchari optimi, &
Sacchari violati, singul. uncias sex.

Semper movendo spatula, donec refrixerint: Demum in libras singulas Electuarii, adde pulveris Sennæ mundatæ, unciam unam & semissem. Seminis Anisi, drach. duas. Hoc addidi ad flatuum discussionem, quos dulcia procreant, & ad Sennæ castigationem: & usui reponantur.

Paraphrasis.

QUis Author fuerit hujus Electuarii non constat, quod nomen ab effectu suo desumpsit & non de Basi, quæ est Cholagoga & Phlegmagoga. Cholagoga est Cassia, cujus vis Cathartica augetur Tamarindis, Prunis & Violis: Phlegmagoga est Sena, atque illius facultas Polypodio intenditur. Fructus & Hordeum virtutem eorum ad pectus pervehunt: Tamarindi & Pruna ad hepar: Mercurialis & Violæ ad Lienem. Glycyrrhiza, Polytrichum & Anisum ad renes. Quæ etiam deoppilant, phlegma incidunt, discutiunt flatus, & Polypodium Sennamque corrigunt. Saccharum Violatum idemque optimum siccitatem Senæ emendant, leniunt & detergent, Saporem addunt & omnia conservant.

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimum oportet fervefacere Polypodium contusum & Hordeum in aqua, dein Pruna adjicere: Paulo post Passulas, Myxaria sive Sebesten: post Tamarindos, Mercurialem, Glycyrrhizam & Senam: Postremo Polytrichum & Violas: Tum demum cum tepuerint omnia exprimentur. In una parte Colaturæ, Macerabuntur Tamarindi mundati, & trajecti per setaceum, sicut Cassia & Pruna. Altera pars decoquetur in Syrupum cum Saccharo, in quo adhuc super ignem infundentur Tamarindi, Pruna, Cassia & Saccharum Violaceum, quæ nostra est conserva. Postea in totam Compositionem tepefactam injiciantur tres unciæ & sex drachmæ Senæ perpurgatæ, & quinque drachmæ Anisi pulverizati, quæ exacte huic proportioni respondent, facitque unam unciam & dimidiam Senæ & duas Anisi drachmas singulis Electuarii libris. Atque hunc in modum dispensata, imponentur in ollam quandam vitratam, & usui recondentur.

Electuarium Dia Sebesten. D. Barthol. Montagnanæ.

℞. *Pulparum Sebesten,*
Prunorum siccorum &
Tamarindorum (ex aquæ Violarum lib. una extractarum) sing. uncias quinq.
Succorum Ireos &
Anguriæ, i. Melonis magni Indici, utriusque unc. sex.
Mercurialis unc. 4.
Penidiarum, unc. octo.
Coque ad justã crassitudinẽ: Deinde dissolve:

Pulpas

Pulpas cretas, &
Diapruni simp. lib. unam & dimidiam.
Pulver. Sem. violarum (quia potentius purgat flore) *&*
Quatuor Sem. frigidorum majorum mundatorum, sing. unciam unam.
Diacrydii drach. tres & semissem.
Fiat Electuarium usui reponendum.

Paraphrasis.

* *Myxariis.*

HOc Electuarium, nomen habet de * Sebesten, positis in principio: descriptum à *Montagnana, decimo nono capite Antidotarii sui pag.* 408. Basis est Diaprunum simplex; virtus ejus auctior redditur, Prunis, Tamarindis & Sebesten sive Myxariis, quæ non minus purgant, quam pruna (*Ægin. lib. septimo*) eorum tarditas acceleratur Diacrydio. Succi, aqua Violarum & Semina immittuntur ad detergendum phlegma, deoppilandum, & purgandum per meatus urinarios, serositates: ad restringuendum immodicum viscerum calorem. Penidiæ, corrigendæ siccitati Diacrydii, promovendæ aliorum actioni, & juvandæ totius Confectionis conservationi.

De Mistura, sive componendi ratione.

AUthor ipse, nos mixturam docet: qui postquam infudisset myxaria in aqua Violarum, ea bullire curat in eadem, & Succo cum Prunis, Tamarindis & seminibus, ad medietatis consumptionem, & deinde exprimi. In colatura, incoquit Penidias in Electuarium, post dissolvit Diaprunum: & sub finem (authepsa jam tepidâ, Diacrydium pulverizatum & totum usui recondit. Hæc Methodus facilis est & laudabilis.

Altera proba Mixtura.

Alii ad augendam hujus Electuarii facultatem, suadent infundere Sebesten sive Myxaria, in aqua Violarum, & Prunorum (ut expeditius liberetur pulpa ab ossiculis) quantitatem requisitam: post, bullire curant cum succis & aqua: contundunt in mortario marmoreo: trajiciunt per setaceum transversum, & recondunt. Una parte colaturæ, humectant Tamarindos: contundunt, & trajiciunt, sicut Pruna & Myxaria. Alteram partem decoquunt cum penidiis in Electuarium: Dein adjiciunt pulpas ante dictas, Tamarindos, Diaprunum, & semina mundata & pulverizata: Denique Diagrydium in pulverem redactum: & omnia recondunt, Methodus & hæc, percommoda est.

Dia Prunum simp. D. N. Myrepsi.

℞. *Prunorum Damascenorum dulcium ac maturorum numero centum, coquantur in parva quantitate aquæ donec dissolvi videantur: Deinde super cribrum inversum vasi impositum, trajiciantur; cortices, & ossa rejiciantur, & pulpa reponatur. In percolato jure Prunorum coque Violarum recenter siccarum, unc. dimidiam* (*Salernit.* habet sescunciam) *& exprimantur: colaturam coque in Syrupi crassitudinem;*
Sacchari albi lib. duas. Dein dissolve,
Pulpæ Prunorum per se inspissatæ, libram unam.
Tamarindorum &
Medullæ Cassiæ Fistulæ, utriusq; unc. unam.
Pulverum Santalorum albi & Rubri,
Spodii &
Rhabarbari optimi, singul. drach. tres.
(huic *Salern.* subjungit Cinnamomum, quod prætermittendum duxi cum *Myrepso*)
Rosarum Rubrarum
Violarum,
Seminum Portulacæ,
Intybi seu seriolæ &
Oxyacanthæ vulgò Berberis,
Succi Glycyrrhizæ, &
Tragacanthi, singul. drach. duas.
Seminum 4 frigidorum majorum Mundatorum, sing. drach. unam.
Fiat Electuarium usui necessario.

Diaprunum Compositum ejusdem Nicolai.

℞. *Diapruni simp. præscripti, & adhuc Calidi. lib. unam Scammonii præparati unc. dimidiam,* & non drach. 7. cum *Salernitano, ut sit scrup. unus Diacrydii, in unc. singulis Diapruni: quantitas idonea in purgando corpore. Fiat Electuarium usui reponendum.*

Paraphrasis.

Paraphrasis.

DIaprunum appellamus Simplex quod non recipit Diacrydium: compositum in quod ingreditur. Basis est Pulpa Prunorum dulcium, unde nomen habet. Purgans illius virtus augetur Cassiâ, Violis, Tamarindis & Rhabarbaro: Quorum tardior operatio acuitur Diacrydio: hujus autem intentior caliditas remittitur Violis: & siccitas succo Glycyrrhizæ & Tragacantho. Rosæ adduntur, ut ventriculum tueantur adversus nocumentum Prunorum, Cassiæ & Tamarindorum: Santala & Spodium levi astrictione sua firmant hepar. Semina induntur, ad reserandos meatus obstructos, & pervehendam bilem per urinæ ductum: Saccharum ut conserventur, & eorum actio melius proceda t.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimum, fervefiant Pruna Damascena, recentia matura & dulcia in mediocri aquæ quantitate, ad tertiæ quasi partis consumptionem. In colatura, bulliat semuncia seminis Violarum, quod purgantius est floribus: & tum facile parentur, cùm flores in siccando malè habiti & tractati sæpe nativum colorem suum & virtutem perdiderunt. Nisi fortè sumatur sescuncia conservæ Violarum, puræ (in qua fuerit semuncia Violarum mundatorum & sacchari uncia una, quæ de duabus libris quæ ingrediuntur subtrahitur) quæ, in colaturam injicietur, & cum jam ad coctionem fere processerit exprimetur: Quo facto, saccharum, cum colatura Violarum decoqui curabis ad consistentiam syrupi, vel paulum supra. Pruna trajicienda sunt super cribrum inversum (subter quod sita sit profundior patina) vel cochleari, vel manu ipsa: ita ut nihil reliqui sit præter ossa & pellis, abjicienda. Pulpa jam trajecta, seorsim, in ipsa eadem patina seu vasculo suppositò siccabitur ab omni superfluo humore, qui corruptionem creare possit syrupi, cum Cassia & Tamarindis humectis (cum una parte aquæ prunorum) & super cribrum trajectis, ut sæpius monstratum est: Denique pulvis (authepsa desuper ab igne sublata & tepefacta) qui in hunc modum fiet: Primum Santala contundenda sunt: post adjicienda Rhabarbarum, succus Glycyrrhizæ, Gummi Tragacanthi & omnia semina: quatuor frigida mundata, in parva quantitate depriment exhalationem aliorum: & ne adhæreant mortario ratione succi Glycyrrhizæ, Sub finem adjiciantur Rosæ & Violæ.

Seorsim in pulverem redigi oportet Spodium & Diacrydium (quæ per se ab aliis ponenda sunt ob Diaprunum compositum) *Myrepsus, in* 1. *Antidot. cap.* 88. non meminit dosim Diagrydii. *Salernitanus* imponit septem drachmas, singulis libris Diapruni, quantitatem admodum magnam. Suffecerit semuncia, quod accedit ad proportionem unius scrupuli Diacrydii, ad singulas uncias Electuarii; quæ sanè quantitas sufficit ad tutò purgandum absque nocumento. Sustuli Canellam, quia *Myrepsus* illius non meminit, sed *Salernitanus*, & quod nimis calida sit, ratione febrium ardentium.

Electuarium de Psyllio. D. M.

℞. *Succorum Buglossi,*
Borraginis,
Intybi, i. *Endiviæ Sativæ, &*
Apii depuratorum, ana lib. 2.
Fumariæ depurat. uncias tres
In hiis infunde horis 24.
Seminum Cassuthæ, i. *Cuscutæ, &*
Anisi,
Foliculorum Sennæ mundatorum,
Asari, sing. unciæ semissem, hujus mendosè legitur unc. 4. pro drach. 4. cum *Myrepso,* qui posterior fuit, *Mesue, cap.* 224. *lib.* 1. *Antidotorum.*
Adianti albi, seu Capilli veneris M. unum.
Spicæ Nardi, drach. 2. *semel fervefiant.*
Præterea adde, Violarum viridium, vel siccarum, unc. tres.
Epithymi uncias duas, semel quoque fervefiat.
Cola, & exprime: Colato macera horis viginti quatuor.
Seminis Psyllii integri, unc. tres, quavis hora agitando.

Post,

Post, exprime totam mucilaginem. In cujus libris quatuor, coque igni lento ad syrupi crassitiem. Sacchari lib. tres cum *Myrepso*, potius quam libras duas & semissem cum *Mesue*. *Tunc injice pulverem sequentem.*

Diagrydii uncias tres cum *Myrepso*, & non unc. tres, semis. cum *Mesue*.
Trochiscorum de Spodio,
De Diarhod. &
De Rhabarbaro, sing. unciam I.
De Berberis, unc. dimidiam.

Technicè paretur Electuarium.

Paraphrasis.

TExtus *Nicolai Myrepsi Alexandrini*, qui verbatim transcripsit hoc Electuarium de *Mesue*, demonstrat Exemplaria nostra hoc in loco depravata esse: Nam *Mesue* requirit Asari quatuor uncias, pro quatuor drachmis. Qui error facilis est Typographo ponenti unc. pro drach. & sacchari libras duas & semissem pro tribus: & tres uncias & dimidiam Diacrydii pro tribus unciis tantum, quod huc redit, ad duos scrupulos Scammonii, cuique sacchari unciæ: quantitatem, scilicet, plusquam sufficientem. Communis enim dosis est duodecim granorum: sicut idem ipse docet, *cap. de Scammonio*. Quod verò ad Asarum, non videtur quod quatuor unciæ possint locum habere, quando minus gratum est gustui, plenúmque amaritie intollerabili: cum sit etiam calidum & siccum in tertio gradu: minúsque bili conveniat naturâ suâ præcalidæ (causæ Febris continuæ) Ictero, & inflammationi hepatis, quibus malè id ille adaptavit. Hoc Electuarium induit nomen Psylii, quod illud magna in quantitate ingreditur, & non Basis suæ, Scammonii: Cujus calor & acrimonia modum non excedit ratione Psyllii, quod lentore suo, seu visciditate illud reddit lubricum: Siccitas autem Basis emendatur succo Bugloss & Boraginis. Succus verò Intybi injicitur ad virtutem ejus perducendam ad hepar, fontem febrium continuarum & bilis, quod refrigerat. Trochisci porrò Rhabarbari, & Nardus Indica per astrictionem suam illud corroborant: sicut illi Diarrhodon ventriculum. Spodii, cor, adversus Basis noxam. Sena & Epithymum ope seminum Anisi & cuscutæ induntur ad purgandam melancholiam terrestrem (quæ efficit inflammationem lienis & Icterum nigrum) per sedem. Succi Apii & Fumariæ, Capilli veneris & * Tussilago imponuntur tam ad reserandum meatus, quam ad derivandum per urinæ meatum utramque bilem & serosos humores. Trochisci Berberis ad firmandos renes per quos humores ejusmodi transeunt. Saccharum saporem conciliat, & totum conservat, ad tempus necessarium.

* *Asarum potius, Cabaret Gallica.*

De Mixtura, sive componendi ratione.

PRimum in succis super ignem vel in sole purificatis, infundunt Asarum, & semina contusa, Capillos veneris concisos, & Senam perpurgatam cum Nardo Indica incisa, viginti quatuor horis super calidos cineres cum Violis & Epithymo. Postridie semel aut bis ad summum bulliant, & dein exprimantur. In una parte colaturæ, per viginti quatuor horas, curandum est, ut Psyllium integrum, & non contusum infundatur super cineres item calidos, vel alio quodam in loco, sive sit in Aprico sub sole ardente, seu in Stupha vel Hypocausto. Crastino die exprimantur, & mucilago seorsim servetur ut syrupo adjiciatur, quod cum residuo colaturæ & saccharo requisito factum est. Post, adjicientur Trochisci in pulverem versi, seorsim: ut totum usui recondatur.

Electuarium Rosatum D. M.

℞. *Succi Rosarum rubrarum perfectarum, libr.* 4.
Sacchari albi, lib. unam & dimidiam.
Mannæ recentis, uncias sex.
Scammonii Antiocheni, *unciam unam, & semissem.*

Coque flamma lenta ad Mellis crassitudinem. Tunc adde pulverem sequentem.

Trochiscorum

Trochiscorum de spodio unc. unam.
Oxyacanthæ seu Berberis unc. dimidiam,
Galliæ Moschatæ &
Croci, utriusque drach. duas.
Fiat Electarium.

Paraphrasis.

HOc Electuarium nomen sumpsit a Basi sua, Succo Rosarum rubrarum posito in principio. Cujus purgans virtus acceleratur Scammonio: hujus autem acrimonia ebullitione corrigitur: & per Mannam redditur lubricum. Noxia quam infert Cordi, corrigitur Trochiscis Galliæ Moschatæ: aliis autem visceribus, Trochiscis de Spodio, Berberi, & Croco.

De Mixtura sive Componendi ratione.

SUccus Rosarum depuratus coquendus primum est cum Saccharo, paulum supra consistentiam Syrupi: dein adjungetur Diacrydium (vice Scammonii) pulverizatum. Trochisci & Crocus per se singuli pulverizandi sunt, & in vas mittendi citra ignem, & cum semirefrixerit: ut totum conservetur in Electuarium perquam molle: propterea quod de eo malaxantur & subiguntur pilulæ aggregatiuæ, ut infra dicemus.

Electuarium de Succo Rosarum. D. N. Salernitæ.

℞. *Succi Rosarum Rub. depurati, & Sacchari albi, utriusque lib. unam, & uncias quatuor.*
Diacrydii, unciam unam, & semissem.
Trium Santalorum singul. drach. sex.
Spodii, drach. tres.
Caphuræ scrupulum unum.
Fiat Electuarium.

Paraphrasis.

Salernitanus condidit hoc Electuariam juxta Rosatum purgans descriptum à *Nicolao Myrepso. Primo Antidotorum, cap.* 154. Et è quo detraxit Rhabarbarum, & Turbith; vel secundum præcedens, substituendo Santala, Spodium & Caphuram, pro Manna, Trochiscis & Croco. Basis est Succus Rosarum, cujus vis purgatrix, augetur Diacrydio. Santala imponuntur ut defendatur cor ab injuria Diacrydii; sicut Spodium, ventriculum ut tueatur. Caphura in parva quantitate injicitur ut per tenuitatem suam partium, penetrare alia faciat, usque ad partes remotiores a Centro. Quidam ob ingratum Saporem suum suadent, ejus loco imponere Gummi Tragacanthi vel Mastichen, tam ventriculi causâ, quam ad lubricum reddendum Diacrydium, & obstandum ne viscera ulceret. Pharmacopœus hoc consilium sequi poterit, si sumat Scammonium loco Diacrydii: sin minus non opus est aliud quidquam adjungere. Saccharum Saporem reddit jucundum, facit ut Operatio melius procedat, & totum conservat. Nunc dierum reducitur hoc Electuarium in formam solidam.

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimum Santala pulverizare oportet in mortario æneo eaque in modico aquæ Rosarum irrorare, ne tenuior pars exhalet: ac deniq; per cribrum valde subtile transmittere. Seorsim in pulverem redigenda sunt Diacrydium, Spodium, & Gummi Tragacanthi vel Mastiche, Caphuræ causâ: Quo facto, coquendum est non lento igne, Saccharum purum (& non illud in pulvere è *Brasilia*, ratione visciditatis sicci) cum succo Rosarum rubrarum, in sole depurato. Nam quod diutius super ignem manserit eo plus redditur viscosum: ita ut in formam solidam non reduci possit. Deinde ab igne sublato, cum paulum refrixerit, adjicientur Santala, Spodium & Mastiche, vel Gummi Tragacanthi: Postremo Diacrydium: ut è tota massa fin-

gantur tabellæ (pastâ explicatâ & extensâ super folium chartæ candidæ perfricata & oblita amygdala decorticatâ, quod multo melius est, quam pulverem ultrò citroque aspergere, ut quidam faciunt) pondere plus minus semunciæ usui recondendæ.

Diaphœnicon. D. M.

℞. *Dactylorum Cheyron. i. fulvorum seu immaturorum, triduò in aceto maceratorum, drach. centum, seu unciæ* 12 *& semissem.*
Penidiorum hordeatorum drach. quinquaginta.
Turbith optimi, drach. triginta quinq.
Amygdal. dulcium purgatarum a cortice, drach. triginta.
Scammonii drach. 12.
Zinziberis
Piperis longi.
Foliorum Rutæ siccorum,
Cinnamomi seu Canellæ selectæ,
Macis,
Ligni Aloes,
Seminum Anisi
Fœniculi
Dauci Cretici
Galangæ tenuioris, sing. drach. duas & dimidiam.

Probè omnia trita, Melle despumato excipiantur in Electuarium.

Scholia.

IN hoc Electuario, pulveris sunt unciæ novem. Dactyli, Penidiæ & Amygdalæ constituunt uncias viginti duas & semissem: Quæ juncta unciis tribus decim, & semissi Mellis despumati & cocti; efficiunt uncias triginta sex, seu libras tres quæ est quantitas hic expetita, ut sint unciæ tres pulveris in libras singulas, tum Dactyl. Penid. Amygdal. cum Mellis.

Paraphrasis.

ELectuarium hoc denominatum est a Dactylis non prorsus maturis, iisque positis in principio & majori in quantitate quam aliud quidquam, tam ut corrigant acrimoniam, calorem & siccitatem Scammonii, quam ut cohibeant effrenatam illius operationem, & astrictione sua fortificent viscera, quæ illud lædere solet. Basis ejus est Turbith, de quo non potuit nominari, quoniam in alia descriptione, in libro simplicium accepit appellationem suam, quod nunc dierum in usu est. Pigritia cujus in operando excitatur promptitudine Scammonii: noxa corrigitur Zinzibere: quod cum Pipere longo, Canella, Maci, Ligno Aloes & Galanga incidit & attenuat pituitam Spissam, quam Basis purgat: cum quibus multum cooperatur acetum. Folia Rutæ sicca & Semina, imponuntur ad dissipandum flatus, quia pituita procreantur. Amygdalæ dulces, Penidiæ & Mel despumatum, ad detergendam materiam crassam & viscidam, ad conservationem totius, & impediendum ne Basis macros reddat *Mesue.*

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimum purgandi sunt Dactyli extrinsecus ab omni sorditie: intrinsecus ab ossibus & pelliculis: dein concidendi & infundendi cum pauco Aceto per triduum, (si duriusculi sint & aridi) vel horis viginti quatuor, (molles si sint & recentes) in vase vitreo, probè obturato: Alii consulunt in vino albo eos infundere: alii in Hydromelite, quandoquidem Acetum vasis adversatur spermaticis: quod verum quidem est, si solum sit & in majori quantitate: sin paucum & correctivis probe junctum ut hîc, minimè contrà sine eo, Electuarium hoc minus valeret, tam refrænandæ bili, quam incidendo phlegmat spissum, fontem colicarum, & febrium chronicarum: Post, tundendi sunt pistillo ligneo, in mortario marmoreo, & super cribrum inversum, cochleari argenteo, patellâ profundâ subjectâ extrahatur pulpa. Pulvis itidem hunc in modum fit.

Primum

Primum conterere oportet in æneo mortario lignum Aloes, Turbith, Galangam, Zinziber cum aliquot Amygdalis mundatis, ut cohibeatur exhalatio: Hiis autem media ex parte contritis, adjicere Canellam, Piper, Semina, Macim, & Rutam: Quæ reſtant Amygdalæ ſuis pelliculis mundatæ, minutim concidendæ ſunt ſuper chartæ candidæ folium, idque cultro ſutorio, & denuò in ſubſtantiam reducendæ quam fieri poteſt ſubtiliſſimam. Scammonium itidem ſeorſim in pulverem vertendum eſt, & per ſe ponendum: Reliqui pulveres miſcendi cum Amygdalis, & Penidiis. Quod cum factum eſt: Accipiendæ ſunt mellis deſpumati & cocti treſdecim unciæ & dimidium: quæ conjunctæ doſi Dactylorum, Penidiarum & Amygdalarum faciunt triginta ſex; tres, videlicet libras medicas: quæ redeunt ad tres uncias pulveris, ſingulis libris; quantitatem ad purgandum clementer idoneam. In melle adhuc calente & vaſe nondum ab igne ſublato Dactyli macerandi ſunt: jam verò ſublato, & cum omnia tepuerint, adjicientur paullatim & ſenſim pulveres: Denique Scammonium, ut tota compoſitio ſuo in vaſe uſui recondatur.

Electuarium Indum majus. D. M.

℞. *Turbith optimi drach. quinquaginta,*
Sacchari Chryſtallini, &
Penidiarum utriuſq., drach. viginti, & non uncias viginti,
Diacrydii drach. duodecim: Scammonium anteponerem, quia ejus noxa ſucco Cydoniorum emendatur.
Cinnamomi, ſeu Canellæ ſelectæ,
Caryophyllorum,
Nardi Indicæ,
Roſarum rubrarum
Caſſiæ lignæ Aromat. non purgatricis,
Macis,
Ciperi, ſingul. drach. quatuor,
Santali Citrini, drach. duas & ſemiſſem.
Ligni Aloes, &
Nucis Moſchatæ, utriuſq. drachmas duas.
Galangæ tenuioris, ex *China* ad nos allatæ,
Heyl, id eſt, Cardamomi majoris ex Scrapione,
Cardamomi minoris,
Aſari, &
Maſtiches, ſingul. drach. unam & dimidiam.

Ex arte fiat pulvis, Oleo Amygdal. dulc. confricandus & ſequenti ſyrupo excipiendus.

℞ *Succorum Cydoniorum,*
Granatorum,
Apii, &
Fœniculi depuratorum, ſing. lib.
ſemiſſem.
Mellis optimi deſpumati & cocti, triplum, hoc eſt, unc. 36. ſeu lib. tres.

Quoniam pulvis eſt, unc. tredecim: Vnica verò lib. quæ ſuperat, ſaccharo Chryſtallino, & Penidiis penſatur, quæ in genere Pul. cenſendæ haud veniunt.

Paraphraſis.

HUic Electuario nomen eſt *Indum*, quia inventum fuit, & in uſum venit primum à Medicis *Indiarum Orientalium:* cognomen autem additum ad differentiam ſequentis, minoris quidem numero medicamentorum, non autem virtute. Baſim conſtituit Turbith, cujus in operando tarditas acceleratur Diagrydio (quod nihil aliud eſt, quam Scammonium præparatum in Cydonio) cujus vice ſuaderem ſumere Scammonium. Hujus noxa, corrigitur ſucco Cydoniorum: ſiccitas & aſpritudo, Penidiis & ſaccharo condito, ſive Chryſtallino. Nocumentum Turpethi duplex eſt, nimirum ſtomacho inimicum, & quod inde macreſcit corpus. Priùs corrigitur Maſtiche, Maci, & Nuce Myriſticâ: alterum Oleo Amygdal. dulcium. Alia medicamenta Aromatica ingeruntur, ut odore ſuo grato fortificent ventriculum, cor, & alia viſcera: ut incidant, & attenuent phlegma; & perducant facultatem Baſis ad cerebrum, pectus & articulos; *in quibus talis humor ſæpè* nus eſt. Eorum autem calor temperatur ſucco Granatorum, & Roſis, quæ ventriculum firmant: uti Nardus Indica & Santalum hepar: lignum Aloes, cor; Galanga, Cyperus & Cardamomum, lienem, renes & matricem. Aſarum, ſucci Apii & Fœniculi

adduntur ad referendum meatus, & per viam urinæ & menstruorum, tenuiorem portionem perducendum: Mel, Penidia, & saccharum canditum sive crystallinum ad emendandam aspredinem & siccitatem pulverum, ad detergendum phlegma, saporem conciliandum, promovendam eorum operationem, & ad totum usui conservandum.

De Mixtura, sive componendi ratione.

CUriosè conterenda sunt lignum Aloes & Santala, adhibitis aliquot guttis aquæ Rosarum. Tum adjicienda sunt Turbith, Cyperus, Galanga, Nardus Indica concisa, Canella, Cassia Aromatica, Asarum & Caryophylli: cum omnia media ex parte sunt pulverizata, & per incerniculum transmissa, injicietur Cardamomum & majus & minus, Macis & Nux Moschata. Tandem Rosæ mundatæ: Seorsim redigere in pulverem oportet, Mastichen & Scammonium (sive Diagrydium) saccharum * canditum & Penidias, post omnia commiscere. Dein sumendi sunt succi in sole depurati, sive super ignem, quos ferveheri oportet, cum tribus libris mellis albi per se despumati & decocti in formam Electuarii mollis. Denique cum totum semirefrixerit, seu tepuerit, injicientur paulatim pulveres, ut omnia cum refrixerint, sua in olla recondantur.

* *Sive Chrystallinum.*

Electuarium Indum minus. D. M.

℞. *Turbith optimi, &*
Saccharum utriusq; drach. centum.
Scämonii Antiocheni, *drach. duodecim.*
Macis,
Piperis,
Zinziberis,
Caryophyllorum,
Cinnamomi, seu Canellæ selectæ, &
Heyl, id est. Cardamomi maioris, &
Nucis Moschatæ, singul. drach. septem.

Fiat pulvis: Cum mellis optimi despumati & cocti triplo, seu libris quatuor: Fiat Electuarium, usui reponendum.

Paraphrasis.

HOc Electuarium virtute nequaquam cedit præcedenti: cui sicut & illi nomen inditum est à Basi Turpetho. Virtus autem ejus segnior incitatur acutie Scammonii. Aromatica medicamenta imponuntur tam ad cordis tutelam & viscerum, quam ad incisionem & attenuationem phlegmatis, & flatuum discussionem. Saccharum & Mel immittuntur ad detergendum, & intendendam eorum actionem, ad totius conservationem, & adeorum asperitatis & siccitatis correctionem.

De Mistura, sive Componendi ratione.

SAccharum & Scammonium seorsim, cætera omnia simul in pulverem redigenda sunt. Dein sumendæ sunt quatuor libræ mellis albi despumati & cocti & adhuc calidi, in quo paulatim dissolventur pulveres, Saccharum & Scammonium cum authepsa & mel tepefiunt: Dein omnia recondantur in usum. Hic autem reperias 161. drachmas pulveris (præter saccharum) quæ efficiunt uncias viginti. Triplum est 60. unciæ mellis & sacchari, quæ faciunt quinque libras, quas accipere oportet, & hac ratione non erunt nisi quatuor libræ mellis, & una sacchari illic memoratæ. Semuncia sacchari quæ restat, supplet drachmam pulveris quæ supererat.

Electuarium Diacarthami. D. Arnaldi Villanovani.

℞. *Zinziberis, &*
Mannæ Granulosæ utriusq; drach. duas,
Diagrydii, drach. tres,
Medullæ Seminis Carthami,
Pulveris specierum Diatragacanthi frigidi, &
Hermodactylorum,

Hermodactylorum, singul. unciam dimidiam.
Turbith electi, drach. sex.
Mellis Rosati colati,
Carnis Cydoniorum &
Sacchari Crystallini, singul. unc. unam.
Sacchari albi aqua soluti & cocti, triplum. hoc est unc. novem.

Fiat Electuarium in Tabellas, pondo unciæ semissis.

Paraphrasis.

ELectuarii hujus Author est *Arnaldus de villa Nova*, Eximius sui temporis Medicus, qui floruit *Erasmi, & Petri Aponensis Consiliatoris* dicti ætate. *Anno Salutis* 1520. descripti in *Tractatu* 2. *Sem.* 2. *Distinct.* 7. *cap.* 17. de *Cura Febris Hemitritæ*. Quod non habet nomen de Basi sua Turbith: quia quatuor aliæ descriptiones inde sumpserunt denominationes suas: sed de Medulla Carthami, quam Græci Κνίκῳ sive Κνῆκον vocitant. Debilis Turpethi & Carthami facultas, intensior fit Zinzibire, incidendo & attenuando phlegma crassum & viscosum, vis ejus segnior acceleratur Diacrydio (si hoc Electuarium fit cum Scammonio, purgantius esset.) Virtus ejus perducitur ad juncturas, per Hermodactylos: quorum noxa emendatur Cydoniato, quod astrictione sua robur ventriculo aliisque visceribus addit: impeditque quo minus Scammonium sive Diagrydium subito deferatur in habitum totius corporis: Pulvis Diatragacanthi injicitur ad moderandum calorem & siccitatem Purgantium. Mel Rosatum, Manna & Saccharum adduntur detergendi phlegmatis causa, promovendæ operationis, formæ addendæ & totius usui conservandi.

De Mixtura sive Componendi ratione.

ACcuratè Carthamum suo cortice mundare oportet, qui contusus cum Turbith, Zinzibere & Hermodactylis reprimet eorum evaporationem. Per se Scammonium est pulverizandum (sive Diagrydium) & Saccharum canditum sive Crystallinum: Quibus adjiciendus est pulvis Diatragacanthi recens præparatus, idque ob semina frigida quæ mox rancescunt. Dein contundi debet in mortario marmoreo (cum pistillo ligneo) Cydoniatum, cui postea adjicietur Mel Rosarum & Manna mundificata, eaque trajicienda sunt super incerniculum, Spatulâ. Hoc facto, novem unciæ Sacchari optimi ad summum coquendæ cum aqua, in formam convenientem, in quo adhuc calente, dissolventur Cydoniatum, Mel Rosatum & Manna commista. Post, pulvis adjicietur Electuarium cum tepuerit, formentur in Tabellas, semiunciales plus minus singulas usui reponendas.

Electuarium de Citro solutivum. D. B. Bauderoni.

℞. *Zinziberis albi &*
Seminis Anisi. utriusq; drach. unam.
Pulveris Diatragacanthi recentis
Corticis Citrii Saccharo conditæ.
Conservæ florum violarum, &
Borraginis vel radicis, Buglossi conditæ.
Diacrydii, singul. unciam dimidiam.
Turbith electi, drach. quinq;.
Sennæ mundatæ, drach. 6.
Sacchari albi aqua Buglossi vel Borraginis soluti & cocti, unc. decem.

Fiat Electuarium, in Tabellis pondo unciæ semis, quod usui reponatur.

Paraphrasis.

AUthor hujus Electuarii est *M. B. Bauderonus* pater meus, & ideò novi quod in usum primum venit Medicis *Monspelienſibus*: sicut colligere est, è scriptis *Nicolai Præpositi & Guidonis de Cauliaco. Tractatu septimo. Doct.* 1. *cap.* 2. *Chirurgiæ suæ*, non tamen hoc in ordine, nec cum tali proportione suarum dosium. Ille id cu-

tavit

ravit præparandum *Maſcone*, ubi medicinam fecit, quadraginta annis retroactis ita ut hic deſcriptum eſt, quo ipſe ſæpius uſus eſt, egoque imitando eum quotidie utor fœliciter. Nomen ipſe dedit illi a Cortice Citrii quæ illud ingreditur, tanquam præcipuum correctivum adverſus noxam diagrydii, Turbith & Senæ. Baſim conſtituunt hæc tria Cathartica, quæ mutuas ſibi invicem tradunt operas. Videlicet Diagrydium accelerat pigritiam Turbith & Senæ. Ex adverſo, horum ignavia reprimit celeritatem illius. Zinziber & Aniſum induntur tam ad incidendum & attenuandum phlegma & diſcutiendum flatus, quam ad acuendum virtutem debilem Turpethi & Senæ. Conſerva Violarum imponitur ad moderandum eorum calorem. Illa vero Borraginis vel Bugloſſi ad munimentum Cordis contra nocumentum Diagrydii. Cortex Citrii pro ventriculo adverſus noxam a Turbith, Sena & Diagrydio. Pulvis Diatragacanthi pulmonum gratiâ: & cum Saccharo, ad detergendum leniendum, formam tribuendam, & ſpecies conſervandas. Uno ut verbo dicam, Catholicum eſt familiare, & quod tres humores ſubducit innocuè.

De mixtura ſive componendi ratione.

IN æneo Mortario terere oportet Turbith, Zinziber, Aniſum & Senam. Seorſim Diagrydium. Quæ commiſcenda ſunt cum pulvere Diatragacanthi recens facto. In mortario marmoreo contundere oportet corticem Citrii. Dein adjiciendæ Conſervæ. Poſt, ſumere convenit decem uncias Sacchari optimi in aqua Bugloſſi vel Borraginis ſoluti, quod in formam Convenientem coquendum eſt, ut diſſolvantur Conſervæ, dum Authepſa ſuper ignem perſtat. Cum omnia tepeſcere incipient, injicietur paulatim pulvis: Poſtremo Diagrydium & Diatragacanthum. Ex hac paſta adhuc calente fingantur Tabellæ ſemiunciales, ut diximus in Electuario Roſato *Nicolai*. Illi ſunt hoc in loco redarguendi, qui reſervant unam portionem pulveris ut Chartæ imponatur, & ſuper eum paſta, ne adhæreat piſtillo, & ut facilius extendatur: modo tam charta quam piſtillus fricentur Amygdala quapiam pellicula mundata, & Electuarium ſatis coctum fuerit & non nimium, facilè extendetur & non adhærebit vel *piſtillo* vel papyro: nam ſic faciendo virtutem diminuunt Electuarii; quod pulvis non per totam ſui ſubſtantiam mixtus ſit, & fermentatus, ut convenit.

Benedicta Laxativa. D. N. Salernit.

℞. *Turbith optimi,*
Corticis Radicis Eſulæ aceto præparatæ &
Sacchari ſingul. drach. x.
Diagridii ſeu Scammonii præparati.
Hermodactylorum &
Roſarum Rubrarum. ſingul. drach. quinque.
Caryophyllorum,
Spicæ Nardi,
Zinziberis,
Croci,
Seminum Saxifragiæ,
Amomi aut ſuccedanei ejus, Acori veri.
Selini i. *Apii, ſeu Eleoſelini* Græcorum.
Petroſelini ſativi.
Carvi Cretici,
Fœniculi,
Aſparagi,
Ruſci vulgò Bruſci,
Milii ſolis ſeu Lithoſpermi Græcorum.
Macropiperis i. *Piperis longi.*
Cardamomi majoris.
Salis Gemmei.
Galangæ tenuioris, ex *China Luſitanorum* navigatione allatæ, &
Macis, ſingul. drach. unam.
Mellis deſpumati omniũ triplex pondus,

Fiat Electuarium molle, uſui reponendum.

Paraphraſis.

BEnedicta ſic nominata eſt, quod benignè & ſine violentia phlegma dejicit, quacunque in parte ſit, præcipuè verò in articulis. Baſis eſt Turbith, cujus vis exilis

intenditur

intenditur Sale Gemmeo, & auctior fit Esulâ, tarditas acceleratur Diagrydio, & perfertur ad articulos per Hermodactylos. Medicamenta Aromatica & Crocus imponuntur, tam ad incidendum phlegma crassum & lentum, quam ad tutelam cordis, ventriculi, & aliorum viscerum, contra purgantium nocumentum: quorum etiam calor temperatur Rosis. Semina diuretica immittuntur, tam ad discussionem flatuum, quam ad reserandum, & pervehendum per ductus urinæ & mensium, partem pituitæ jam attenuatæ per Aromatica. Saccharum & Mel imponuntur detergendi causâ, & corrigendi asperitatem & siccitatem totius compositionis, & ad species in suo vigore conservandas.

De mixtura, sive componendi ratione.

PRimo infundendus est Esulæ Cortex in forti aceto, per viginti quatuor horas, dein siccandus, & cum Turbith, Nardo Indicâ concisâ, Zinzibere, Galanga & Hermodactylis pulverizandus. His media ex parte pulverizatis, adjicies Semina & Acorum verum (pro Amomo) Caryophyllos, Piper & Cardamomum: Denique, Macim & Rosas rubras. Seorsim pulverizare oportet Salem Gemmeum, Crocum, Diacrydium & saccharum. Deinde omnia diligenter miscenda sunt in mortario. Quo facto accipies, Mellis albi despumati & cocti, triplum pulveris, quæ redeunt ad quinquaginta tres drachmas (non comprehendendo saccharum) ac sex uncias efficiunt, & 5. drachmas. Triplum est octodecim uncias, & quinq; drachmæ mellis, & decem drachmæ quas continet, faciúntque novemdecim uncias, & septem drachmas, quod est triplum pulveris: in quo adhuc calente, & non omni ex parte frigido, humectabitur paulatim pulvis, ita ut in se non habeat ullos grumos: ut omnia simul recondas in vase suo fictili vitrato, & probè obturato, donec utendi occasio postulet.

Caryocostinum.

℞. *Caryophyllorum,*
Costi candidi (vel hujus penuriâ radicis Inulæ Campanæ,)
Zinziberis, &
Cymini, singul. drach. unam.
Hermodactylorum à Cortice mundatorum, &
Diagrydii utriusq; drach. duas.

Mellis optimi ex vino albo despumati & cocti triplum, seu uncias tres: Fiat Electuarium. Arthriticis affectibus à bile salutare.

Paraphrasis.

ELectuario huic nomen est à Caryophyllis & Costo, positis in principio tanquam duobus præcipuis agentibus, cum ad munienda viscera contra nocumentum Basis, Hermodactylorum, tum ad perducendas serositates biliosas, per ductus urinæ, menstruorum & sedis. *Author Avicenna cap. de Costo.* Infirma vis & ignava Basis, intenditur & acceleratur, Diagrydio: è contra, celeritas hujus retardatur pigritia Hermodactylorum. Eorum vis ad articulos ducitur per Costum: ad cerebrum per Caryophyllos: & hæc duo simul cum Zinzibere, incidunt & attenuant materias crassas & glutinosas. Cuminum additur, ad flatus dissipandum. Mel ad detergendum tales materias sic dispositas & præparatas, ad saporem etiam, & ad virtutem eorum diù conservandam.

De mixtura sive componendi ratione.

RAdices, Caryophyllos & Cuminum oportet primum subtiliter pulverizari: quia Electuarium hoc destinatur articulis. Diacrydium, sive Scammonium in pulverem seorsim redigendum. Mel, sive *Hispanicum* sit, sive *Creticum*, sive *Provinciale*, despumandum cum vino albo bono, & non cum aqua, (quandoquidem) imponitur ad roborandas juncturas) dein coquendum in syrupi consistentiam, & ad triplum

pulveris

pulveris ponderandum, dein rudicula temperari debet, cum jam authepsa sublata ab igne fuerit; tandem Scammonium. Cum jam refrixerint omnia, tota compositio, sua in olla probè obturata, usui recondenda est. Medici *Lugdunenses* hac utuntur, magis quam ulla quod sciam alia, tam ad præcautionem quam ad curationem arthritidum bilioſarum.

Brevis de Costo Dissertatio.

NOmen hoc mutuò ab *Arabum* Familia acceptum est, qui eam sua lingua *Cost*, sive *Gast* appellant; non quia in eorum regione crescat, sed in *Guzarate* & *Malaca*. Inde transportatur in regnum *Chinæ*, ac inde *Ormusium*, sive *Taprobanem*, primarium *Indorum Orientalium* portum: quò appellant ab omnibus undique locis, *Turcæ*, *Arabes* & *Persæ* ad mercandum Aromata aliásque species in lucrum & commodum suum, quæ transportant in *Asiam* minorem, *Aleppo*, *Tripolim*, *Alexandriam*: hinc *Venetias*, *Marsiliam*, *Lugdunum*, & in alias *Europæ* partes: Quod nomen etiamnum *Græci* retinuerunt, & nos cum *Latinis*. Antiquiores *Græci*, nempe, *Dioscorides*, & *Galenus*: Et *Arabes*, *Avicenna* & *Serapion* & ex Latinis *Plinius*, minimè cum Neotericis & Modernis, *Garcia*, & quibusdam aliis consentiunt: quoniam illi tres species constituunt, unam *Arabicam*, alteram *Indicam*, & tertiam *Syriacam*: Hii verò, de quorum numero præcipuè *Garcia*, unam duntaxat, sc. *Indicam*: quæ recens, non adeò amara est, nec acris, ac sicca & vetus. Quod poterat decipere *Arabes*, qui dicunt duo fuisse ejus genera: hoc dulce, illud amarum, candidum, leve, & valde odoratum. Quod Aromatarii *Lugdunenses* vendunt est *Zerumbet* potius *Arabum*, secunda sc. species *Zedoariæ*, quam Costus vel *Arabica*, vel *Indica*, vel etiam *Syriacæ*, quia non habeat omnes notas quas *Græci* & *Arabes* illi attribuunt. Potiùs igitur quam accipere rem quampiam incertam & incognitam expectando dum opportetur vera ex *Indiis*, suaderem ego Pharmacopœis ut sumant æquale pondus radicis Inulæ Campanæ, frequentis in nostra Europa, & omnibus cognitæ, cum habeat eandem quam Costus virtutem.

Diasenna. D. N. Salernitæ.

℞. *Sacchari Chrystallini, unc. sex.*
Avellanarum tostarum numero quinquaginta.
Sennæ mundatæ, unc. tres.
Cinnamomi unciam unam.
Lapidis Lazuli loti, & non usti, drach. tres,
Serici tantulum torrefacti & minutim inciſi.
Caryophyllorum,
Galangæ tenuioris ex *China* ad nos allatæ,
Piperis nigri,
Spicæ Nardi,
Seminis Ocymi, i. *Basiliconis.*
Fol. Caryophyll. seu Malabathri Græcorum (ab odore & sapore Caryophyl. sic nominatorum)
Cardamomi,
Croci,
Zinziberis,
Zedoariæ,
Florum Roriſmarini, &
Macropiperis, ſing. drach. duas.
Lapidis Armeni Loti (vel Cyanei, quia ambo sunt ejusdem facultatis) *drach. unam.*

Mellis despumati triplum, hoc est libras duas, & semis. Fiat Electuarium.

Paraphrasis.

MYrepsus in *primo Antidotorum, cap.* 465. describit Electuarium consimili nomine pretiosius & operatius, quod in usu non est. Basis est Sena, unde sumpsit nomen; virtus ejus purgatrix cum debilis sit, augetur lapidibus Lazuli & Armeno: vis Melanagoga horum trium, conducitur ad cerebrum per Ocymum & Rorem-marinum, ad pulmones per saccharum. Sericum & Crocus imponuntur ad tutelam cordis, contra illorum nocumentum. Nardus Indica & Folium Indum

quod

quod ob odorem & Saporem Caryophyllorum, ab Authore appellatur folium Caryophyllorum,(utcunque plantæ sint differentes) hepatis gratiâ. Cætera medicamenta Aromatica,injiciuntur tam ventriculi & aliorum viscerum causâ, quam ad incidendum & attenuandum alios humores frigidos & terrestres flatusque discutiendos, quibus abundant Melancholici. Avellanæ injiciuntur magno numero, ut astrictione sua, impediatur ascensus vaporum Melancholicorum in cerebrum & cor. Mel additur ad detergendas materias crassas,ad formam Electuario comparandam, & ad species conservandas.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimo in ordine trituræ locanda sunt Galanga, Zinziber, Zedoariæ,Nardus Indica incisa,Sericum incisum & tantulum torrefactum,& Caryophylla.In secundo ordine,Avellanæ torrefactæ,Canella,Piper,Folium, Semina & Sena. Ultimo in loco flores Rorismarini. Singula per se pulverizari debent Saccharum Crystallinum, Crocus. Lapides Lazuli & Armenius: qui seorsim lavandi sunt in multis aquis ad noxam eorum, quæ vis est vomitoria à proposito nostro aliena. Quo facto, sumendæ sunt libræ duæ & dimidia Mellis albi despumati, cocti & ponderati & adhuc Calentis, cum sex unciis Sacchari quod in se jam habet, quæ faciunt tres libras. In quo paulatim dissolventur pulveres permisti, ut totum usui recondatur.

Confectio Hamech major. D.M.

℞. *Succi Fumariæ depurati lib.* 1,
Passularum enucleatarum lib.dimidiã.
Prunorum dulcium numero sexaginta.
Myrobalanorum Citrearum uncias quatuor,
Cepularum &
Indarum.
Rhabarbari optimi, &
Epithymi. singul.uncias duas.
Agarici albi,& raspati,
Colocynthidis minutim incisæ,&
Polypodii quercini. singul. drach. duodecim,
Seminum vel florum violarum drach. quindecim.
Absinthii Pontici seu Romani,*seu vulgaris. Idem,*
Summitatum Thymi,&
Sennæ mundatæ. singul. unciam unam (alii 3 6.) veruntamen prior dosis magis probatur.
Seminum Anisi &
Fœniculi,
Rosarum Rubrarum, singul. drach. sex.

Macera dies quinque sero lactis caprini aut asinini, in vase vitreo, stricti orificii & obstructi. Deinde semel fervefiant. Manibus fricentur & colentur. In parte una colaturæ dissolve.

Tamarindorum uncias quinq;,
Cassiæ fistulæ purgatricis, unc. quatuor.
Mannæ uncias duas.

Reliquum decocti colati,coque cum Sacchari albi libra una & dimidia, ad mellis crassitudinem addendo sub finem.

Scammonii crasse triti unc. unam & semis.
Myrobalan. Citrearum,
Cepularum &
Indarum, singul.unciam dimidiam.
Bellericarum,
Emblicarum,
Rhabarbari optimi &
Seminum Fumariæ singul. drach.tres.
Anisi &
Spicæ Nardi, utriusq; drach. duas.

Fiat Pulvis Electuario miscendus.

Paraphrasis.

AUthor hujus Electuarii sive Confectionis est *Hamech* Medicus *Arabs* Antiquissimus, quem quidam interpretantur *Mahometum*, qui alio nomine appel-

latur *Johannes* filius *Mesue*: is enim in Unguento de Lino appellat eum *Hebezezar*: in Diaphœnicon, *filium Zezar*: *& in Distinctione de Emplastris*, nominat illum *Filium Zachariæ*, qui fuit pater *Rhasis* (ejus qui opera sua dedicavit *Almansori* Regi *Persarum & Medorum*) magis in re medica Practici Empirici, ut ostendat (sicut ego arbitror,) quod hic alius fuit ab avo suo cui nomen *Hamech Filius Hely*: & hic filius fuit *Abbebæ* Regis *Damasci* primariæ urbis *Syriæ*: Cognomen huic Electuario, [*Majus*] ponitur ad differentiam sequentis consimili nomine minus compositi & operosi. Hoc in loco tres habet Bases, Cholagogam unam, Myrobalanos Citrinas & Rhabarbarum, quorum pnrgatrix facultas tardior cum sit, acceleratur Scammonio, acrimonia cujus corrigitur prunis & Tamarindis; & contraria ratione, celeritas retardatur astrictione Myrobalanorum. Altera Basis est Melanogoga Myrobalanorum scilicet Indarum, Polypodii, Senæ & Epithymi. Horum vis Cathartica, intenditur Succo Fumariæ, Sero, & peculiariter Thymo, & Epithymo: Semina, Sena, & Polypodium, incidendo attenuant & discutiunt flatus deoppilantque. Tertia Basis est Phlegmagoga, nempe Myrobalani Cepulæ & Agaricus: horum tardior vis excitatur & acceleratur Colocynthide; Contrario modo Absinthium & Rosæ hîc adhibentur ad tutamen ventriculi, contra nocumentum Basium: sicut & Nardus Indica pro munimento hepatis. Cassia, Manna, Passulæ, Serum & Saccharum hîc ponuntur ad corrigendam eorum siccitatem, & detergendum materias crassas: ad corroborandum alia viscera, per levem astrictionem passularum, quæ resistunt etiam putredini humorum. (*Gal. lib.* 8. *de medicamentis loc.*) & ut formam Electuario tribuant omniaque conservent. Si Myrobolani quæ in pulverem ingrediantur confricentur in mortario, & humectentur oleo Amygdalarum dulcium, asperitas earum & siccitas corrigentur, totaque confectio multò salubrior fuerit.

De mixtura sive componendi ratione.

Mistura quæ hic præcipitur, repugnare videtur præceptis *Galeni*, atque adeò *Mesuæi* ipsius in *Canonibus suis, & alibi*, quod unicâ tantum ebullitione habere non potuit, virtutem quæsitam Polypodii, Prunorum, Seminum & Absinthii. Si amplius fervefiant, minueretur nimis Basium virtus: Myrobalanorum videlicet Agarici, Rhabarbari, Colocynthidis, Epithymi, Violarum, Rosarum & Nardi Indicæ. Altera etiam est ratio, quod Serum quinque dierum spatio acescit, argumentum certum putrefactionis, quæ virtutem requisitam totius Electuarii corrumpit. Quo cum ita sit, hac ratione inducti plures doctiores Medici suaserunt sequentem descriptionem huic præsenti præferre quia facilior sit præparatio ejus, nec minore virtute prædita: Veruntamem cum hodie Pharmacopœi seniores, junioribus qui in Magistros processuri sint, illam in Specimen operis sui proponere solent, in eorum gratiam, (ut ne quid derogarem præceptis *Galeni*, *Mesuæi* & aliorum) docebo rationem quâ eo peruenire possint. Primò parandum est seri lactis Caprini, vel Asinini, recens, & (cujus a caseo facto *recoctum* secundum *Italos*, vel *seratum* secundum *Pedemontanos*, *Delphinates & Provinciales*, separatum fuerit: tale enim serum facilè non acescit) quantum suffici. In quo parum fervefiat Polypodium contusum: Deinde adjiciantur Pruna, Semina, Absinthium, & Passulæ exemptis suis arillis) dein omnia effundenda, in vas fictile vitratum, Stricti orificii & obturati, quod tenendum est supra Calidos cineres: Postridie adjiciendæ Myrobolani contusæ & Colocynthis concisa. Tertia die Sena, Agaricus, & Thymus. Quarto Rhabarbarum incisum, vel rasum vel crassiuscule contritum: quinto Epithymum, Rosæ, Violæ & Succus Fumariæ. Sexto die (cum omnia sic infusa sint) semel fervefiant, nec ultra, ut *Mesue* docet: Post omnia cum tepuerint, confricentur ambabus manibus, & valde exprimantur. In parte colaturæ una, humectentur Tamarindi, Cassia & Manna. Denique cum tepuerint omnia, injicietur paulatim pulvis sequenti modo factus.

Myrobalani suis ossibus mundatæ & irroratæ pauco Amygdalarum dulcium oleo facilè in pulverem reducentur, cum Rhabarbaro, Nardo Indica concisa & seminibus.

nibus. Suaderem libenter ego, ut Diagrydium ſumatur, quod nihil aliud eſt quam Scammonium, coctura ſua correctum intra Cydonium. Nam qui voluerit accipere Scammonium ipſum contritum, idemque ut corrigat concoquere in Syrupum (ut voluit *Meſuæus*) minime liquefiet aut ſolvetur, & ſi ulterius in pulverem reducere velis, ab ignis calore in grumos abit, & pravam inducit Electuario formam, virtúſque minùs efficax eſt. Qui ſic fecerit, nequicquam intentioni Authoris, nec præceptis ſuis derogabit. Si ſumatur Diagrydium, & pulverizetur, & miſceatur aliis pulveribus; nec fervefieri permittatur: Ita operando purgantius erit Electuarium: Si Scammonium ipſum accipiatur, idem eſt faciendum.

Confectio Hamech minor. D. M.

℞. *Paſſularum mundatarum lib. unam*
Myrobalanorum Indarum, ſeu Nigrarum Idem,
Cepularum, &
Epithymi, ſingul. drach. quinquaginta,
Prunorum, &
Jujubarum, &
Sebeſten, ſing. numero ſeptem,
Sem. fumariæ, vel ſucci ejuſdem depurati,
Abſinthii Pontici utriuſq; drach. viginti.
Haſce, i. *Thymi,*
Calaminthes Montanæ,
Polypodii querni contuſi,
Agarici,
Glycyrrhizæ, &
Radic. Bugloſſi, ſing. drach. decem;
Stœchadis Arabicæ,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Bedegaris, i. *Spinæ albæ,* (cujus penuriâ ſume ſpongiam Cynorrhodi, vel Carduum Benedictum)
Seminis Aniſi, ſing. drach. quinque,
Coquantur in aqua ſufficienti ad tertias.
Colatura diſſolve,
Sapæ ex optimo muſto paratæ lib. duas,
Mellis optimi deſpumati libr. unam.
Scammonii uncias duas.

Ex arte fiat Electuarium, uſui neceſſario.

Paraphraſis.

HOc Electuarium induit & nomen ſicut & cognomen præcedens. Baſim conſtituunt Myrobalani: quarum aſperitas emendatur fructibus, Glycyrrhiza & Bugloſſo: Calor, Prunis: Debilis earum vis intenditur ſucco Fumariæ, Polypodio, Epithymo, & Agarico, tarditas acceleratur Scammonio, Thymo & Aniſo. Herbæ & Stœchas imponuntur ad perferendam earum virtutem ad diverſa viſcera: ad incidendum & attenuandum phlegma, & ad deoppilandum: Fructus, Sapa & Mel deſpumatum adhibentur ad detergendum & promovendum earum actionem, & totius conſervationem. Abſinthium additur ad munimentum ventriculi, contra purgantium noxam: uti Bedeguar, hepatis: cujus loco, ſumi poterit Carduus Benedictus, vel Spongia quæ accreſcit ſuper Cynorrhodo veteri, quod aſtrictione ſua, ſatis tuetur hepar.

De Mixtura, ſive componendi ratione.

IN prima ſerie Decoctionum, accipiendum eſt polypodium contuſum, & radices Bugloſſi conciſæ, Spina alba vel ejus ſuccedaneum. In ſecunda, herbæ, Aniſum & fructus. In tertia Glycyrrhiza, Abſinthium, Stœchas & myrobalani: tandem Agaricus, & Epithymum, quæ omnia tertiam partem efficiunt, & effuſa in grandem patinam profundam, ſtanneam vel fictilem vitratam, obtegentur duplici panno uſque quò tepefuerint ut exprimantur: Mel album & deſpumatum coquetur unà cum colatura in formam Electuarii: deinde adjicietur ſapa aut recoquantur etiam ſimul; tandem adjicietur Scāmonium ſubtiliter pulverizatum, cum patina jam ab igne ſublata eſt, & plus quam tepeſcat, ne calor grumeſcere faciat, & malam tribuat Electuario formam. Nonnulli ſeorſim infundi curant, Agaricum, Epithymum & Thymum in unam colaturæ partem, poſt ſemel bullire, ac tum exprimunt, & arbitrantur quod purgantius ſit. Uterque modus tam hic quam ille probandus eſt, non quod ſit purgantior.

Sectio. VII.

De Hieris.

Hiera Picra Simplex. D. Galeni.

℞. *Cinnamomi, aut Canellæ selectæ,*
Xylobalsami (hujus loco sume tantum surculorum Lentisci, vel Macis.)
Asari,
Spicæ Indicæ,
Croci,
Mastiches, singul. drach. sex.
Aloes non lotæ drach. centum, seu uncias duodecim & semissem.
Mellis despumati, triplum, hoc est, libr. quatuor, & uncias tres.

Paraphrasis.

Hiera, nomen est *Græcum*, quod *(Sacra)* & *(Magna:)* *Picra* autem *(Amara)* significat: voces quæ huic Electuario apprimè conveniunt: cum ob ingentes, sacras & raras virtutes, tum ob saporem amarum, ratione Aloes quæ illud magna in quantitate ingreditur. *Galenus 7°. Methodi, & 6. libr.* quem composuit *de Sanitate. Et 1. atq; 8. Medicament. Localium*, descripsit: non quod ille invenit. Diù enim ante illum *Romæ* in usum venit, & alibi: ut colligere licet ex suis ipsius scriptis. Verum quidem est, quod accidentium ratione quæ occurrebant, diminuit ille dosim Croci, vel immutavit Asarum pro Carpesio, quod consimiles habet ferè vires Valerianæ nostræ majoris: vel etiam author fuit præparandi illud cum Aloë lota: quando postulavit occasio plus corroborare quam purgare, vel auxit, vel diminuit illam dosim Aloes. Basis est Aloë, cujus tardior operatio, acceleratur medicamentis aromaticis: quæ resistunt putredini humorum, eos digerunt, viscera fortificant, incidunt & attenuant materias crassas & viscidas. Mastiche imponitur ventriculi gratiâ, & corrigendi acrimoniam Basis; quia aperit illa orificia venarum uteri & sedis: præsertim eorum qui Hæmorrhoidibus obnoxii sunt. Asarum additur ad reserandos meatus obstructos, & conducendam per ductum urinæ, partem humorum corruptorum: Mel ad detersionem; & ut compositio jucundior sit, diutius duret, & purgantior reddatur.

Nota de Aloë.

De Mixtura, sive componendi ratione.

Simul pulverizanda sunt, & cribro trajicienda Lignum Aloes (vel Santalum Citrinum, vel ramusculi Lentisci, vel Terebinthi pro Xylobalsamo) Canella, Asarum, & Nardus Indica concisa: seorsim autem & per se, in pulverem vertenda sunt, Crocus, Mastiche & Aloe, aliquot guttulis olei irrorata, ne exhalet, & mortario adhæreat. Dein omnia miscenda & dissolvenda in quatuor libris, tribus unciis mellis despumati & cocti tantum in syrupum, cum tepefactum fuerit, & vas igni sublatum: quantitas enim & siccitas pulveris deficcat satis, spissúmque facit Mel, quamvis minùs coctum sit, quam propter aliud Electuarium.

Hiera Picra cum Agarico.

℞. *Specierum Hieræ simplicis sine Aloe, & Agarici Trochiscati, utriusq; drach. sex.*
Aloes non lotæ unc. unam & semissem.
Mellis despumati, uncias novem.
Misce & serva usui.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

HÆc Hiera cognomen sumpsit ab Agarico, qui differre facit eam à precedenti, ad augendam purgatricem facultatem Aloes. Pulveres & Mel adjiciuntur, ob rationes supra expositas.

De Mixtura sive componendi ratione.

ACcipere oportet drachmam unam cujusque medicamenti, in superiore Hiera expressi, ea autem sunt sex numero. Tum adjiciendum æquale pondus Agarici Trochiscati & pulverizati: dein imponenda una uncia, & dimidium Aloes non lotæ & pulverizatæ: Post triplum totius, Mellis despumati & cocti, quæ novem efficiunt uncias: in quo etiamnum tepido macerentur pulveres, ut omnia propria in olla usui conserventur.

Hiera Composita. D. N. Myrepsi.

℞. *Cinnamomi seu Canellæ selectæ,*
Spicæ Indicæ,
Croci,
Schœnanthi. i. *floris Iunci odorati,*
Asari,
Cassiæ Lignea Aromaticæ, & non purgatricis.
Xylobalsami (vel succedanei ejus, surculorum lentisci, (*Pena* auctore)
Carpobalsami (vel Succi ejus sem. Lentisci vel Terebinthi.)
Seminis vel florum Violarum.
Absinthii P. majoris seu vulgaris nostratis,* * *Pontici.*
Epithymi,
Agarici albi,
Rosarum Rubrarum,
Turbith optimi,
Mastiches, &
Pulpæ Colocynthidis. singul. drach. dimidiam.
Aloes quantum omnium aliarum specierum, hoc est uncia 1.

Mellis despumati triplum: vel quantum sufficit. Fiat Electuarium.

Paraphrasis.

Salernitanus & Myrepsus, acceptum referunt hanc Hieram *Galeno*. Quod veri non est simile: quandoquidem Turbith quod id ingreditur illi non cognitum fuit. Describitur autem à *Nicolao Myrepso* in *Sectione* 23. *c.* 7. *Antidotorum*. Cognomen (*composita*) additur ad differentiam præcedentis, minus compositæ, & purgantis. Basis est Aloe, cujus virtus debilior intensior fit medicamentis Aromaticis, quæ incidunt, attenuant & digerunt humores frigidos, dissipant flatus, & reserant meatus strictos, & obstructos, tarditas incitatur Colocynthide: & contra hujus celeritas retardatur segnitie Aloes, quæ peculiari virtute corrigendi prædita est & reddendi actionem ejus meliorem, *Authore Mesuæo cap. de Aloe*. Agaricus imponitur ad convehendam virtutem Basis, in Cerebrum, pulmones, & Matricem: Turbith ad articulos, Epithymum ad lienem. Crocus ad muniendum Cor, contra purgantium noxam: Nardus Indica ad tutelam hepatis. Absinthium Rosæ, & Mastiche ad munimentum ventriculi. Canella, Xylobalsamum & Carpobalsamum, ad tutandam matricem. Asarum perfert serositates, per ductum urinæ. Violæ injiciuntur ad corrigendum calorem & siccitatem Aloes & Colocynthidis. Mel ad detergendum, & ad species conservandas.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRima in serie trituræ, imponere oportet Xylobalsamum (vel succedaneum ejus, Lignum Aloes: vel Santalum Citrinum, vel lentisci lignum) Turbith, Nardum Indicam

Indicam inciſam, Aſarum, Caſſiam Aromaticam & Canellam. In ſecunda Carpobalſamum (vel Cubebas ejus Succedaneum, vel ſemen Lentiſci, Abſinthium, & Schœnanthum: In tertia ſerie, Roſas, Violas & Epithymum. Singula ſeorſim contundenda ſunt, Maſtiche, Crocus, Aloe, Colocynthis. Agaricus radendus eſt ſerra, & cum aliis pulveribus miſcendus. Qui miſceantur in triplo ad omnium pondus Mellis deſpumati & cocti in Syrupum tepefactum, ut dictum eſt, ut uſui neceſſario recondatur: ſi Agaricus eſſet Trochiſcatus, tota compoſitio melior fuerit.

Hiera Logadii. D. N. Myrepſi.

℞. *Pulpæ Colocynthidos, &*
Polypodii querni, utriuſque drach. duas.
Euphorbii,
Polii montani, &
Cocci Gnidii, ſingul. drach. unam & ſem. & grana ſex.
Abſinthii Pontici majoris, ſeu vulgaris & Ruſtici (Idem.)
Myrrhæ, utriuſq; ℥ drach. unam & grana duodecim.
Centaurii minoris.
Agarici albi Fœminini,
Ammoniaci Thymiamatis, ſeu Optimi.
Folii Indi, ſeu Malabathri Græcorum,
Scillæ,
Spicæ Indicæ, &
Diacrydii. ſingul. drach. unam.
Aloes Socotorinæ. i. ex *Socotora* Inſula allatæ, & perlucidæ, vitri inſtar.
Summitatum Thymi.
Caſſiæ ligneæ Aromaticæ,
Chamædryos,
Bdellii Thebaici, &
Praſſii albi. ſingul. ſcrupulum unum & grana quatuordecim.
Cinnamomi ſeu Canellæ ſelectæ,
Opopanacis,
Caſtorii,
Ariſtolochiæ longæ,
Trium piperum,
Croci,
Sagapeni, &
Sem. Petroſelini, ſingul. drach. ſemiſſem.
Ellebori albi, &
Nigri, utriuſq; grana ſex.
Mellis optimi deſpumati, triplex omnium pondus, ſeu unc. decem.

Fiat Hiera uſui neceſſario reponenda.

Paraphraſis.

Myrepſus hanc Hieram deſcribit in 23 *Sectione Antidotorum cap.* 2. quæ nomen accepit ſuum, ab Inventore ſuo *Logadio*, è villa quadam *Memphi* vocata, oriundo. Baſis eſt Colocynthis: Cujus vis purgatrix augetur ſemine Thymelææ (quod *Græci* Coccon Gnidion appellant) Diagrydium, Elleborum album & Nigrum, & Euphorbium. Horum autem noxa & acrimonia coercetur Gummiis. Celeritas reprimitur Aloe: venenoſa vis ſive Deleteria corrigitur Caſtorio & Myrrha: purgatrix virtus perfertur ad Cerebrum per Agaricum: ad pectus per Thymum & praſſium: ad lienem per Polypodium, Elleborum & Chamædryn: ad uterum per Centaurium, Ariſtolochiam, & Polium: ad articulos per Scillas. Et quoniam talia Cathartica Violenta, partes Principales, ſecreta quadam vi lædunt, opus eſt ſocientur cum aliis, quæ tam abdita quam manifeſtâ virtute eas fortificent: qualia ſunt Caſtorium, quod ultra id quod ante diximus, Cerebrum roborat. Crocus, Caſſia & Canella, Cor: Nardus Indica, hepar: Folium Indum matricem: Abſinthium & Piper, ventriculum & Inteſtina: ſemen Petroſelini, renes & veſicam. Mel additur ad detergendum, leniendum, formam tribuendam: operationem in melius promovendam, & omnia conſervanda.

De mixtura ſive componendi ratione.

IN primo trituræ ordine ponendæ ſunt radices & Cortices: In ſecundo, herbæ, fructus & Semina Petroſelini, Caſtorium & Bdellium, ſi hæc duo ſint ficca: ſeorſim ſingula pulverizanda ſunt Euphorbium, Aloe, Myrrha, Crocus, & Diagrydium cum

cum aliquot guttis olei, ne halitum emittant & sic offendant eos qui ea pulverizant: ne adhæreant mortario. Eadem ratione Colocynthis incisa: Agaricus rasus sit & Trochiscatus, quamvis hoc non denotetur. Gummia solvantur cum vino vel hydromelite, potiùs quam aceto, quia inimicum hoc est, partibus exanguibus & spermaticis: Dein colentur sordium causâ; & coquantur usque dum incipiunt inspissari tanquam mel. Posteà dissolvantur in melle albo despumato cocto & ponderato ad triplum omnium (Sc. ad decem uncias) dum adhuc calida sunt: paulatim demum adjiciantur pulveres, ut totum in olla sua usui reponatur.

Hiera Diacolocynthidos Pacchii. D. Scribonii Largi.

℞. *Stœchados Arabicæ,*
Marrubii, seu prassii albi,
Chamædryos,
Agarici fœminini, &
Colocynthidis, sing. drach. decem,
Opopanacis,
Sagapeni,
Seminis Petroselini,
Aristolochiæ rotundæ, &
Piperis albi, sing. drach. quinque,
Cinnamomi, seu Canellæ selectæ,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Folii (Mesue & Myrepsus legunt Polii: facilis fuit Typographi lapsus P. pro F. reponentis) &
Croci. sing. drach. quatuor.

Mellis optimi & despumati triplum, (hoc est, lib. tres.) Fiat Electuarium.

Paraphrasis.

Hæc Hiera nominatur de Basi sua Colocynthide, & refertur accepta *Pacchio Antiochia* oriundo, Auditore *Philonidis Catinensis:* utpote illius qui plus expertus esset, ingentes & raras virtutes, ad honorem suum, & commodum ægrorum: non quod ipse Author fuerit, sive Inventor illius: Nam longè ante, in usum suum recepit. *Paulus Aegineta, libr. 7. & cap. 8.* & *Mesuæus* eam ad *Archiginem* referunt. *Myrepsus Sectione 23. Antidotorum. cap. 22.* nominat eam *Hieram de Marrubio:* Hic *Pacchius*, ita statutum in animo habuit (juxta illud quod *Scribonius Largus* scripsit, *cap. 97. libr.* quem scripsit de *compositione Medicamentorum*) ut se vivo noluerit transmittere hanc descriptionem, nec monstrare quibus ex medicamentis ipse eam composuerit, contentus commodo quod inde accepit ipse, & quia in proprium librum suum scriptum redegerit, varios & difficiles morbos, quos suo ipsius usu curaverat. Quo mortuo Proconsul qui tunc temporis præsidebat *Antiochiæ*, in Bibliotheca ejus, inter alios libros suos reperit hunc quoque librum: quem cum perlegisset inveniséque in eo res raras, & *Imperatore* dignas, literarum amatore, misit eum ad Imperatorem *Tiberium Cæsarem* (quo imperante Salvator noster, & Redemptor, *Jesus Christus* mortem passus est) qui eum ilico medico suo *Scribonio* communicavit, qui in librum suum prælegatum, quodcunque repererat in libro *Pacchii* excellens, & præcipuum, & ipse postea usu suo, & Praxi compererat, retulit. Ex quo tempore appellavit eam de Basi sua Colocynthide, ut ante diximus: Hæc descriptio meretur preferri omnibus aliis consimili nomine, sive *Rufi*, sive alterius cujuscunque. Gummia, sive Liquores Sagapeni & Opopanacis, imponuntur ad corrigendam acrimoniam Basis exulcerantem membranas ventriculi & intestinorum, & ad reddendam eam Basim lubricam, & ad pituitam detergendam. Crocus additur, ad tutelam cordis contra Basis nocumentum: Nardus Indica Hepatis tutandi causâ. Canella, Folium, Piper, Myrrha & Petroselini semen, induntur, ad incidendum & attenuandum phlegma, ad discutiendum flatus, & ad resistendum putredini humorum, & corroborandum ventriculum. Agaricus convehit virtutem ejus ad cerebrum & articulos: Prassium, ad pectus: Stœchas ad jecur & lienem: Aristolochia ad matricem. Mel conservat species, promovet operationem, & formam addit.

De

De Mistura, sive Componendi ratione.

MIxtura non dissimilis ei est quam in Hiera *Logadii* descripsimus. Si cui animus est Electuarium molle conficere: Hoc excepto, quod *Paulus Ægineta* consulit Liquores dissolvere in Hydromelite, & non in aceto, ob rationes præmissas. Si cui autem placet, pulveres servare ad conficiendas pilulas, opiatam aut ullum remedii genus, mundare oportet Liquores (illos concretos) & pulverizare cum aliis siccis, ut omnia necessario usui reserventur. Hoc amplius, si modo Pharmacopœus in sua habeat officina, quinque has differentes Hieras, sufficiet hoc pro quacunque aliâ quâ quis desiderat uti; sive *Rufi* sit, *Hermetis, Galeni, Archigenis, seu Arabis* cujuscunque: quibus uti poterit pro ratione cujusvis anni tempestatis, ætatis, complexionis, occasionis, & temporis morborum diversorum.

Sectio. VIII.

De Pilulis.

De Pilulis in Genere.

De Nomine.

PIlula Diminutivum de Pila est, sic appellata, sphæricæ suæ figuræ causâ & rotundæ. Græci dicunt Catapotia, vocabulo derivato à verbo Græco, καταπίνω, *i. devoro*, quod deglutiantur, & non mandantur.

Quamobrem inventæ.

1. Orbicularis hæc figura inventa est ab Antiquis, in hunc finem, ne ab inæqualibus partibus, ventriculus qui primum est recipiens lædatur: & ut omni ex parte eam amplectatur, & potentiam in actum producat.

2. Altera est ratio, ut accommodetur & inserviat ægrotis, qui non possunt uti potionibus catharticis, facilè autem utuntur rebus solidis.

3. Tertia per *Chrystophorum Florentinum* tradita, super *Mesuem* est, commodius attrahantur à partibus remotis humores frigidi, & viscosi: qui nequaquam cederent medicinis liquidis, quæ non ita diù in ventriculo commorantur.

4. Quarta est, quod majore ex parte componantur ex medicamentis malignis, violentis & palato ingratis: quæ facilè insinuare se possint membranis ventriculi & intestinorum, & acrimonia sua rodere, vellicari atque adeò venas Mesenterii capillares, & venam portam, unde insequerentur magni dolores, hypercatharses, &c. Quibus nihilominùs probè correctis & à noxa sua castigatis & benignioribus concomitatis, utimur fœlici cum successu, ad graves & validas ægritudines sanandas, quæ benedictis medicinis & gratis curari non potuerint.

Differentiæ. Pilularum aliæ sunt Anodynæ & incrassantes: quales illæ de *Bdellio* & *Cynoglosso*: aliæ alterantes, sicut illæ quas attribuunt *Ruffo, Alephanginæ, de Mastiche, & Aloë lota*, quæ parum purgant, roborant multum. Aliæ sunt purgatrices; vel è prima regione, ut ex *Hiera simplici, Benedictæ, & Asajeret:* vel à secunda regione, sicut illæ *de quinque speciebus Myrobalanorum, &c.* vel de tertia & habitudine totius corporis, quales illæ, *de lapide Lazuli, & Armeno, Arthitides, de Colocynthide, &c.* qui violenter de partibus longinquis purgant. Aliæ differentiæ quæ sumuntur à natura, & dispositione ægrorum, & ab earum effectis, referri possunt, ad ea quæ superius tradita sunt.

Usus Incrassantium, & Alterantium. Incrassantibus utimur, parva admodum in quantitate, (ob virtutem earum narcoticam) circa horam somni: Alterantibus, mane jejuno stomacho tribus aut quatuor ante pastum horis, sine custodiâ, (ut aiunt) plus minùs secundum ætatem, sexum, tempus anni, & complexionem ægrorum.

Purgantes

Purgantes è prima regione corporis ſumi debent, longe a paſtu ſtomacho jam vacuo: è ſecunda regione & tertiâ, longius à paſtu, vel poſt primum, ſomnum vel quando æger cubitum iturus eſt incœnatus: ac tum ſuper dormiendum, ac tum cum operari incipiunt vigilandum, & non eo die exeundum in aerem, ob pericula quæ obvenire poſſunt, Nequaquam vero utendum eſt illis in principio febrium, & quandiu humores in corpore ſunt fixi & crudi: quoniam tales pilulæ commoverent quidem ſed non removerent & evacuarent humores, unde ſequerentur multa ſymptomata æquè ac morbus ipſe, ſi non magis gravia. *Purgantium.* 1. 2. 3. *regionem.*

Macri, & qui debiliore ſunt ſtomacho nequaquam hiis uti debent, quoniam hii non valent earum potentiam in actum, ſine illorum præjudicio producere. *Nota.*

Modus ſumendi pilulas diverſus eſt, pro ratione ægrorum, naturæ & conſuetudinis. Hii facile vel ſolas vel deauratas capiunt, alii cum aliquo liquore jucundo, vinum ſive ſit, ſeu Syrupus, juſculum, ovum molle, ſapa reſinata, pulpa pomorum coctorum, ſive aſſatorum, Prunorum, Paſſularum (non cum pelliculis ſuis, quæ ſæpe obſtant quo minus diſſolvantur in ſtomacho) ſeu hoſtiis aut nebulis, pane cocto, vel alia ſimili ratione modoque. Pulvis Pilularum Anodynarum & incraſſantium, & qui primæ regioni deſtinatur, non debet eſſe adeò ſubtilis ac qui ſecundæ & tertiæ: ac ne harum quidem æquè ſubtilis ac pro Electuariis mollibus, ſolidis, alterantibus aut purgantibus: propterea quod diutius durare debet, & ſubſiſtere in ventriculo, earumque attractio validior requiritur. Subtilior autem ſi fuerit, facilè inſinuarit ſe in membranas & tunicas interiores ventriculi & inteſtinorum, atque intra venas meſeraicas: & ab earum acrimonia, dolores excitarentur, & hypercatharſes inſequerentur &c. Hæ autem, ſi quis confeſtim velit uti, poterint cum aqua ſtillatitia, vino, Succo aut decoctione aliqua Baſi accommoda ſubigi: Quæ verò diutius ſervandæ ſunt, cum Melle roſato, Oxymelle, Syrupo, aut liquore & Gummi, vel alio ſimili corpore ſeu ſubſtantia glutinoſa & viſcida malaxandæ & ſubigendæ: ne aer ambiens eas exſiccet priuſquam probè fermententur. Maſſa formari debet manibus oleo quopiam dulci inunctis, & aluta candida non tincta involvi, aut etiam membrana ſeu Pergameno candido ſimiliter imbuto ſive delibuto ut magis meliuſque obſtipentur pori illius, ne virtutem illius aer ambiens diſſipet. *Modus.* *Repoſitio.*

De Pilulis in ſpecie.

Pilulæ de Cynogloſſo. D. M.

℞. *Myrrhæ optimæ drach. ſex.*
Thuris maris. drach. quinque.
Radicis Cynogloſſi drach. quatuor & ſemiſſem,
Seminis Hyoſcyami, &
Opii. utriuſq; drach. quatuor.
Croci &
Caſtorii (cum Fernelio) utriuſq; drach. unam & dimidiam.

Cum aqua Roſarum ſtillatitia, vel Syrupo violato, fornea Maſſam, uſui reponendam.

Pharmacopœus qui has pilulas in officina paratas habuerit laudano Chymiatrorum carere poterit.

Paraphraſis.

AUthor harum pilularum eſt *Meſue*, & non * N. quas in *Antidotario* deſcribit ſuo, ſub Nomine earum effectuum. *(ad omnes morbos Catarrhi.)* Quarum Baſis eſt Opium & Hyoſcyamus. Eorum autem virtus incraſſans augetur radice linguæ Caninæ (quam *Græci* Cynogloſſum appellant, unde nomen acquiſivere ſuum) & Thure. Crocus & Caſtorium imponuntur, ad corrigendam Baſis noxam. Myrrha ad detergendum id quod defluxerat ad pulmones, & ad ventriculum roborandum, utpote illud membrum quod ſuſcipit in ſe primum fructum, bonus ſive fuerit ſive pravus. Quidam non conſulunt has diſpenſare pilulas, quia Cynogloſſum noſtrum profert caulem, * *Nicolaut.*

caulem, florem & semen: & non illud verum à *Discoride* descriptum, in *libro quarto*. Attamen sapore cognoscitur nostrum Cynoglossum refrigerare siccare & astringere: quæ sunt qualitates propriæ ad incrassandum Rheumata, quem ad finem accommodatæ ab earum Inventore sunt. Nos rejicimus Caryophyllum, Canellam & Styracem rubram memorata à *Nicolao Salernitano* in quem *Platearius* Commentarium scripsit, tanquam inutilia, & quorum mentio non est facta à *Nicolao Salernit.* è quo transcripsit ea: quorum vicem supplevimus nos, Castorio, ad corrigendum Opii & Hyoscyami noxam, idque ex Consilio *Fernelii* viri, si quis alius docti & experti, quem nostra unquam *Gallia* protulit.

De Mixtura sive componendi ratione.

RAdix Cynoglossi, Semen Hyoscyami & Castorium, simul in pulverem redigenda sunt. Seorsim Myrrha, Crocus & Thus. Opium incidatur minutim & cum Rosarum aqua dissolvatur: Post adjiciantur pulveres; deinde formetur Massa, ut dictum est. Dosis harum pilularum semiscrupulus, ut plurimum, (recentes si sint) vel duo scrupuli, si veteres: quia processu temporis, vis Basis frigida, superatur ab aliorum Ingredientium calore.

Pilulæ de Bdellio Majores. D. M.

℞. *Bdellii optimi drach. duodecim.*
Seminis Ameos drach. tres.
Myrobalanorum Cepularum,
Indarum,
Bellericarum, &
Emblicarum.
Concharum venerearum. i. *Porcellanarum ustarum, &*
Succini, vulgò Karabe. singul. drach. duas & semissem.

Dissolve Bdellium Succo Porri sectilis .i. *non transplantati. Et forma Massam.*

Paraphrasis.

HÆ pilulæ nomen accipiunt a Basi sua Bdellio: Cognomen verò (*Majores*) additum est, differentiæ causâ aliarum consimili nomine, descriptarum a *Mesue* & *Rhasi lib. 9. cap.* 80. *ad Almansorem*, quæ hodie non in usu sunt. Vis Bdellii incrassans augetur Myrobalanis, & Porcellanis ustis, quas *Mesue* appellat Venereas, à Venere: quandoquidem fœminæ obscuriores utuntur hiis ad ornatum: sunt autem parvulæ conchæ candidæ, vilis admodum pretii, cuique cognitæ. Contra, Basis corrigit asperitatem & siccitatem Myrobalanorum; lubricantemque illis addit, Semen Ameos virtute sua aperiente & attenuante pituitam, obstat quo minus Myrobalani oppilent: Succus Porrorum novellorum & succulentorum detergent pituitam, quam dejicit etiam per alvum, vesicam, & matricem; Corpus addunt Massæ, & totam conservat.

De Mistura, sive componendi ratione.

MYrobalani suis ossibus exutæ, in pulverem reducentur cum semine Ameos, adjectis aliquot olei Amygdalarum guttis. Cætera pulverizentur seorsim. Deinde dissolvatur in mortario Bdellium, cum succi quantitate sufficienti: Post, adjiciantur pulveres, unde formetur Massa manibus oleo inunctis, quæ per aliquot dies sub Dio exposita, reponetur, ut dictum est. Dosis est ab una drachma ad duas. Et cum apportetur, è *Judea* & aliunde verum Bdellium, notis ipsis quas *Discorides* illi attribuit, donatum, Pharmacopœi me Authore, si fidem mihi adhibeant, non utentur *Quid pro Quo*, sed operam dabunt illud cognoscere, ut in coemendo probe sciant, verum eligere, eoque uti possint.

Pilulæ

Pilulæ de Aloë lota. Incerti Authoris.

℞. *Aloës lotæ succo Rosarum rubrarum unciam unam,*
Agarici trochiscati drach. tres,
Mastiches, drach. duas,
Pulveris Electuarii, Diamoschi dulcis, drach. dimidiam.
Cum vino Malvatico, vel Apiano aut simili: fiat massa.

Paraphrasis.

DE authore harum Pilularum inter nos non constat. Nomen de Basi sua Aloe lota sumpserunt: virtus earum purgatrix, cum exigua sit, augetur Agarico, & vehitur ad cerebrum per pulverem Diamoschi. Mastiche intendit facultatem Basis corroborativam: Vinum apponitur cordis, ventriculi & aliorum viscerum gratia, & ad formam.

De mixtura sive componendi ratione.

ALoen pulverizare oportet, & sæpius lavare cum succo Rosarum rubrarum: post siccare & Aloen iterum in pulverem reducere & cum Agarico Trochiscato & Mastiche subigere, singulis per se in pulverem versis, cumque pulvere Diamoschi, & Vini Malvatici, sive Muscatellini, seu alterius generosi & excellentis, quantum sufficit, formetur massa, usui recondenda, ut diximus.

Pilulæ Mastichinæ. D. Petri de Ebano.

℞. *Agarici Trochiscati, drach. tres,*
Mastiches Chiæ, *drach. quatuor.*
Aloes optimæ ex Socotora *allatæ drach. decem.*
Forma massam cum Altili, id est, vino dulci cocto: Nam Altil *Arabibus,* dulce sonat.

Paraphrasis.

PEtrus *Ebanus* cognomine *Conciliator* describit has Pilulas, in fine *decimi noni capitis suarum additionum, super practicam Mesuæi,* ubi tractat de remediis appositis ad appetitum depravatum. Hiis nomen dedit de Mastiche, & non de Basi sua Aloe, quod supradictæ jam antè earum appellationem nactæ essent. Ignava vis Aloes excitatur & intenditur per Agaricum Trochiscatum. Nocumentum si quod infert corrigitur Mastiche, quæ astrictione sua fortificat ventriculum: Vinum illud coctum corrigit siccitatem, lenit, deterget, formam donat, & conservat species. Quoniam hæ pilulæ consimilem fere facultatem habent cum præcedentibus; qui has habent, suis in officinis prætermittere possint illas, & vice versâ.

De mixtura, sive componendi ratione.

QUamvis Author disertè non præcipiat Agaricum Trochiscatum, consulerem tamen ego ut sumatur, quod purgantior sit, & minùs nocivus ventriculo quam non trochiscatus (cujus causa hæ pilulæ destinantur) & Basis validior redditur. Quodque medicamentum, in pulverem redigi debet seorsim: dein totum permiscebitur cum vino cocto, & pasta diù subigetur (idque ad accelerandam eorum fermentationem. Regula generalis omnibus pilulis inserviens) usui reponenda. Dosis est ab una drachma ad duas, longè à cœnæ tempore.

Pilulæ Stomachicæ. D. M.

℞. *Myrobalanorum Citrearum,*
Aloes selectæ, &
Turbith optimi, singul. drach. decem,
Rosarum rubrarum,
Spicæ Indicæ, &
Mastiches, sing. drach. duas & semissem.
Seminis Anisi, drach. unam & semissem.
Salis Gemmei (quia vero sale Indo caremus) &
Croci, utriusq; drach. unam.
Cum succo Absinthii forma massam.

Paraphrasis.

EX descriptionibus Pilularum stomachicarum quas *Mesue* tradidit, *Distinctione decima sui Antidotarii* retinui ego ultimam cum *Nicolao Præpositi, Cordo,* & quibusdam aliis, quia satis corroborat ventriculum, & clementer purgat humores in eo contentos. Nomen traxerunt suum ab effectis: Basim constituunt Myrobalani, Aloë & Turbith, posita in principio. Segnis operatio Aloes acceleratur per Turbith; & vicissim Sal Gemmeus intendit vim Turpethi, quod unà cum Aniso, Croco & Nardo Indica incidunt, attenuant phlegma spissum, discutiunt flatus, fortificant cor & jecur, suppetiásque Basi ferunt ad purgandum pituitam, bilem & serositates. Mastiche corrigit eorum nocumentum; & ventriculum corroborat. Rosæ temperant eorundem calorem: quæ cum Myrobalanis astrictione sua deprimunt vaporum ascensum in cerebrum. Qui voluerint pressius & propius examinare, alias descriptiones consimili nomine, invenient, alias admodum violentas, alias æque lentas, alias non satis comitatas suis correctivis, vel doses suas malè proportionatas ad rationem Basis constitutæ: adeò ut si requiratur è secunda regione aut tertia humores dejicere, alias reperire possis magis accommodatas.

De Mixtura, sive componendi ratione.

TUrpetho media ex parte pulverizato, adjiciatur Nardus Indica concisa, Anisum, Myrobalani & Rosæ: seorsim conterere oportet, Aloen, Mastichen, Salem Gemmeum, & Crocum: dein misceantur & subigantur cum succo Absinthii (si quis citò, aut paulò post velit uti) sin minus, succo adjicietur pauxillum mellis, ut coquatur in syrupum, & inde formetur massa, quæ in aere utcunque siccata, recondatur usui. Dosis est à drachma, ad sesquidrachmam: Qui enim regiones temperatas, frigidas aut humidas incolunt, faciliores sunt movendis humoribus, quam qui regionem calidam, quales *Æthiopia, Ægyptus, Argieria, Provincia, Creta* & *Italia.*

Pilulæ aliæ Stomachicæ seu ante Cibum. D. M.

℞. *Aloes optimæ ex* Socotora *Insula allatæ, drach. sex,*
Mastiches Chiæ, &
Rosarum rubrarum, utriusq; drach. duas.
Compone massam cum succo Solani, vel syrupo Absinthii.

Paraphrasis.

HÆ pilulæ à *Mesue* descriptæ, in loco prælegato, sunt multum usitatæ, quæ nomen sumunt ab eorum effectu. Basis est Aloe: Mastiche ventriculum firmat. Rosæ calorem illarum moderantur; & Solani succus (sive syrupus Absinthii) dicto succo præstantior, Hepar fortificat, formam addit, & totam massam conservat.

De Mixtura, sive componendi ratione.

QUodque medicamentum in pulverem redigetur, dein subigentur cum succo Solani, vel syrupo Absinthii: dein totum usui recondetur.

Pilulæ

Pilulæ Alephanginæ seu de Aromatibus. D.M.

℞. *Cinnamomi seu Canellæ selectæ;*
Culebarum,
Ligni Aloes. (hujus penuria sume tantundem Santali Citrini)
Calami Aromatici, veri, vel ejus officinarum, sic nominati.
Macis,
Nucis Moschatæ,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Asari.
Masticbes,
Schœnanthi.i. floris Junci odorati.
Carpobalsami vel ejus succedanei,
Seminis Lentisci, vel Terebinthi, Authore *Pena.*
Spicæ Indicæ, singul. unc. unam.
Absinthii P. majoris, seu vulgaris, sicci:
Rosarum rubrarum, utriusque drach. quinq.

Terantur crassiuscule, & parum coquantur in aquæ libris sex (ut ipsemet *Mesue* testatur *Capite de Aloe in lib. simplicium*) & non duodecim: *deinde fricentur manibus & exprimantur: Tum,*

℞. *Aloes optimæ pulverizatæ, lib.* 1. *Lava in parte una Decocti Colati: Deinde siccetur & pulverizetur, & ipsi affunde reliquum decocti, & sicca ad solem si æstas fuerit, vel in stupha si hyems: & cum Myrrhæ selectæ & pulverizatæ, & Masticbes utriusq. drach. quinq. Croci drachmis tribus, Forma Massam.*

Paraphrasis.

Mesuæus dicit has pilulas suum esse Inventum, quas appellat ille *Alephanginas* de nomine *Arabico Alephangin*, quod odorem sive odoratum significat, & Aromaticum: Talia sunt Medicamenta quæ ingrediuntur decoctionem. Basis est Aloe lota in decoctione, & non in aqua pluvia sive fontana. Nam si Aloe sic primum lota fuerit, sicut ille dicit, fortificabit quidem ventriculum. sed non à Cerebro & ventriculo purgabit pituitam crassam & humores corruptos, præcipuum quod ille respicit. E contra, si lavetur in una decoctionis parte, ita ut ego suaderem, per eam, virtus ejus viscera corroborans, & purgatrix simul augebitur: & ita utraque intentio perficietur, & Pharmacopœus levabitur multum opere & labore suo. Mastiche & Myrrha imponuntur, ut occurrant & resistant putredini humorum, ut corrigant siccitatem Aloes, & lubricam eam faciant, Crocus ad tutelam Cordis.

De Mixtura sive componendi ratione.

MIxtura tradita hîc à *Mesuæo* ex diametro repugnat præceptis à se descriptis *in secundo Theoremate Capitis de Decoctione, & alibi:* ubi docet medicamenta Aromatica ferre non posse decoctionem, vel pusillam admodum: & hîc præcipit ut ferveant in duodecim libris aquæ, usq; ad duarum tertiarum partium consumptionem, ita ut tali ebullitione eorum virtus requisita proculdubio periret. Præterea dosis aquæ quam ille denotat *Capite de Aloe* sextuplo major, & quæ à sex libris, excrescit ad sex libras & circiter dimidium, sufficere possit ob supra dictas rationes: adde quod siccitas & quantitas medicamentorum ebibant unam partem, adeo ut ex levi ebullitione redibit ad 4. libras decoctionis colatæ, justam quantitatem, quam hîc requiret. Primum igitur conterere oportet medicamenta aromatica. dein semel aut iterum cum aqua fervefacere, & non amplius, in olla vitrea, vel fictili vitrata operculata, vel etiam in vase Stannato super ignem clarum & non fumigantem, nec violentum: Post auferetur ab igne, & obtegetur duplici panno, usquequo tepefacta fuerit decoctio: deinde confricentur omnia manibus ambabus, & valide exprimantur: Hoc facto, in una parte Colaturæ, Aloe pulverizata lavetur, dein ardenti in sole desiccata, vel in *Stupha vel super Cineres calidos, in pulverem reducetur. Cui adjicientur Myrrha, Mastiche & Crocus, seorsim singula pulverizata, ut omnia dissolvantur simul in grandi patina fictili vitrata, cum reliqua decoctione colata: tum demum desiccari debet ea (non prorsus) ut ante diximus: ac inde formari massa, manibus oleo Amygdalino inunctis, eademq; involvi debet aluta candida vel membrana (pergamena dicta) similiter

* Sive Hypecist.

similiter oleo inuncta, ut diutius servari possit. Dosis est ab una drachma ad duas: & quæ maxima est, ad binos Aureos, qui valent octo scrupulos.

Pilulæ Ruffi, seu Communes.

℞. *Aloes electæ seu* Socotorinæ, *uncias duas.* *Myrrhæ optimæ unciam unam.* *Croci unciam dimidiam.*

Forma Massam cum vino rubro optimo.

Pilulæ Contra Pestem. D. Bauderoni.

℞. *Aloes* Socotorinæ *uncias duas.* *Myrrhæ optimæ, &* *Boli Armeni veri, optimi, utriusque unciam unam.* *Croci* Corycei *seu Potioris.* *Theriacæ veteris & probatæ, utriusque unciam dimidiam.*

Cum Syrupo Limonum (si sit æstas) vel vino rubro optimo (si hyems fuerit) Forma Massam, usui reponendam.

Paraphrasis.

QUidam in dubium vocant, num hæ pilulæ *Ruffi Ephesii* sint? quum non inveniantur in *libro* quem composuit *de Medicamentis* (unico solo fragmento ex injuriâ temporis elapso) sed potius quas desumpsit is mutuò è *Rhasi*, in *lib.* 4. *Capite de Præcautione contra pestem.* Sicut etiam in illa compositione quam *Paul. Ægineta* (*Avicenna. Fen.* 1. *quarti, tractatu quarto cap.* 5.) describit *lib.* 2. *cap.* 36 quam non ingreditur Crocus: Sed Aloes, & Ammoniaci, singul. duas portiones & una Myrrhæ, quam dedit in potu cum dimidio Semi-Cyathi vini optimi odorati, quovis die. Talis autem opinio malè fundata est: quoniam Ruffus antiquior sit *Rhasi* vel *Galeno* etiam. Ille enim floruit *Romæ*, temporibus *Trajani* & *Adriani* Imperatorum. *Galenus* autem, *Marc. Aurelio, Commodo & Antonio* Imperantibus, qui longo post tempore fuerunt. Præterea major pars scriptorum suorum periit, nec ad nos pervenit. Quod autem ad Crocum, fieri potest ut qui post *Paulum Æginetam* vixerunt eum pro Ammoniaco supposuerint, & in pilulas potiùs reductum quam potionem, propter ingratum Aloes & Myrrhæ Saporem, & quia magis conveniret tempestati Pestis quam illa. Oportet igitur dimidio minus Croci quam Myrrhæ sumere: quia tanta quantitas creare in ægris possit Cardialgiam, Spasmum Cynicum sive Convulsionem caninam. Ex hiis igitur composui meas pilulas, contra pestem, quæ grassata est *Anno* 1586. adjiciens aliquantulum Boli & Theriacæ. Basis est Aloe: cujus vis detergens augetur Myrrhâ, leniendo: quæ cum hac, resistit putredini humorum (genetrici pestis.) Crocus & vinum generosum, adhibentur in tutelam Cordis. Contra quod venena præcipuè agunt. Bolus Armena, Theriaca vetus & bona, descriptione *Andromachi*, ad venenum debellandum, forma quadam essentiali, & non quantitate suâ manifesta induntur.

De Mixtura sive Componendi ratione.

QUodq; medicamentum seorsim pulverizandum est, & commista in mortario subigenda sunt vino quod parari possit præstantissimo, ut omnia usui servari possint. Aloem non lavare oportet: quia non sufficit hîc ventriculum corroborare, sed blande etiam & sine violentia purgare corruptos humores qui ibidem poterint esse. Dosis est drachma una matutino tempore, jejuno stomacho, tribus aut quatuor ante prandium horis, non continendo se in cubiculo. Pestilenti tempore, permittetur vini puri duos quasi Cyathos superbibere, si sit hyems, aut tempus pluviosum, æger senex vel phlegmaticus. Sin æstas, aut regio Calida, ægerque juvenis aut biliosus, a sumptis pilulis bibendum quid aquæ scabiosæ vel Buglossi vel Cardui Benedicti, vel alterius, eâdem virtute præditi.

Pilulæ

Pilulæ Hieræ simplicis, D. Galeni.

℞. *Cinnamomi, seu Canellæ selectæ,*
Xylobalsami, aut succedanei ejus, Surculorum Lentisci, *Pena.*
Asari, aut Carpesii cum *Galeno* 2°.
κατὰ τόπους, i. *secundum locos,*
Spicæ Indicæ,
Croci, &
Mastiches, singul. drach. tres,
Aloes optimæ, drach. quinquaginta.
Cum melle Rosato, paretur massa, usui reponenda.

Pilulæ Hieræ cum Agarico.

℞. *Specierum Hieræ simpl.* Galeni, *præscriptæ, &*
Agarici Trochiscati, utriusq; unc. semis.
Aloës optimæ, unciam unam.
Cum melle Rosato: Fiat massa.

Pilulæ Hieræ compositæ, D. N. Myrepsi.

℞. *Cinnamomi, seu Canellæ selectæ,*
Spicæ Nardi,
Croci optimi,
Schœnanthi, seu floris Juncı odorati,
Asari,
Xylocassiæ, i. *Cassiæ lignea Aromaticæ,*
Xylobalsami, (aut succedanei ejus surculorum Lentisci, aut Terebinthi.)
Carpobalsami, (aut succedanei ejus, seminis Lentisci, vel Terebinthi,
Sem. vel Florum Violarum,
Absinthii Pontici majoris, seu vulgaris,
Epithymi,
Agarici albi fœminini,
Rosarum rubrarum,
Turbith optimi,
Colocynthidis.
Mastiches, singul. drach. dimidiam.
Aloës Socotorinæ, *unciam unam.*
Cum melle Rosato: Fiat massa.

Pilulæ Benedictæ. D. N. Salernitæ.

℞. *Specierum Benedictæ laxativæ, drach. sex.*
Mellis Rosati quantum sufficit: Compone massam.

Paraphrasis.

CUm quatuor hæ species pilularum componantur ex similibus medicamentis, quibus eorum Antidota, nec differentes nisi in melle Rosato, pro melle albo despumato, & in minore quantitate, licet cuique videre id quod *in Sectione præcedente* tradidimus. Si Pharmacopœi paratos habeant suis in officinis pulveres, non eis opus erit massa, quia confestim, cum melle Rosato formare possint quamcunque voluerint pilularum quantitatem.

Pilulæ Asaiaret. D. N. Avicennæ.

℞. *Mastiches* Chiæ, *&*
Myrobalanorum Citrearum, utriusq; unc. semissem.
Pulveris Hieræ simplicis Galeni, *unciam unam.*
Aloës Socotorianæ, *uncias duas.*
Cum syrupo stœchadis, forma massam, usui reponendam.

Paraphrasis.

AUthor harum pilularum est *Avicenna, Lib. 5. Fen. 1. Tract. 1. Cap. 29.* Basis est Aloe, segnities ejus incitatur pulvere Hieræ, ratione medicamentorum Aromaticorum quæ ingrediuntur. Myrobalani imponuntur ad cohibendum ascensum vaporum bilioſorum in cerebrum astrictione sua, qui dolores creant. Mastiche

additur

additur corroborandi ventriculi causa, & corrigendi noxam Aloes & Myrobalanorum. Syrupus Stœchadis inditur, detergendæ pituitæ, quam pulvis Hieræ inciderat & attenuaverat, sicut etiam ad corpus massæ addendum, & diù conservandum virtutem.

De Mixtura, sive componendi ratione.

PEr se singula in pulverem redigenda, Mastiche (cum guttis aliquot aquarum) Myrobalani & Aloe, (cum totidem olei) quibus adjicietur pulvis Hieræ, ut subigantur omnia cum syrupo Stœchadis in formam convenientem, idque manibus oleo inunctis, unde fingatur massa, usui recondenda, sicut sæpius ostendimus.

Pilulæ Octomere, seu de octo rebus, D. N. Myrepsi.

℞. *Aloes optimæ, qualis ex* Socotora, *Insula adfertur, &*
Diacrydii, utriusq; drach. duas.
Interioris pulpæ Colocynthidis,
Epithymi Cretici, *tanquam præstantioris.*
Agarici albi,
Mastiches Chiæ,
Daucis Cretici,
Myrobalanorum cepularum, &
Absinthii Ponti ci majoris singul. drach. unam.
Cum succo Solani, forma massam usui reponendam.

Paraphrasis.

NIcola. *Myrepsus in Sectione* 23. *Cap.* 33. *Antidotorum*, & post eum *Salernitanus* describunt has pilulas, quibus nomen indiderunt à numero Medicamentorum, quæ illas constituunt (exceptis Basi & succo Solani.) Eadem ferè vires habent, quas subsequentes & aggregativæ. Basis est Aloe: cujus virtus Cholagoga intenditur Diacrydio: Phlegmagoga, Colocynthide, quæ segnem ejus virtutem incitat. Mastiche adhibetur corrigendæ noxæ causâ & fortificandi ventriculi. Myrobalani cum astringant, obstant quo minùs Colocynthis nimium celeriter ad partes remotiores penetret, ut purget pituitam è prima & secunda regione: Daucus incidit, attenuat phlegma, & dissipat flatus. Agaricus, conducit virtutem Basis in cerebrum: Epithymum ad Lienem: succus corrigit calorem purgantium & jecinoris: aperit meatus obstructos, & massæ formam impertit. Majoris autem cautelæ causa, suadeo ut accipiatur Agaricus Trochiscatus & Colocynthis præparata: sicut dicetur infra, in Trochiscis Alhandal.

De Mistura, sive componendi ratione.

IN pulverem vertere simul oportet Daucum, Absinthium, Myrobalanos & Epithymum: seorsim verò Aloen, Agaricum, Colocynthida, Diacrydium & Mastichen: ut subigantur omnia simul succo Solani (decocto priùs in syrupum) cum modico mellis despumati, ad formandam inde massam, usui reponendam. Dosis est ab una drachma ad sesquidrachmam, cubitum ituris, & humoribus præparatis, *Authore Hippocrate, Aphorismo nono libri secundi.*

Pilulæ de 5. *generibus Myrobalanorum.* D. N. Myrepsi.

℞. *Quinque specierum Myrobalanorum,*
Agarici albissimi.
Diacrydii, i. *Scammonii præparati,*
Colocynthidis, &
Sennæ mundatæ, sing. drach. duas & semis.
Rhabarb. opt. scrup. quatuor.
Epithymi Cretici,
Anisi,
Turbith optimi,
Zinziberis (ex *Nicolai Præpositi* instituto)
Lapidis Lazuli loti tantum & non usti,
Mastich. sing. drach. unam & grana 16.
Aloes optimæ unc. semissem.
Compone massam cum succo Fœniculi, vel Absinthii Ponti ci, seu Romani, (Idem)

Paraphrasis.

Paraphrasis.

MYrepsus describit has Pilulas *in libro præallegato cap. 9.* quæ nomen traxerunt de Basi sua, quinque generibus Myrobalanorum: quæ Electivè seu cum delectu, Corroborando sive astringendo, purgant utramque bilem & pituitam. Facultas Cholagoga Myrobalanorum Citrinarum augetur Rhabarbaro, non memorato in Textu *Salernitani:* segnities acceleratur Diacrydio. Virtus Melanagoga Myrobalanorum Indarum, cum ex se debilis sit, auctior fit Sena & Epithymo: Tarditas incitatur lapide Lazuli: vis phlegmagoga Cepularum, Bellericarum & Emblicarum, incitatur Colocynthide. E contra celeritas Diacrydii, Lapidis Lazuli & Colocynthidis, retardatur crassitie Myrobalanorum & Rhabarbari, Aloe imponitur ad reddendam salubrem actionem Catharticorum Violentorum: Anisum ad incidendum phlegma, consumendum flatus, conciliandum bonum odorem; & intendendam infirmam Senæ virtutem & Epithymi: veluti Zinziber, Agarici & Turpethi. Mastiche apponitur tutandi ventriculi causâ adversus purgantium injuriam, & obstandi ne Aloe referat orificia venarum sedis: Succus Absinthii confirmandi ventriculi gratiâ, & detergendi materias crassas, inducendi corpus Massæ, & ad species conservandas.

Qui formaturi sunt Massam cum Succo Absinthii & non Fœniculi poterint adjicere Pulveri tantum seminis, quantum anisi.

De mixtura sive componendi ratione.

SImul pulverizare debent Turpethum, Zinziber & Anisum. Myrobolani exemptis ossibus suis pulverizentur simul cum aliquot guttis olei, tam ad lubricas reddendum eas, corrigendamque earum asperitatem, quàm ad obstandum ne exhalent: pulverizentur autem cum Zinzibere, Turbith, Sena & Epithymo. Seorsim verò & accurate in pulverem redigantur Diacrydium & Trochisci Alhandal, propter Colocynthidem, Rhabarbarum, Mastichen & Lapidem Lazuli (ut dicemus ad Pilulas quæ hujus appellationem sumpserunt) Aloe & Agaricus cum lima aspera vel serra. Quod cum factum est, coquetur Succus cum Melle despumato in Syrupum, unde formetur (pulveribus jam in mortario permistis) massa manibus oleo inunctis in usum recondenda. Dosis est, ab una drachma ad sesquidrachmam.

Pilulæ Polychrestæ, seu Aggregativæ. D. M.

℞. *Aloes* Socotorinæ, *tanquam præstantioris, &*
Turbith optimi, utriusq; drach. sex.
Diacrydii, drach. quinq;.
Myrobalanorum Citrearum, &
Rhabarbari optimi, utriusq; drach. quatuor.
Succorum Eupatorii Mesue, *vel Agrimoniæ nostratis &*
Absinthii Pontici majoris, utriusq; drach. tres.
Myrobalanorum Cepularum, & Indarum,
Agarici albissimi,
Colocynthidis &
Polypodii querni. singul. drach. duas.
Masticches Chiæ,
Rosarum Rubrarum,
Salis Gemmei,
Epithymi Cretensis,
Seminis Anisi, &
Zinziberis, singul. drach. unam.

Cum Electuario Rosato Cholagogo, D. Mes. *forma massam.*

Paraphrasis.

HÆ pilulæ Authorem agnoscunt *Mesuen* ex eo quod scripsit, *in Distinctione decima sui Grabadin*, admodum usitatæ, quoniam Catholicæ sunt. Dicuntur *Polychrestæ*, quoniam cum delectu purgant tres humores, & multis usibus accommo-

dantur. *Aggregativæ* etiam, quia ab omnibus partibus humores corruptos in unum aggregent, quo facilius natura eos dejiciat. Basis Cholagoga, sunt Myrobalani Citrinæ, Aloe & Rhabarbarum, quorum segnities incitatur per Diacrydium. Phlegmagoga Basis, Myrobalani Cepulæ, Agaricus & Turbith: & eorum tarditas acceleratur per Colocynthidem. Melanagoga, Polypodium, Epithymum, & Myrobalani Nigræ, quorum operatio lenta, sicut reliquarum Basium incitatur Diacrydio & Colocynthide: Sal Gemmeus corrigit vitium Turbith, & Zinziber, Agarici: Anisum, Polypodii. Mastiche imponitur ad tutelam ventriculi, contra purgantium noxam. Rosæ in tutelam Hepatis. Succi ad incidendum & attenuandum materias crassas & viscosas: ad deoppilandum meatus obstructos tam jecoris quam venarum meseraicarum. Electuarium Rosatum Cholagogum *Mesues*, ad intendendam virtutem Basium, formam Massæ inducendam, & diutius usui conservandam. Qui hiis pilulis instructi sunt, omittere possint duas præcedentes descriptiones, & Imperiales. Dosis est ab una drachma ad sesquidrachmam. Nequaquam utiles sunt in æstate, neque morbis ineuntibus, ac ne illis quidem qui obstructionibus laborant, idque ob crassitiem Myrobalanorum. Contraria vero ratione, prosunt vere, autumno & hyeme: morbis etiam complicatis, humoribus antè concoctis & digestis.

De mixtura sive componendi ratione.

PRimo in loco, in pulverem redigere oportet, Turbith, Polypodium, Zinziber, Anisum, Myrobalanos & Rhabarbarum: dein adjicere Succos Absinthii, & Eupatorii desiccatos in vere, ita ut monstravimus in sectione secunda hujus Paraphrasis, quo siccitate sua facilè in pulverem reduci possint, ac tum demum, adjiciantur Rosæ & Epithymum. Singula seorsim pulverizare oportet, Aloen, Diacrydium, Trochiscos Alhandal (pro Colocynthide) Mastichen & salem Gemmeum, Agaricus radendus serra: vel etiam sumendi ejusdem Trochisci, quos facile pulverizare possis. Post, omnia in mortario permista subigantur cum Electuario Rosato, Descriptionis *Mesuæ*, quod paulo spissius est Syrupo, sed minus Opiatâ. Massa diu concutienda est in mortario, quo magis fermentetur; Tum demum in formam reducatur (manibus oleo Amygdal. dulcium inunctis) & aliquot diebus aeri exposita, includatur in aluta candida, vel membrana Pergamena oleo itidem inuncta: & usui recondatur in olla vitrea, sive terrea vitrata, non autem in Pixide.

Pilulæ de Agarico. D. M.

℞. *Turbith optimi drach. quinq.*
Pulveris Hieræ picræ simplicis. D. Gal. *drach. 4.*
Agarici albissimi drach. tres.
Colocynthidis, &
Sarcocollæ, utriusq; drach. duas.
Radicis Ireos,
Prassii albi, &
Myrrhæ, singul. drach. unam.

Cum sapa, Compone Massam usui recondendam.

Paraphrasis.

HÆ pilulæ non sunt *Mesuæi*, sed *Avicennæ*, *Fen. 10. libri tertii. Tract. primi cap. 40. de curatione Asthmatis*, à quo ille mutuatus est. Hîc adjecit ille plus Myrrhæ. Nam exemplaria *Avicennæ*, quæ in manibus habeo, non mentionem faciunt Myrrhæ, at vero *Bellunensis* & *Mesue*, qui fortasse habuerunt alia exemplaria, plus vel minus emendata quam mea, *impressa Venetiis & Lugduni*. Nomen sumpsere de Basi, Agarico cujus facultas infirma augetur Turpetho, Segnities in operando, excitatur Colocynthide correctâ, ut dicemus in sequenti Sectione. Pulvis Hieræ completæ, absque Melle, inditur ad munimentum ventriculi, contra earum nocumentum & promovendam operationem. Præcipuè autem Sarcocolla contra illud Colocynthidis, impediens lentore suo, ne illa ex acrimonia quam habet excoriet

venas

venas Meseraicas, inflametvé viscera. Porro virtus Basis ad pulmones deducitur, per Iridem & Prassium. *Mesue* adjicit Myrrham tam ad detergendam pituitam ibi detentam, & aliorum viscerum, quam ad resistendum putredini humorum. Sapa corrigit siccitatem purgantium, lenit & detergit, massæ corpus addit, & totam conservat. Dosis est duarum drachmarum ad summum.

De mixtura, sive componendi ratione.

RAdicibus Iridis & Turpethi media ex parte pulverizatis, adjicietur Prassium album siccum, quod unà est pulverizandum. Seorsim vero singula conterere oportet Agaricum Trochiscatum (meliorem quam non præparatum) similiter etiam Trochiscos Alhandal (pro Colocynthide) cum aliquot guttulis olei Violati vel Amygdalini. Myrrha, & Sarcocolla absque ulla additione facilè pulverizantur. Post adjicietur pulvis Hieræ, ut omnia simul subigantur cum sapa & formetur massa, uti sæpius dictum, usui reponenda. Non exhiberi debent infantibus, ætate admodum provectis, neque mulieribus gravidis, nec debilioribus quibuscunque.

Pilulæ Aureæ. D. N. Myrepsi.

℞. *Aloes* Socotorinæ, *seu optimæ, &*
Diacrydii, utriusq; drach. quinque,
Rosarum rubrarum, &
Seminum Apii, utriusq; drach. unam &
semissem,
Anisi, &
Fœniculi, utriusq; drach. unam & semissem.
Pulver. Hieræ picræ (hoc loco *Salern.* habet, Mastiches tantundem)
Croci, &
Colocynthidis, singul. drach. unam.
Muccaginis gummi Tragacanthi, q. s. formetur massa.

Paraphrasis.

EX inscriptione harum Pilularum, sicut etiam ex pluribus aliis locis, apparet *Nicolaum Myrepsum Alexandrinum*, parum in lingua Latina versatum fuisse, cum nominet eas *Aorias* pro *Aureas:* Tale enim nomen impositum illis fuit à *Latinis*, tam ob earum colorem velut auri fulvum, (ratione croci) quam ob præstantiam præ aliis Pilulis, sicut Auri inter alia metalla: Basis est Aloe, cujus virtus bilis dejectoria augetur Diacrydio: Pituitæ, Colocynthide. Crocus autem ingreditur muniendi cordis causâ contra nocumentum Colocynthidis & Diacrydii. Pulvis Hieræ sive, Mastiche (una æquè ac altera valet,) ventriculi gratiâ, Rosæ jecoris. Semina incidunt, & attenuant pituitam, dissipant flatus & per urinæ ductum serositates biliosas deducunt. Muccago Tragacanthi detergit, lenit, lubricámque reddit Colocynthidem, corpus addit massæ, & conservat species. Celeritas Diacrydii & Colocynthidis reprimitur tarditate Aloes, & contrà: Quidam suadent, imponere medietatem tantum ponderis requisiti Diacrydii, quia singula recepta, circiter unum scrupulum continent, quod nimium est, cum communis Dosis, juxta *Mesuen*, sit duodecim granorum: Talia verò argumenta invalida sunt.

Primum *Nicolaus*, requirit Diacrydii, quod nihil aliud est, quam Scammonium exutum acrimonia sua & malignitate, decoctione in malo Cydonio, ad dimidium. Secundo pilulæ hæ dicatæ sunt purgando cerebro, & partibus tertiæ regionis ab humoribus ibi contentis, quo medicamenta benigna pervenire nequeunt. Præterea, pharmaca violenta, parva in quantitate sumpta invalida sunt: quod si igitur una drachma integra nimia sit, subsistere oportet in semidrachma. Et si Pharmacopæus non habeat Diacrydium, loco quinque drachmarum, contentus esse debet duabus drachmis, & dimidia Scammonii: quod continet ad semiscrupulum, pro quaque drachma; quæ quantitas justa est, ad purgandum corpus delicatum.

De Miſtura ſive componendi ratione.

SImul conterenda ſunt ſemina & roſæ: ſingula verò ſeorſim, Colocynthis correcta, quam *Arabes* appellant *Alhandal*, quæ multo tutior eſt, quam non præparata (adeò ſubtilis poterit eſſe) Diacrydium, Aloe, Maſtiche & Crocus: Poſtquam omnes hii pulveres permiſti ſimul in mortario fuerint & ſubacti cum ſufficienti quantitate muccaginis gummi Tragacanthi extractæ cum aqua Roſarum, ſi ſumatur Colocynthis: maſſa recondetur ut monſtravimus. Quidam ſuadent pulveri adjicere ſemidrachmam gummi Tragacanthi ob Colocynthidem: & formare maſſam cum melle Roſato; quoniam humiditas mucilaginis quæ intra eſt, ſitum contrahit & rancidam facit maſſam, quæ paulò poſt adeò deſiccabitur, ut altera pars virtutis ejus Catharticæ diſperdatur: quod non illi eveniret, ſi formata eſſet cum melle Roſato; quod quidem veriſſimum eſt. Proinde ſi ſumatur Trochiſcorum Alhandal & Colocynthidis æquale pondus, non neceſſe fuerit adjicere gummi Tragacanthi in pulvere, & ſimiliter bene feceris, ſi maſſam formes cum melle Roſato, contraria verò ratione ſi acceperis Colocynthidem, injicies ſemidrachmam gummi Tragacanthi, & ſubiges pulveres cum melle roſato, & non cum mucaginibus.

Pilulæ Cocciæ, D. Rhaſis.

℞. *Pul. Hieræ picræ ſimplicis* D. Gal. *drach. decem.*
Turbith optimi, & *Stœchadis* Arabicæ, *utriuſq; drach.* 5.
Colocynthidis, drach. tres, ſcrup. unum,
Scammonii drach. duas, & ſemiſſem.
Cum ſyrupo Stœchad. vel ſuccus Abſinthii Meſuæi *præſcripto* in ſua praxi: *forma maſſam; uſui neceſſario.*

Paraphraſis.

HÆ Pilulæ inventæ ſunt à *Rhaſi*, ut videre eſt, *Cap.* 1. *Lib.* 9. quem *Almanſori* Regi *Perſarum* dedicavit. Nomen habent à *Coccos*, quod ſignificat granum, quod formentur rotundæ inſtar Piſi. Quidam (poſt *Gentilem* & *Matthæum de Gradibus*) ſuadent, duos ſcrupulos & dimidium potius quam duas drachmas & dimidiam Scammonii imponere, idque duabus de cauſis, putántque lapſus fuiſſe Impreſſorum. Altera etiam cauſa eſt, quod nimis validæ ſint, ut decima pars una vice exhibeatur ex Authoris ſententiâ. Hæ autem rationes non ſatis valent: *Meſue* enim qui *Arabs* fuit, & è *Rhazi* tranſcripſit eas (*in praxi ſua capite de Soda* quam *Græci* appellant *Cephalæam*, & nos, inveteratum capitis dolorem) verbatim (niſi quod ubique duplicet doſim medicamentorum, & poſt eum *Nicolaus Myrepſus*, *Cap.* 1. *Sectionis.* 32.) legunt omnes *duas drach. & ſemiſſem*, & non *duos ſcrupulos & ſemiſ.* Secunda eorum ratio ſimiliter male fundata eſt, quod ſupponit Author, malum inveteratum & magnum, cui benigna medicamenta non proſunt, & valida ſalutaria ſunt: Secundum *Hippocratem*, *Aphoriſmo ſexto primæ Sectionis*. Quod ad decimam partem attinet, quæ doſis eſt à *Rhaſi* ſuppoſita, facile eſt minus exhibere. De Hiera verò ſimpl. credo *Rhaſim* non aliâ voluiſſe quam deſcriptam à *Galeno*, *ſeptimo Methodi ſuæ & alibi* de qua ſatis abunde ſcripſimus *in Sectione præcedente*, potius quam unam à *Cordo* deſcriptam. Baſis eſt pulvis Hieræ ſimplicis in principio poſitæ, & in majori quantitate quam ulla alia: & de qua pilulæ aliæ ſuam non poſſunt appellationem ſumere, propter cauſas ſupra memoratas. Virtus Cholagoga intenditur Scammonio, Phlegmagoga Colocynthide & Turbith: operandi celeritas, retardatur Baſi. Syrupus Stœchadis & ejuſdem flos injiciuntur, tam ob cerebrum firmandum, quam ad alia viſcera, contra noxam Turpethi, Colocynthidis & Diacrydii: Ad incidendum etiam, attenuandum & detergendum Phlegma: ad aperiendum præterea, & addendum maſſæ corpus. Qui hiis pilulis inſtructi ſunt, uti iis poterint, vice illarum *de Sarcocolla*, quandoquidem ex ſimilibus medicamentis, præterquam Diacrydio, componuntur.

De

De Mixtura sive Componendi ratione.

Una terenda sunt Turbith & Stœchas: Per se verò Colocynthis & Scammonia: Dein permiscenda sunt cum pulvere Hieræ simplicis: ut subigantur cum Syrupo, unde formetur Massa, manibus oleo inunctis, quæ reponatur usui necessario, post aliquot dies quam aeri exposita fuit. Dosis est duorum scrupulorum, vel sesquidrachmæ ad robustos, ad morbos etiam magnos & inveteratos.

Pilulæ Catholicæ seu Imperiales. D. Fernelii.

℞. *Aloes* Socotorinæ, *unc. duas,*
Rhabarbari optim. unc. unam & semis.
Agarici Trochiscati &
Sennæ mundatæ, ana unciam unam.
Cinnamomi drach. tres.
Zinziberis,
Nucis Moschatæ,
Caryophyllorum,
Spicæ Nardi &
Mastiches ana drach. unam.

Cum Syrupo violato subacta, cogantur in Massam.

Paraphrasis.

Hisce imposui nomen (*Catholicæ*) descriptis à *Fernelio (lib. 7. suæ Methodi sub nomine, Imperiales)* quia hæc appellatio videatur mihi melior & accommodatior, ad virtutem earum universalem melius exprimendam, in purgando è corpore toto unam & alteram bilem atque adeo pituitam, quam Imperiales: Tamen in re exigui adeò momenti suum cuique liberum arbitrium permitto, denominandi eas vel *Catholicas* vel *Imperiales*, quando non multum refert, dummodo intelligantur sive hæ, seu illæ: & non peccetur in ægrorum fraudem & præjudicium. Basis quæ bilem spectat est Rhabarbarum: cujus vis infirma per Aloen & Canellam validior fi: tquæ Melancholiam respicit est Sena, cujus etiam facultas debilior, accrescit Caryophyllis & nuce Myristica. Pituita suam habet Basim, Agaricum: ac ipsius itidem virtus, invalida cum sit, Zinzibere addito invalescit: atque Aloe, *Authore Mesuæo.* Mastiche adjungitur ad tutelam ventriculi, contra Basium injurias: sicut Nardus Indica muniendi jecoris causa contra Aloem. Si tota Massa subigatur cum Syrupo Violato novem ex Infusionibus facto purgantior erit, quam quæ ex una vel duabus tantum: qui quidem Syrupus accipitur, tam ad contemperandam bilis acrimoniam & Basium siccitatem, quam ad Corpus Massæ acquirendum, conservandam ingredientium virtutem, reddendam eorum actionem vegetiorem. & reprimendam eorundem exhalationem.

De Mixtura sive Componendi ratione.

Seorsim pulverizare oportet Aloem cum aliquot olei guttulis, ne adhæreat mortario: Mastichem cum aquæ totidem, eandem ob rationem. Rhabarbarum & Agaricus Trochiscatus absque ulla humiditate simul poterint in pulverem redigi; poterint Zinziber itidem, Nardus Indica minutim incisa. Canella etiam, Caryophylli, Nux Moschata & Sena curiosè omni sorditie mundata. Deinde omnes in mortario pulveres commixti, cum Syrupo Violato ex novena infusione subigentur, ut antè descriptum est, in Massam, necessitati reponendam.

Pilulæ sine quibus esse nolo. D. N. Salernitæ.

℞. *Aloes optimæ lotæ, drach. quatuordecim.*
Scammonii probè triti, drach. sex & dimid.
Quinque' generum Myrabalonorum mundatarum,
Rhabarbari selecti,

Mastiches

Maſtiches,
Abſinthii Pontici majoris, ſeu vulgaris,
Roſarum Rubrarum,
Seminis vel florum Violarum,
Senæ mundatæ,
Agarici Trochiſcati, &
Sem. Cuſcutæ. ſingulorum drac. unam.

Diſſolve Scammonium Succo Fœniculi, & forma maſſam.

Paraphraſis.

HÆ Pilulæ hoc nomen ſortitæ ſunt, quod *Paterfamilias* illis carere non debeat ob magnas & raras virtutes electivè purgandi tres humores; Jure igitur nominari deberent *Catholicæ*. Baſim conſtituunt Myrobalani, quæ purgant bilem flavam, nigram & pituitam. Citrinarum virtus augetur Rhabarbaro: Cepularum, Bellericarum & Emblicarum, Agarico Trochiſcato & Aloe: Indarum vero Senâ. Tarditas earum incitatur Scammonio: & contrà Celeritas reprimitur Myrobalanis, Aloe & Rhabarbaro: Maſtiche immittitur ad munimentum ventriculi contra purgantium injuriam: Roſæ & Abſinthium ad tutandum Jecur: Violæ ad corrigendam aſperitatem & ſiccitatem Baſis: Cuſcuta & Succus Fœniculi ad aperiendum, detergendum, fortificandum Senam, & corpus Maſſæ acquirendum. Quibus hæ ſunt pilulæ omittere poſſunt *Arabicas*, eaſque *De generibus Myrobalanorum* nominatas, ſupra deſcriptas, quoniam blandiùs purgant & componuntur ex ſimilibus, quaſi medicamentis. Si Aloe illota fuerit, hæ Pilulæ purgantiores erunt, & convenient magis effectibus iis, qui illis attribuuntur: ſatis etiam corroborabunt viſcera, per aſtrictionem Myrobalanorum, Maſtiches, Roſarum & Abſinthii.

De Mixtura ſive componendi ratione.

SImul pulverizari debent Myrobalani, Rhabarbarum, Abſinthium, Cuſcuta, Roſæ & Violæ: Seorſim autem ſingula, Aloe, Scammonium, Maſtiche & Agaricus Trochiſcatus: qui vegetior eſt, tutior & innocentior quam non præparatus. Deinde diſſolvere oportet Scammonium Succi Fœniculi quantitate ſufficienti: poſt adjiciendi pulveres, ut ex omnibus formetur Maſſa (poſtquam probe concuſſa fuerit) reponenda: ſin minus Succo depurato adjicietur mel deſpumatum, ut fiat inde Syrupus, de quo formabitur Maſſa, ſicut dictum eſt. Doſis eſt ab una drachma ad ſeſquidrachmam.

Pilulæ Opticæ, ſeu Lucis majores. D. M.

℞. *Roſarum rubrarum,*
Sem. Violarum (quia potentius purgat flore)
Abſinthii Pontici, ſeu Romani, Idem,
Colocynthidis.
Turbith optimi.
Cubebarum.
Calami Aromatici veri, vel ejus qui in Officinis ſic nominatur,
Nucis Moſchatæ;
Spicæ Nardi,
Epithymi Cretenſis,
Carpobalſami, vel ſuccedanei ejus, ſem. Lentiſci vel Terebinthi. Cubebarum cum *Galeno.*
Xylobalſami, vel ſucced. ejus, ſurculorum Lentiſci (*Pena*) vel Sant. Citrini,
Seminum Seſeleos,
Rutæ,
Aniſi,
Fœniculi &
Apii.
Schœnanthi. i. floris Junci odorati.
Aſari,
Maſtiches Chiæ,
Caryophyllorum.
Cinnamomi, vel Canellæ ſelectæ.
Caſſiæ Lignea Aromaticæ, & non Purgatricis:
Croci, &
Macis, ſingul. drach. duas,
Quinq; generum Myrobalanorum, &
Rhabarbari optimi. ſing. unc. ſemiſſ.
Agarici albiſſimi, &
Senæ mundatæ, utriuſq; drach. quinq.
Euphraſiæ, drach. 6.
Aloes Socotorinæ, *ad pondus omnium.*

Compone Maſſam, cum Succo Fœniculi depurato.

Paraphraſis.

Paraphrasis.

HÆ pilulæ nomen ab effectis suis nactæ sunt, quia visum clarificent, purgantes à cerebro materias crassas & viscosas, quæ eum offuscant, oculósque corroborent. Cognomen *Majores* apponitur, ut discriminet eas ab aliis nomine consimilibus, quæ minores sunt virtute & numero medicamentorum, minúsque usitatæ. Affines sunt præcedentibus, *sine quibus*, nisi quod illæ plus pituitæ purgent, hæ vero bilis. Basim faciunt Myrobalani, à quibus tamen appellationem non sumpserunt, quippe cum ab aliis nominatæ essent. Virtus Cholagoga per Myrobalanos Citrinos auctior redditur Aloe, & Rhabarbaro. Melanagoga Myrobalanorum Indorum seu Nigrorum incrementum habet, per Epithymum & Senam. Phlegmagoga Myrobalanorum Cepularum, Bellericarum & Emblicarum intentior fit per Aloen Agaricum, & Turbith. Colocynthis ob celeritatem suam, pro vehiculo est tam Basi quam aliis purgantibus: & vicissim, Crassities Myrobalanorum, reprimit suam violentiam & celeritatem, Virtus earum purgatrix fertur ad cerebrum adminiculo Cubebarum, Macis, & Caryophyllorum; ad oculos, Euphrasiæ & succi Fœniculi. Alia medicamenta aromatica, & semina imponuntur, tam ad incidendum & subtiliandum pituitam crassam, ad flatus discutiendos, reserandósque meatus obstructos, quam ad resistendum noxæ Basis, Agarici, Senæ & Colocynthidis, ad fortificandam etiam Aloen, Turbith, Senam, Epithymum & Agaricum. Mastiche additur ad tutelam ventriculi, contra nocivam purgantium vim. Crocus ad cordis, Nardus Indica & Scœnanthos ad Hepatis munimentum: Rosæ & Violæ ut corrigant calorem & siccitatem: succus Fœniculi & Absinthii detergent phlegma: & Asarum perducit illud unà cum bile per ductum urinæ, auxilio accedente seminum aperientium.

De Mixtura, sive componendi ratione.

COntundere oportet Xylobalsamum vel succedaneum eius lignum Aloes, sive Santalum Citrinum, seu lignum Lentisci vel Terebinthi *(Pena)* Dein adjungendum Turbith: Paulò post, injiciendum Asarum, & Nardus Indica concisa: Cortices Cannæ odoratæ, & Canellæ. Huic autem media ex parte pulverizatæ, adjicientur Caryophylli, Schœnanthos (quoniam longiorem trituram perfert) fructus & semina: Postremò Absinthium, Euphrasia, Rosæ, Violæ, Sena, Nux Moschata, Macis & Epithymum. Seorsim in pulverem redigantur, Myrobalani cum aliquot olei guttis, tam ad emendandam earum asperitatem & siccitatem, quam ad inhibendum subtiliores earum partes ne exhalent; Rhabarbarum, Mastichen, Crocum, Colocynthidem, Agaricum Trochiscatum, & Aloem. Hoc facto, in mortario hæc commisceas: Postea in mortario ea commiscebis ac tum demum, cum syrupo (facto è succo Fœniculi, & melle depuratis) subiges & concuties diù in mortario, ut hac ratione citius fermententur: atque ita formabis massam manibus, & aluta simul candida, oleo inunctis, ut usui tandem recondatur. Dosis est ab una drachma ad sesquidrachmam.

Pilulæ de Fumaria. D. Avicennæ.

℞. *Myrobalanorum Citrinarum,*
Cepularum, &
Indarum,
Scammonii Antiocheni, *singul. drach. quinque,*
Aloes Socotorinæ, *drach. septem.*

Cum succo Fumariæ bis formetur massa, & tertio cum syrupo Fumariæ, & reponatur usui,

Paraphrasis.

HÆ Pilulæ suum nomen sumpserunt à succo fumariæ depurato, quæ ab inventore suo *Avicenna* describuntur, *Fen. 7. Lib. 2, Tract. tertio, Cap. 7.* dum tractat curati-

curationem Pruritus & Scabiei. Earum Basis est Scāmonium, cujus celeritas & tenuitas, reprimitur per Myrobal. & Aloen, que astrictione sua confirmant viscera, eadémque quod ad nocumentum suum attinet, per succum illum corriguntur, reserando videlicet Hepatis venas quas obstruunt: quod in causa est, quare *Avicenna* voluit massam ter cum eodem succo subigi. Nos autem contenti erimus binis vicibus, & ut tertia perficiatur cum syrupo ex ejusdem succo Fumariæ confecto, idque ne massa desiccetur, sed conservetur diutiùs.

De Mistura sive Componendi ratione.

SImul pulverizandæ sunt Myrobalani, eædemque pauco Violarum oleo seu Amygdalarum dulcium imbuendæ, tam ad earum asperitatem & siccitatem corrigendam, & lubricitatem illis inducendam, quam ad inhibendam earum exhalationem. Seorsim verò terenda sunt Scammonium & Aloe, itidémque cum aliquot guttulis succi Fumariæ depurati ad solem, aut super ignem, bis imbuenda: ultima tandem vice cum syrupo conficiendo ex alio succo, & melle despumato subigenda, unde formetur massa, usui recondenda.

Pilulæ de Eupatorio majores. D. M.

℞. *Aloes optimæ, drach. quinque,*
Rhabar. selecti, drach. tres & semissem.
Myrobalanorum Citrearum,
Succorum Eupatorii Mes. vel hujus defectu *Græcorum, &*
Absinthii Pontici, singul. drach. tres,
Mastiches Chiæ *drach. unam,*
Croci drach. dimidiam.
Cum succo Intybi, (id est, Endiviæ Sativæ) *depurato, compone massam.*

Paraphrasis.

HÆ Pilulæ non sumpserunt nomen à Rhabarbaro Basi sua, ob sequentes quæ appellationem ex eo acceperunt suam: sed de succo Eupatorii, sive Hepatorii, quasi tota natura sua jecori convenientis, & cujus gratiâ compositæ fuerunt. Verum quidem est, quod Eupatorium à *Mesue* descriptum dissimile est illi *Græcorum*, vulgò dicto *Agrimonia*. Quibus non in promptu est illud *Mesuæi* (quod est *Ageraton Dioscoridis*, si credamus *Matthiolo*) licet illis facilè Agrimoniam sumere vulgarem: quandoquidem optimè convenit frigidis hepatis morbis, hydropi & aliis: virtus infirma Rhabarbari augetur per Aloen & Myrobalanos. Succi Eupatorii & Absinthii, ab humore suo superfluo desiccati (sicut diximus *in Sectione secunda*) imponuntur tam ad deducendam virtutem purgantium ad jecur, quam ad corroborandum illud. Crocus additur cordis causa, & ut digerat præparétque humores expulsioni. Mastiche muniendo ventriculo & corrigendæ noxæ ab Aloe: succus Endiviæ injicitur, ad emendandum calorem hepatis, & purgantium, totíque massæ corpus inducendum.

De Mixtura, sive componendi ratione.

MYrobalanis & Rhabarbaro contusis, adjiciendi sunt succi Absinthii & Eupatorii desiccati, ut simul in pulverem redigantur. Per se in Pulverem vertenda sunt, Aloe, Mastiche & Crocus, deinde simul permiscenda, ut inde cogatur massa, cum syrupo ex multo succo facto, & pauco mellis despumati, quæ usui necessario recondatur. Dosis est ab una drachma, ad binas.

Pilulæ de Rhabarbaro, D. M.

℞. *Pulveris Hieræ picræ simpl.* D. Galeni, *drach. decem.*
Myrobalanorum Citrearum, &
Trochiscorum Diarrhod. utriusq; drach. tres & semissem.
Ravedsceni, i. Rhabarbari, drach. tres,
Succorum

Succorum Glycyrrhizæ, &
Absinthii Pontici majoris seu vulgaris.
Mastichis Chiæ *singul. drach. unam.*
Seminum Apii &
Fœniculi, utriusq; drach. semiss.

Cum Succo Fœniculi depurato, forma Massam.

Paraphrasis.

QUamvis Rhabarbarum, & Ravedsceni unum idemque sint : tamen *Mesue in Distinctione decima,* duas dedit descriptiones Pilularum : unam cognomine *De Rhabarbaro,* quæ hæc ipsa est : alteram *de Ravedsceni,* prorsus dissimilem, numero medicamentorum & purgantium. Hæ autem non magis quam illæ *Rhasis lib. 9. cap. 69.* ubi tractat curam Hydropis : minimè sunt in usu, idque ob Mezereon, quæ est *Thymelæa Dioscoridis,* & ingreditur massam in quantitate satis magnam, atque venenosa suâ qualitate vitiat hepar, unde Hydrops. Hæ autem quæ nomen acceperunt de Rhabarbaro, valde usitatæ sunt, quod benignis compositæ sunt Medicamentis & congruis ei, quod *Mesue* recitat, nec possint viscera corrumpere, sed ea in pristinum statum reducere, dummodo adhibeatur id quod doctus & expertus medicus consulerit. Harum Basis est Rhabarbarum, unde illis nomen quarum facultas debilior augetur per pulverem Hieræ & Myrobalanos, crassities corrigitur per Semina aperitiva, incisiva, attenuativa, & Carminativa flatuum : Siccitas emendatur per Succum Glycyrrhizæ : Segnities in operando excitatur per Succos Absinthii & Fœniculi, qui (seminum ope) deobstruunt hepar. Trochisci Diarrhodon corroborant illud, uti & Mastiche ventriculum. Dosis est ab una drachma ad duas : Qui hasce paratas habent, minus requirere poterint illas de Eupatorio, & vice versa.

De Mixtura sive componendi ratione.

SUcci deficcati, quâ ratione dictum est, facile possunt cum Rhabarbaro seminibus & Myrobalanis pulverizari. Seorsim in pulverem reduci possunt Trochisci & Mastiche, dein cum pulvere Hieræ commisceri, ut subigantur cum Syrupo de Fœniculi Succo depurato, facto, & pauco Melle despumato, unde formetur Massa (ut dictum est) usui reponenda.

Pilulæ Indæ Haly. D. M.

℞. *Caryophyllorum drach. unam.*
Succi Eupatorii inspissati, &
Spicæ Indicæ, utriusq; drach. duas.
Agarici albissimi.
Lapidis Cyanei. i. *Lazuli* loti tantum, & non usti.
Colocynthidis, &
Salis Indi vel (ejus penuriâ) Gemmei, *singul. unc. dimidiam.*
Myrobalanorum Indarum, seu Nigrarum.
Ellebori nigri veri, & non adulterini.
Polypodii querni. singul. drach. quinq.
Epithymi Cretensis *&*
Stœchadis Arabicæ, *utriusq; drach. sex.*
Pulveris Hieræ Picræ simpl. D. Galeni *drach. duodecim.*

Cum Succo Apii depurato compone Massam.

Paraphrasis.

MEsue has Pilulas cuidam *Haly* acceptas refert : quis autem hic fuerit *Haly,* hariolari non possum : Per aliquot dies, hanc descriptionem, in meo *Haly Abbatis filio* perquisivi, quam ibidem reperire non potui. *Indæ* nominantur ratione *salis Indici* (cujus vice accepimus nos *Salem Gemmeum :* quoniam hodie quod sciam verus ille non ad nos apportetur, qui niger sit, ad rubedinem quandam accedens) & Myrobalanorum nigrarum seu Indicarum, quæ satis bona in quantitate ingrediuntur. *Mesue, capite de Elleboro nigro* describit eas parum discrepantes. Basis est Elle-

borus niger & verus, non adulterinus, satis frequens: vis cujus Melanagoga, per lapidem Lazuli intenditur, lotum illum quidem, sed non ustum (ut facultas ejus quæ vomitoria est corrigatur, purgatrix autem quæ hic requiritur, permaneat) per Epithymum etiam & Polypodium: virtus autem horum infirma cum sit, fortior redditur per salem Gemmeum: Jam vero Colocynthis inditur & ad augendam Basis virtutem phlegmagogam: & ad perducendam eam ad tertiam regionem: sicut Agaricus in primam & secundam. Pulveris Hieræ major quantitas additur, ut resistat nocumento Basis, & violenter purgantium: ut fortificet etiam ventriculum, promoveatque in melius eorum operationem: quorum Celeritas, per Myrobalanos reprimitur. Garyophylli locum habent suum roborandi Cordis & Cerebri causâ: uti Nardus Indica, hepatis. Stœchas virtutem Basis eamque purgatricem deducit ad Cerebrum & viscera, quibus accommodatissima est. Succi injiciuntur, ad deoppilandum, ad incidendum, attenuandum & detergendum humores terrestres (qui ut plurimum in liene subsistunt) partemque aliquam eorum deducendum per vias urinæ: ad inducendum etiam corpus massæ, & conservandum species. Dosis est a drachma una ad quatuor scrupulos, robustioribus.

De mixtura sive componendi ratione.

SUccus Eupatorii desiccatus à superfluo humore suo, nullo negotio in pulverem redigetur unà cum radicibus incisis, cum Carophyllis etiam, Stœchade, Myrobalanis & Epithymo. Seorsim verò in pulverem oportet vertere, Salem Gemmeum, Colocynthida, Agaricum trochiscatum & Lapidem lazuli, lotum non calcinatum: dein adjicere pulverem Hieræ: ut in mortario subigantur cum Apii Succo depurato & Melle despumato, & cogantur in Massam, manibus oleo inunctis: quæ cum per aliquot dies permanserit in umbra, reponetur ut dictum est, usui necessario.

Pilulæ è Lapide Lazuli. D. M.

℞ *Scammonii* Antiocheni.
Ellebori nigri veri & non adulterini.
Salis Indi aut Gemmei, *singul. drach. duas & semissem.*
Caryophyllorum &
Seminis Anisi, utriusq; unciam dimidiam.
Lapidis Cyanei seu lazuli loti & non usti, *drach. semissem.*
Epithymi Cretensis,
Polypodii querni, &
Agarici albissimi. singul. unc. unam.
Pulveris Hieræ simplicis. D. Galeni, *drach. quindecim.*

Cum Succo Intybi i. *Endiviæ depurato & Syrup.* Saporis. *forma Massam.*

Paraphrasis.

HÆ Pilulæ asciverunt sibi nomen a Basi sua, Lapide lazuli. (Reperiuntur autem ejus veri segmenta aliqua seu frustula, in fonte quodam de *Levigan*, regione *Sevenes*, cum notis illis, quas ei attribuit *Dioscorides*) cujus vis Melanagoga fit auctior per Elleborum nigrum, & Scammonium. Quorum in operando Celeritas moderatur tarditate Polypodii & Epithymi: quæ deducunt ea ad lienem, sedem Melancholiæ: sicut Agaricus in Cerebrum & viscera, qui corrigitur & fortior redditur per Salem Gemmeum. Anisum additur ad incidendum & attenuandum humores terrestres, discutiendum flatus, & bonum odorem conciliandum: Pulvis Hieræ ad *firmandum* ventriculum, contra noxam purgantium violentorum: Caryophylli cordis gratiâ, & comparandi Corpus Massæ, conservandique species in vigore suo: vel loco ejus pulveres subigendi sunt cum Syrupo de Pomis, supra descripto: Dosis est quatuor scrupuli. Qui apud se habent *Pilulas Indas* præcedentes, facilè possint has præsentes negligere. Et contrà, qui his instructi sunt, minus curare poterint præcedentis illas quæ præferunt nomen *Lapidis Armeni*, quod non differant vel parum admodum in virtute.

De

De Mixtura, sive componendi ratione.

MIxtura consimilis est præcedenti ad *Pilulas Indas*, expositæ: Quare, contentus ero, hic aliquid dicere, de Præparatione Lapidis Lazuli. *Cur præparatur lapis Lazuli.*

Præparamus nos, lapides Lazuli & Armenium, ad auferendum illis quod nostris consiliis adversatur. Virtus hic quæsita, est purgatrix & corroborans, contraria vero est vomitoria quæ lotione exuitur, & aliæ duæ retinentur. Quod si vomitoria & purgatrix vis contraria sibi invicem adsint, ut in Confectione Alkermes, calcinari oportet, post lavari, sic corroborans virtus superierit: authore *Tralliano* ad finem primi *libri*, & *Mesue*, cum igitur sola virtus vomitiva contraria nobis sit, de mente Authoris nostri, lavare oportet eum & non urere, in hunc qui sequitur modum.

Accipite Lapidis lazuli quantum vobis videbitur, quem in mortario marmoreo conteretis, cum pistillo exere vel alio metallo: deinde cum aquâ clarâ diu inter terendum agitabitis eodem cum pistillo: post residere permittetis, & effundetis aquam, deinde in altera aqua agitabitis, & facietis ut dictum est: sic continuando toties dum aqua effluit clara, & exuerit acrimoniam suam lapis, cum siccatus sit. Si decies iterare sufficiat, quid opus est quinquagesies? Si æstas sit, quovis die semel aut iterum lavare poteris: sic continuando, diebus insequentibus, donec sufficit. Hac ratione, tutus erit illius usus, aliàs minime. *Quomodo lavari oportet lapidem Lazuli.*

Pilulæ Fœtidæ majores. D. M.

℞ *Sagapeni*, vulgò *Serapini*,
Ammoniaci,
Opoponacis,
Bdellii,
Colocynthidis,
Seminis Pegani. i. *Rutæ agrestis*, & *Harmel* Arabum.
Aloes Socotorinæ, *tanquam præstantissimæ*, &
Epithymi Cretensis, *sing. drach. quinq.*
Turbith optimi drach. quatuor.
Scammonii Antiocheni, *drach. tres*,
Alscebram, i. *Esulæ præparatæ in aceto*,
Hermodactylorum, utriusq; drach. duas,
Zinziberis, drach. unam. & semissem,
Cinnamomi seu Canellæ selectæ,
Spicæ Indicæ,
Croci, &
Castorii, singul. drach. unam,
Euphorbii scrupulos duos.

Dissolve Gummi succo Porri, & compone massam.

Paraphrasis.

QUamvis *Rhasis, lib. 9. Cap. 7. Serapion, Haly*, & *Mesue in suo Antidotario*: & in curatione universali Morborum Nervorum, in scripto nobis reliquerunt plures descriptiones Pilularum fœtidarum, usus tamen obtinuit, ut hæ solæ approbentur. Quæ nomen habent Gummium fœtidorum quæ ingrediuntur eas, vel quia expellunt è corpore, humores fœtidos & corruptos (& opinio quidem hæc æque ac altera cum veritate consentit.) Cognomen autem asciverunt ut ab aliis differrent, quæ minores sunt, & virtute, & numero medicamentorum. Basis est Colocynthis: cujus celeritas augetur per Euphorbium & Scammonium: eadémque reprimitur tarditate & crassitie Aloes. Epithymum & Turbith, Hermodactyli & Esula deducunt virtutem eorum ad juncturas sive Articulos. Gummia imponuntur magna satis in quantitate ad corrigendum impetum, & malignitatem Catharticorum violenter purgantium, & lentore suo impediendum, quo minùs excoriarent membranas internas ventriculi & intestinorum, aperiénsque ora venarum excitarentque hypercatharses & dolores extremos, neve citiùs quàm par sit perveniant ad partes remotas à centro: sicut etiam ad eorum actionem in melius promovendam. Et quoniam talia Cathartica violenta cum sint, cor, ventriculum, jecur & alia viscera lædere nata sunt; Crocus ingreditur in subsidium cordis, Nardus Indica in tutelam hepatis, & Zinziber ventriculi. Canella demum ut resistat putredini humorum. (*Galenus octavo de Medicamentis localibus libro.*) Castorium resistit deleteriæ eorum qualitati,

cerebrúmque nervorum fontem corroborat: Semen Rutæ, Zinziber & Porrorum ſuccus incidunt attenuántque pituitam craſſam, ſpiſſam & viſcidam, diſcutiunt flatus & detergent, corpus maſſæ addunt & totum conſervant. Doſis eſt ab una drachma, quatuor ad ſcrupulos: corpore ante convenit præparato, & non alioqui: quibus harum pilularum copia eſt, minus requirere poſſunt eas quæ denominantur à *Colocynthide*, eáſque itidem quæ nomen præ ſe ferunt, *Opopanacis, Sagapeni ſeu Serapini*, adjiciendo illis Myrobalanos, quia componantur ex ſimilibus, ut plurimum, medicamentis. Quod ad miſcendi, ſive componendi rationem attinet, non diſſimilis eſt miſturæ ſubſequentium, quas nunc declarabimus.

Pilulæ de Hermodactylis Majores, D. M.

℞. *Hermodactylorum*,
Aloes Socotorinæ *tanquam præſtantiſſimæ*,
Myrobalanorum Citrearum,
Turbith optimi,
Colocynthidis,
Bdellii Thebaici *ſeu optimi, &*
Sagapeni vulgò, *Serapini. ſing. drach. ſex.*
Caſtorii,
Sarcocollæ,
Euphorbii,
Opopanacis,
Sem. Rutæ agreſtis, ſeu domeſticæ, vel Harmel, &
Apii, ſing. drach. tres.
Croci optimi, drach. unam & ſemiſſem.
Cum ſucco Braſſicæ depurato, forma maſſam, uſui reponendam.

Paraphraſis.

HÆ Pilulæ, de Baſi ſua Hermodactylis nomen ſumpſerunt, poſitis in principio: cognomen verò [*Majores*] ad differentiam ab aliis conſimili nomine, numero medicamentorum minoribus quæ non in uſu ſunt: Purgatrix earum facultas intra primam regionem continetur, per Aloem, & Myrobalanos: deducitur ad ſecundam per Turpethum; & in tertiam, per Colocynthidem, Euphorbium & Sagapenum. Cita horum trium operatio reprimitur tarditate Myrobalanorum, Aloes & Turpethi. Et contrà Opoponax & Bdellium imponuntur ob rationes in præcedentibus expreſſas; ſicut etiam Caſtorium. Myrobalani induntur contrà injuriam Aloes: atque ut aſtrictione ſua fortificent ventriculum & hepar: Crocus, cordis gratiâ, adverſus nocumentum à Catharticis violentis. Sarcacolla, ut noxæ Euphorbii occurrat. Semina ad incidendum phlegma, diſſipandos flatus, & derivandas (ope ſucci Braſſicarum) ſeroſitates biliоſas, per ductus urinæ. Qui habent in officinis ſuis has pilulas omittent eas quæ denominantur *ab Euphorbio*, à *Meſue* deſcriptas: quod illæ conſimiles fere habeant virtutes. Doſis erit ab una drachma, ad quatuor ſcrupulos.

De Miſtura, ſive componendi ratione.

TUrpetho media ex parte pulverizato, adjicere oportet Hermodactylos, ſemina, Myrobalanos & Bdellium, ſi ficcum ſit (ſin minus ſolvitur cum liquoribus) & caſtorium. Seorſim pulverizari debent, Aloe, Crocus. Sarcocolla, Colocynthis, & Euphorbium cum una Amygdala, ne offendant eum qui redacturus ea eſt in pulverem. Hic autem Euphorbii pulvis non adeò ſubtilis eſſe debet ut aliorum: ob rationes quas *Meſue* ſcribit, *capite proprio, libri Simplicium purgantium:* deinde permiſceri debent. In ſucco diſſolvere oportet, Opopanacem, & Bdellium ſi molle ſit ac recens, & Sagapenum, poſt colare, & coquere in mediocrem conſiſtentiam, deinde adjicere omnes pulveres ut diù concutiantur & tundantur in mortario ictibus piſtilli, & inde formetur maſſa manibus oleo inunctis, quæ parum ſiccata, uſui recondetur.

Pilulæ

Pilulæ Arthriticæ. D. N. Salernitæ.

℞. *Hermodactylorum,*
Turbith optimi, &
Agarici albissimi, singul. unc. dimidiam.
Cassiæ ligneæ Aromaticæ non purgatricis.
Spicæ Nardi,
Caryophyllorum,
Xylobalsami aut succedanei ejus surculorum Lentisci aut Terebinthi,
Carpobalsami, aut succedanei ejus seminis Lentisci aut Terebinthi.
Macis,
Galangæ tenuioris qualis ex *China* adfertur,
Zinziberis,
Mastiches,
Assæ fœtidæ,
Seminum Fœniculi,
Anisi,
Saxifragiæ,
Asparagi,
Rusci, vulgò *Bruscì, &*
Lithospermi. i. *Milii solis,*
Rosarum, &
Salis Gemmei, singul. drach. duas.
Scammonii Antiocheni. *unc. unam.*
Aloes Socotorinæ, *seu optimæ, ad pondus omnium.*

Confice Massam cum Succo Fœniculi, vel Iuæ Arthriticæ, seu Chamæpityos depurato, & repone usui.

Paraphrasis.

HÆ pilulæ *Salernitani* sunt & non *Myrepsi*. quæ nomen acceperunt ab Articulis sive Juncturis, quæ *Græci* appellant ἄρθρα, quibus adaptantur. Basim faciunt Hermodactyli: quorum virtus infirmior augetur Turpetho & Agarico: horum autem sale Gemmeo & Zinzibere, quæ cum aliis medicamentis Aromaticis, omnia viscera corroborant, adversus noxam Basis Agarici & Turpethi, quorum actionem meliorem reddunt, & peculiariter Mastiche inditur ventriculi gratiâ, Nardus Indica, Jecoris. Scammonium hic imponitur, ut pro vehiculo sit Purgantibus, Aloe, & Basi: Semina ad incidendum & attenuandum pituitam, dissipandum flatus, & deducendum per ductus urinæ serositates, quæ vehiculi modo inserviunt humoribus glutinosis & terrenis, dolores creantibus. Assa fœtida inditur detergendo phlegmati, & lentore suo resistendo noxæ Scammonii, & Aloes, quæ acrimonia sua venas mesenterii aperit, & sedis, excoriatque ventriculum & intestina. Rosæ adhibentur, ut contemperent totius compositionis calorem. Succus Chamæpityos, specifica & essentiali forma sua, perducit virtutem Basis & aliorum purgantium ad junctûras, corpus massæ adsiscit, & virtutem ipsius conservat. Dosis est ad summum sesquidrachma.

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimum confringere & conterere oportet Xylobalsamum, vel ejus succedaneum Lignum Aloes, vel Santalum Citrinum, vel etiam Lentiscinum aut Terebinthinum, dein adjicies Turbith, & Galangam: Paulo post Zinziber, Nardum Indicam concisam, Caryophyllos, Canellam & Assam fœtidam exactè mundatam: quæ in parva quantitate, una cum aliis facilè pulverizabitur: His media ex parte pulverizatis & cribro trajectis, impones Semina & fructus, Hermodactylos, Macim & Rosas. Seorsim pulverizari debent Agaricus radula sive serra comminutus, Mastiche, Sal Gemmeus, Scammonium & Aloe. Deinde pulveres permiscebuntur, in mortario, & diu pistilli ictibus contundentur & subigentur cum Syrupo de industria facto ex Succo Fœniculi vel Chamæpityos & Melle despumato: Tum demum formetur Massa, ut dictum est, usui recondenda. Qui in officinis suis habituri sunt paratas has pilulas, uti illis poterint, loco *Benedictarum*, quoniam ex iisdem fere componantur medicamentis & facultate consimilibus.

Hactenus de pluribus variisque Pilularum generibus, tam ad incrassanda Rheumata & sedandos dolores, quam ad purgandum clementer, mediocriter & violenter humores, qui poterint esse, in prima, secunda & tertia regione, hæc dicta sunto.

Sequitur de Trochiscis.

Sectio

Sectio. IX.

De Trochiſcis.

De Trochiſcis in genere.

VOcabulum *Trochiſcus* venit à *Græco* Τροχίσκος. i. *Rotula.* Aliquoties etiam appellatur à *Græcis* Κυκλίσκος. i. *Parvus Circulus* ſeu *Orbiculus.* Quandoque ἀρτίσκος .i. *Parvus panis* ſeu *Paſtillus :* Prior appellatio *Græca,* & non *Latina* in hodiernum diem invaluit.

Medicamentum hoc eſt ex multis aliis pulverizatis compoſitum, & liquore aliquo convenienti, ſive vino, ſeu aqua deſtillata, Succo mucilaginum, Gummi aut liquore ſoluto comprehenſum, idque forma ſolida, ut virtus illius diutius perduret : figurâ rotundâ, unde acquiſivit nomen : pondere unius drachmæ, ſæpiùs, aut minore, ad arbitrium vel ex ſententia Pharmacopœi : deſiccatus ut plurimum in umbra, ſive loco ſubdiali, calido & ſicco, à pulvere & omni alia ſorditie immuni : conditus in vaſculis vitreis, vel fictilibus vernice politis, potius quam ſtanneis, ob plumbum quod ſiguli immiſcent: quæ probè obturata ſint, ne virtus eorum exhalet uſque ad tempus neceſſitatis. Differentia eorum talis eſt qualis Pilularum : alii enim incraſſant humores, alii alterant, alii purgantes, alii Alexiterii, ut particularius declarabimus.

Diviſio Trochiſcorum.

De Trochiſcis incraſſantibus inſpecie.

Trochiſci Bechici nigri.

℞. *Succi Glycyrrhizæ, &*
Sacchari albi, utriuſq; aureos ſex, ſeu unciam unam.
Amyli,
Tragacanthi, &
Amygdalarum dulcium mundat. ſing. drach. quatuor.
Muccaginis ſem. Pſyllii, vel Cotoneorum aqua Roſarum extracta q. ſ.
Fiant Paſtilli ſigillati.

Paraphraſis.

De Trochiſcis Incraſſantibus.

Meſue in Practica ſua, & Cap. de Tuſſi à materia calida & ſicca, proveniente, hos Trochiſcos deſcribit, quos appellat Pilulas ſublingues, quod dum teneantur ſub lingua & non mandantur, liquefieri blandè permittuntur : qui nomen ab effectu ſumpſerunt, cognomen autem à colore nigro, ratione ſucci Glycyrrhizæ, Baſis ſuæ. Aſtrictio eorum intenditur mucilaginibus Cydoniorum vel Pſyllii : Incraſſans virtus, Amylo & Gummi Tragacanthi : detergens & leniens facultas, Amygdalis dulcibus & Saccharo albo. Quidam adjiciunt Styracem Calamitem, vel aliud quidpiam quod neceſſarium eſſe ſciunt pro occaſionibus quæ ſeſe è re nata offerunt, quas exhibent. Quod minimè Pharmacopœis permittitur, Medicis non conſultis : qui hiiſce præſentibus contenti eſſe debent : quod palato grati ſint, & in craſſandis Rheumatiſmis qui in pectus decumbunt, & detergendo illi, quod jam defluxit excellunt. Hoſce huic ſectioni potius inſerui, quam precedenti, quoniam hodiè formantur & ſigillantur, notis pro libito factis, & in forma rotularum ſive paſtillorum quos appellavimus Trochiſcos, potius quam Pilularum.

De

De Miſtura, ſive miſcendi, aut componendi ratione.

AMygdalæ ſuis pelliculis mundari debent, tum concidi cultello ſeu cultro ſutorio, ſupra chartam candidam, quam minutiſſimè: Poſtea rurſus in ſubtiliorem formam reducendæ in mortario marmoreo, cum Amylo & Saccharo albiſſimo. Seorſim autem in pulverem reduci oportet, Succus Glycyrrhizæ & Gummi Tragacanthi in mortario cum piſtillo ex ære utriſque calidis, quæ poſt ponderanda ſunt, & non antè, decidui causâ. Dein omnia commiſcenda ſunt, & ſubigenda cum mucilagine (ſeminum Cydoniorum, ſive Pſyllii, ſive amborum ſimul in aqua Roſarum) in formam paſtæ, quæ extenſa ſuper candidam papyrum diſſecabitur in minutas particulas, rotundas & ſignatas ſiccatáſque in umbra, uſui reponendas.

Trochiſci Bechici albi, Incerti Authoris.

℞. *Pulveris Iridis* Florentiæ, & *Amyli, utriuſq; unciam unam, & dimidiam.*
Sacchari Chryſtallini, &
Penidiarum, utriuſq; uncias quatuor.
Sacchari albi, lib. unam.
Cum Muccagine Gummi Tragacanthi, aqua Roſarum extracta forma paſtillos, ſigillo aliquo (ſi vis) obſignatos, qui ſiccati uſui reponantur.

Paraphraſis.

DE Authore horum Trochiſcorum ſeu Pilularum ſublinguium, qui nomen & cognomen ſuum ab effectis & colore ſicut præcedentibus ſumpſerunt, nobis non conſtat, qui nihilominùs, multum in uſu ſunt, & admodum probati. Baſis eſt Iris *Illyrica*, ſeu ejus loco *Florentina* inciſiva, attenuativa & deterſiva materiarum craſſarum & viſcidarum, in pulmonibus & pectore congeſtarum: Virtus detergens augetur per ſaccharum & Penedias; Amylum & Tragacanthum imponuntur, tam ad incraſſandum tenues defluxiones, quam ad corrigendam aſperitatem & ſiccitatem trachææ arteriæ ab illis provenientes, & corpus paſtæ acquirendum.

De mixtura ſive componendi ratione.

MIſtura & Repoſitio, non diſſimilis eſt præcedentibus. Hoc in loco & alibi noſtros Pharmacopœos rogatos velim, ut magis de ſuo ipſorum honore & fama ægrorúmque commodo & ſalute, quam proprio quæſtu ſuo ſoliciti ſint, potius hos ſublingues trochiſcos, ſicut ſupra dictum eſt, componant, quam cum tanta quantitate Amyli & Sacchari albi, ſine Iride & Saccharo Cryſtallino, quod factitare ſolent.

Trochiſci Ramich. D. M.

℞. *Succorum Rumicis*, i. *Acetoſæ*, vel ejus loco ſucci Cydoniorum, immaturorum, *uncias ſedecim.*
Succi Baccarum Myrti, uncias quatuor,
Omphacii, i. *Agreſtæ drach. ſeptem.*
In hiiſce ſuccis parum bulliant
Gallarum Cypreſſi recentium, curiosè tritarum unc. tres,
Baccarum Myrti contuſarum, unc. duæ,
Roſarum rubrarum unc. una,
Colaturæ immitte ſequentem pulverem.
Santali Citrini, drach. decem.
Gummi Arabici unc. unam & ſemiſſem,
Roſarum rubrarum, &
Carnis Rhois, i. *Sumach, &*
Spodii, ſingul. unciam unam.
Ligni Aloes,
Caryophyllorum,
Macis, &
Nucis Moſchatæ, ſingul. unciam dimid.
Deinde in ſcutella lapidea, vel terrea vitrata, Soli exponantur dum ſiccentur: Poſtere minutim, & cum Caphuræ aureo uno, i. *ſcrupul. quatuor, & aqua Roſarum, fac Trochiſcos parvos in umbra ſiccandos.*

Nonnulli

Nonnulli aromatizant cum Moschi drachmæ unius quarta parte, hoc est, granis 18. *& non* 15. *& reponunt usui.*

Paraphrasis.

Ramich quid. *Ramich* est vox quædam *Arabica* depravata, secundum quosdam, de Rumex, Rumicis, quod est Lapathum *Dioscoridis*: Cujus ille multas constituit species, quarum è numero Oxalis & Acetosa, hîc in principio posita majori in quantitate quam aliud ingrediens quodcunque tenens locum Basis. Alii putant quod significet *Gallas*, quoniam earum satis bona quantitas ingrediatur compositionem, freti, scilicet, authoritate *Serapionis*, *Libr. Simplicium Cap.* 24. Et hîc, & alibi depravati. Quæ opinio satis levis est. Qui enim diligenter legerit Scripta *Serapionis*, atque adeò ipsius *Mesuæi* cogetur confiteri hoc vocabulum accipi non solum pro uno aliquo medicamento astringente, sed pro omni alio. Quod si significasset succum Oxalidis, frustrà dixisset ille quosdam accipere ipsius loco, succum Cydoniorum immaturorum ob astrictionem suam hîc quæsitam. Basis erit unus vel alter succus, cujus astrictio augetur succis Myrtillorum, Omphacio sive Agresta, Sumach & Gallis Cypressi vulgò, nucibus appellatis: quas sumere quis debeat pro remediis internis potiùs quam Gallas illas quernas, quibus tinctores utuntur: sicut eruditè admodum nobis in scripto reliquit *N. Præpositus*: Virtus refrigerans Basis augetur per Rosas & succum Agrestæ, sive Omphacii. Quorum terrestris & astringens virtus, conducitur ad cerebrum per Caryophyllos & Lignum Aloes: ad jecur per Santalum Citrinum & Spodium. Macis & Nux Moschata ponuntur ad munimentum ventriculi, contra Basis noxam. Moschus ad cordis & Matricis: Caphura inditur, ut per tenuitatem suarum partium vehiculi instar penetrare faciat astringentia. Gummi Arabicum additur ad corrigendum asperitatem & siccitatem totius compositionis.

De mixtura, sive componendi ratione.

Lignis Santali & Aloes media ex parte pulverizatis adjungi oportet Caryophyllos & Sumach: post nucem Moschatam & Macim: Postremò Rosas siccas. Seorsim singula pulverizari oportet, Gummi Arabicum, Spodium, Caphuram & Moschum. Hoc facto, in succis Acetosæ, seu Cydoniorum, Myrtillorum & Agrestæ, primum ferveficri debent, Nuces, seu Gallæ Cypressi validè contusæ, ac Myrtilli, ut virtus eorum magis tranferretur, tandem & Rosæ. In colatura intra grandem patinam terream vernice politam, macerentur pulveres, quæ patina ad solem calidum teneatur, vel in Hypocausto, vel supra calidos cineres, subinde movendo, dum tota colatura consumpta fuerit: tum iterum pulvis subtilior redditur, cui adjicientur Caphura & Moschus: postea cum aqua Rosarum fiet pasta, unde formabis Trochiscos, quos siccatos, repones, ut dictum est. Sufficiet Pharmacopœo, dispensare quartam vel octavam partem, propterea quia parum admodum in usu sunt, nisi in compositionibus Antiquorum, sicut in *Diacodio*, *Gallia Alephangina*, *Emplastro Diaphœnicon Mesue*: *in Trochiscis de Terra sigillata*, & quibusdam aliis.

Trochisci de Karabe. D. M.

℞. *Succini.* i. *Karabe, aur.* 6. *hoc est unciam unam.*
Cornu Cervi usti.
Gummium Arabici usti &
Tragacanthi
Acaciæ veræ, vel ejus penuriâ nostratis.
Hypocistidis,
Balaustii,
Mastiches,
Coralliirubri usti.
Laccæ & sem. papaveris nigri assi. sing. Aureos duos, seu scrupulos octo.
Thuris,
Croci, &
Opii. sing. Aur. unum & dimidium, seu drach. duas.

Cum Muccagine sem. Psyllii forma Trochiscos, & repone usui.

Paraphrasis.

Paraphraſis.

Paulus Ægineta, Actuarius, Oribaſius, Marcellus & Rhaſis deſcribunt Trochiſcos ſimili nomine: hodie non in uſu; ſed hii per *Meſuem* deſcripti. *Diſtinct. 8. de Trochiſcis:* qui nomen ſumpſerunt, à Baſi ſua *Karabe*, voce *Arabica* quæ eſt Electrum *Græcorum:* ſeu Succinum *Latinis*, vel Ambra flava, unde fiunt ſerta ſive Corollæ pro Fœminis. Aſtrictio Baſis augetur per Acaciam, Hypociſtida, &c. Incraſſans facultas, per Gummia & Opium. Crocus imponitur ad tutelam Cordis, contra injuriam dicti Opii: Maſtiche, ventriculi: Lacca, Jecoris. Muccago Sem. Pſyllii, ut leniat & corrigat aſperitatem, ſiccitatémque Baſis, & corpus afciſcat Trochiſcis, conſervétque eorum virtutem.

De mixtura ſive componendi ratione.

PRimum calcinare ſive comburere oportet cornu Cervinum & Corallium, torrere etiam Gummi Arabicum, & ſemen Papaveris nigri ſuper Batillum ferreum calidum, dein pulverizare ſingula ſeorſim, ſicut etiam Succinum, Tragacanthum, Maſtichen, Thus, Crocum, & Gummi Laccam. Acatia & Hypociſtis minutim admodum inciſæ facilè pulverizantur, cum Balauſtiis contritis: quibus adjicere oportet unam aut alteram Amygdalam amaram, ne adhæreant mortario. Poſt commiſces omnia, ut cum muccagine Pſyllii, cum aqua Roſarum vel Plantaginis ſubigantur: unde formabis Trochiſcos unam drachmam pendentes, quos in umbra ſiccabis & uſui recondes.

Aureus eſt nomen ponderis, qui valet ſive pendit ſextam unciæ partem, hoc eſt, quatuor ſcrupulos, vel ſeſquidrachmam, juxta *Salernitanum:* qui ſuam unciam conſtituit (ſed perperam) novem drachmarum pro octo. *Aureus quid.*

Trochiſci de Terra ſigillata. D. M.

℞ *Gummi Arabici aſſi*
Trochiſcorum Ramich
Foliorum florum Roſarum Rubr.
Sanguinis Draconis. Gummi eſt Arboris Draco nominatæ in *Canariis* Inſulis luxuriantis, quod a colore, ſanguis Draconis in Lachrymis nominatur.
Seminis Roſarum
Amyli aſſi
Spodii
Acaciæ veræ, vel ejus defectu, tantundem noſtratis.
Hypociſtidis,
Euſiſtidis, Succi fol. Ciſtidis hujus penuriâ doſis Hypociſtidis duplicetur, quoniam ſimiles vires obtinet, ex *Avicen. lib. 2. ſimplic. c. 334.*
Lapidis Hæmatitis,
Balauſtii,
Boli Armenæ,
Terræ ſigillatæ
Sedenegi. i. *Acinorum mali granati* (qui magis hîc competunt, quam ſemen Fumariæ aut Cannabis, ex *Avicenna* in Synonymis)
Coralli rubri
Succini vulgò Karabe,
Sem. Portulacæ aſſæ
Cornu Cervi uſti
Thuris Maſculi
Gallarum Cupreſſi, &
Croci: ſingul. drach. duas.
Margaritarum,
Gummi Tragacanthi, &
Papaveris nigri, ſingul. drach. unam & ſemiſſem.

Cum aqua (vel ſucco tanquam potiore) Plantaginis, forma Trochiſcos, in umbra ſiccandos, & uſui reponendos.

Paraphraſis.

HIi Trochiſci multò efficaciores ſunt quam Præcedentes de Karabe, ſive interius ſumantur, ſeu extra applicentur, ad ſanguinem quacunque ex parte profluentem, modò convenienti aliquo liquore diluantur. *Meſue.* Nomen de baſi ſua contraxerunt, Terra ſigillata: quæ non eſſentiali ſolum proprietate ſua reſiſtit venenis, ſed etiam manifeſta qualitate quaſvis fluxiones ſiſtit.

De Mixtura sive componendi ratione.

PRimo in loco calcinare sive urere oportet Cornu cervinum; & torrere super Batillum de ferro calidum, Gummi Arabicum, Amylum, & semen Papaveris. Deinde singula seorsim subtilem in pulverem redigentur. Consimili modo Sanguis draconis purus in Lachryma qualis ex Insulis *Canariis* adportatur, non autem turbidus & confusus; Trochisci de Ramich, Spodium, Lapis Hæmatites, Bolus Orientalis, Terra sigillata, Corallum, Thus, Karabe, Crocus, Margaritæ & Gummi Tragacanthi, ut alibi dictum est.

Porrò simul pulverizari debent, Gallæ sive Nuces Cupressi, semen papaveris, acini Mali granati, Balaustia, Succi Acaciæ, Hypocystis, Rosæ, & earum semen quod in fructu continetur, quod cum maturum est, rubet: minimè verò pusilla hæc flava grana, quæ sunt in medio Rosæ: quæ cum siccantur nigra sunt, & falsò à quibusdam appellantur *Anthera*: quod revera nomen est cujusdam compositionis antiquitus usitatæ, & non hæc granula: Pulvis hunc in modum præparatus subigetur cum succo Plantaginis depurato, quem *Mesue* appellat Aquam: Post. ex hac pasta, formentur Trochisci, qui in umbra siccati, usui serventur.

Collyrium, seu trochisci albi. Rhasis.

℞. *Cerussæ aquâ Rosarum lotæ, drach. decem.*
Sarcocollæ crassioris drach. tres.
Amyli drach. duas (hujus non meminit *Rhasis*: habet *Matthæus de Grad. Comment. in Rhasim*)
Gummi Arabici (ex *D. Antonii Saportæ* consilio, præceptoris nostri) & Tragacanthi, utriusque drach. unam.
Caphuræ drach. semissem (cum *Sylvio*, & sunt albiores, quam cum Opio, ut annotat *Rhasis*)

Singula per se pulverizata & mixta, excipiantur aqua Rosarum, vel lacte Muliebri cum Rhasi, *& formentur Trochisci; qui siccati reponantur usui. Opium utendi tempore addi potest, si necessitas cogat.*

Paraphrasis.

QUod *Arabes* appellant *Sief*, nos cum *Græcis* appellamus *Collyrium*, Remedium oculis proprium & peculiare: sicut Pessaria matrici, & Clysteres, sedi: Nominatur autem Album, ab Inventore suo *Rhasi*: *in lib. 9. Almansor. cap. 15.* ad differentiam aliorum, quæ simile nomen gerunt, quæ sunt alterius coloris, adjecimus nos Amylum, de consilio *Matthæi de Gradibus, in commentario quod in hoc caput scripsit*, & Gummi Arabicum ex sententia & consilio nuper defuncti M. *Antonii Saporte* unius de nostris Magistris, tunc temporis *Cancellarii* & Professoris Regii *Academiæ Monspelienses*, viri perdocti & magni in re medica Practici. *Sylvius in Commentario*, quem de hiis Trochiscis scripsit, loco Opii supponit hîc Caphuram: Atque ita quidem albius est, & ad conservandum visum accommodatius: sed ad Magnas Ohpthalmias, minus Anodynum: Quod si quid tale acciderit, adjici tum demum potest, & quantum necesse fuerit. *Avicenna Fen. 3. tertii Tractat. 1. cap. 9.* Quare sumi potest Caphura dicta, ut Trochisci fiant albiores, & non Opium, ne sint nigri.

De Mixtura sive componendi ratione.

OPortet primo sæpius Cerussam cum aqua Rosarum lavare, dein ad solem siccare in scutella, & linteo candido tegere, pulveris causa: Eligenda verò est Sarcocolla grandiuscula, integra quæ sit & nitida, eaque pulveranda quam tenuissimè (quod semel dictum sit de omni medicamentorum genere oculis & visui destinatorum, ob exquisitum sensum conjunctivæ tunicæ, sive membranæ

membranæ adnatæ) ſimiliter & Amylum, Gummia, & Caphura, æquali cum Opio pondere, ſingula per ſe. Quo facto, miſceantur, & cum aquæ Roſarum parva quantitate, fiat paſta, de qua formabis Trochiſcos, quâ figura volueris, qui in umbra ſiccati, uſui recondentur.

De Trochiſcis alterantibus & aperientibus.

Trochiſci de Caphura. D. M.

℞. *Caphuræ,*
Amyli,
**Cardamomi, &*
**Ligni Aloes, ſingul. ſcrupulos duos,*
Sem. 4. frig. majorum mundatorum,
Gummium Arabici, &
Tragacanthi,
Croci, &
**Spicæ Nardi, ſingul. drach. unam,*
Glycyrrhizæ recentis raſæ & inciſæ,
Spodii, utriuſq; drach. duas,
Santali Citrini drach. duas & ſemiſſem,
**Sacchari albi,* Cryſtallini potius, *&*
**Mannæ utriuſq; drach. tres,*
Roſarum rubrarum unciam dimidiam.

Cum muccagine ſem. Pſyllii, aqua vel ſucco Roſarum extracta, compone paſtillos uſui reponendos.

Paraphraſis.

TRochiſci ſimile nomen præ ſe ferentes, ab *Avicenna* deſcripti, *lib.* 4. *Tract.* 8. à *Serapione Tractat.* 7. *cap.* 18. à *Rhaſi lib.* 9. *ad Almanſorem, cap.* 18. hodie non in uſu ſunt. Hii autem hîc à *Meſue* deſcripti ſunt, *Diſtinctione* 8. *ſui Antidotarii.* Suaderem ego cum *Sylvio*, ut Nardus Indica, lignum Aloes, & Cardamomum tollerentur, quod nimis calida ſint in febribus ardentibus, & inflammationibus jecoris, ventriculi & pectoris. Saccharum itidem & Manna, quoniam (ut verbo dicam) in cauſa ſunt ut hii Trochiſci putreſcant, ſicut experientia nos docet: quod non accidit illis in quos non ingrediuntur. *Myrepſus* deſcribit alios, in *Sectione* 41. *Cap.* 42. qui non ſunt rejiciendi, nec hiſce cedunt. Baſim conſtituunt Roſæ poſitæ in principio à *Meſue:* de quibus non poſſunt appellationem ſuam accipere, quia duæ aliæ deſcriptiones, quas poſtea ponemus, ita ſint nominatæ: Sed hii de Caphura quas in principio poſuimus; incipiendo à minore doſi & deſinendo in majore, & diſponendo ſingula medicamenta ſuo in ordine. Hic autem ponitur, ut tenuitate partium, penetrare faciat, virtutem Roſarum, Gummium, Spodii, & Amyli, quæ incraſſant fluxiones incumbentes pectori. Glycyrrhiza & Saccharum Cryſtallinum eorum virtutem eo conducunt: ſicut Santalum & Spodium ad jecur. Semina deducunt per viam urinæ bilem & ſeroſitates. Muccago Pſylli additur ad refrænandam ſuam acrimoniam, leniendum, detergendum & corrigendum ſiccitatem & aſpredinem aſtringentium, & trachææ arteriæ, ad corpus Trochiſcis tribuendum, & virtutem eorum conſervandum.

De Mixtura, ſive componendi ratione.

SAntalo media ex parte pulverato, adjicienda eſt Glycyrrhiza raſa & inciſa, & in fine Roſæ. Gummia in pulverem redigentur quæque ſeorſim, in mortario cum piſtillo calidis, pendentia quod oportet. Semina frigida mundata, concidentur minutim ſuper papyrum albam, cultro Sutorio, & ſubtilianda denuò cum aliis pulveribus in mortario. Itidem ſeorſim pulveranda ſunt Amylum, Spodium, & Caphura: Deinde omnes hii pulveres commiſcebuntur: Deinde ſubigentur cum mucilagine Pſylii cum aqua extracta, vel ſucco Roſarum, unde formentur Trochiſci reponendi. Atque hunc in modum compoſiti (ſine quinque illis ſupra memoratis, tali aſteriſco (*) notatis) præſtantiſſimi ſunt ad hoc quod *Meſue* promittit, niſi quod adjiciantur ſaccharum Cryſtallinum & Manna, tempore neceſſitatis: ſin minus, ut præparentur hii ſubſequentes *Myrepſi.*

Trochiſci alii de Caphura, D. N. Myrepſi.

℞. Caphuræ drach. ſemiſſem,
Croci drach. duas,
Amyli drach. tres.
Roſarum rubrarum,
Gummium Arabici, &
Tragacanthi,
Spodii, ſingul. unciam dimidiam.
Seminum Cucumeris mundati, &
Portulacæ,
Glycyrrhizæ raſæ, & inciſæ, ſing. unc. 1.
Cum Muccagine ſem. Pſyllii, ex aqua Roſarum extracta: fiant Paſtilli, qui in umbra ſiccati uſui reponantur.

Paraphraſis.

HIi Trochiſci à *Myrepſo* deſcripti ſunt, loco prælegato: quorum nomen, Baſis & miſtura ejuſmodi ſunt quæ præcedentium: uſus etiam multò certior & tutior quam illorum, ad ea omnia quæ *Meſue* promittit. Conſulerem igitur ego, ut Pharmacopœi hos potius quam illos præparent, ſi ſibi non viſum fuerit ſubtrahere quinque illa ibidem memorata, ut ſupra dictum eſt, quodam aſteriſco notata.

Trochiſci de Spodio cum ſemine Acetoſæ, D. M.

℞. Roſarum rubrarum, drach. duodecim.
Spodii, drach. decem.
Seminum Acetoſæ, drach. ſex.
Portulacæ, &
Coriandri, ex Aceto præparati, &
Pulpæ Sumach, ſing. drach. duas & ſemiſ.
Amyli Aſſi,
Florum Balauſtiorum, &
Baccarum Berberis, ſingul. drachmas duas,
Gummi Arabici Aſſi, drach. unam & ſemiſſem.
Omphacii j. Succi uvarũ immaturarum, quantum ſufficit.
Forma paſtillos, quibus uteris cum ſucco aliquo aſtringente.

Paraphraſis.

HIſce Trochiſcis nomen eſt à Spodio Baſi ſua, cognomen ad differentiam aliorum conſimili nomine, in quos ſemen non ingreditur, qui non magis in uſu ſunt quam quos *Avicenna* deſcribit, in *libr.* 5. *Tract.* 8. *Serapio Tract.* 7. *Cap.* 18. *Rhaſis lib.* 9. *cap.* 72. *Myrepſius Sect.* 41. *cap.* 52. Alia medicamenta imponuntur, tam ad augendam virtutem ejus infrigidantem & deſiccantem, quam ad incraſſandum, & fiſtendum fluxiones quaſcunque febribus comitatas.

De Miſtura ſive Componendi ratione.

SEorſim pulveranda ſunt Spodium, Amylum & Gummi Arabicum torrefactum. Alia pulverari ſimul poſſunt & cum reliquis permiſceri. Poſt, omnia cum Omphacio de Agreſta ſubigi, ut formentur Trochiſci, ponderis unius drachmæ, ficcandi in umbra, & uſui reponendi.

Trochiſci Berberis. D. M.

℞. Baccarum Oxyacanthæ aut ſucci earum,
Succi Glycyrrhizæ,
Sem. Portulacæ, &
Spodii, ſingul. drach. treis,
Sem. Citruli mundat. drach. tres, & ſem.
Roſarum rubrarum, drach. ſex.
Spicæ Nardi,
Croci,
Gummi Tragacanthi, &
Amyli, ſingul. drach. unam,
Caphuræ, drach. ſemiſſem.
Cum Mannæ Calabr. uncia una, ſucco alio Oxyacanthæ ſolutæ
Fac Trochiſcos: quoniam, drach. tres ſucci non ſufficerent ad formandum Trochiſcos.

Paraphraſis.

Paraphraſis.

DIverſæ opiniones eorum qui imprimenda curarunt Diſpenſatoria, Diverſæ etiam Indicationes cum variantibus deſcriptionibus quæ in *Avicenna, Serapione, Rhaſi, Myrepſi* in locis præallegatis, *Meſuæi* etiamque ipſius, Pharmacopœos ambigere faciunt & dubitare, quamnam Deſcriptionem Trochiſcorum Berberis, obigere debeant, ad Compoſitionem Electuarii Roſati, unde Pilulæ Aggregativæ formantur. Quibus facultas non eſt, doctum aliquem & uſu expertum conſulere Medicum, ſuaderem illis præſentem hanc quam in manibus habemus *Meſuæi* deſcriptionem ſequi: utpote, quæ plus efficaciæ habeat ad effecta quæ præ ſe fert, meliuſque componatur quam ulla alia conſimili nomine, faciliſque ſit ad diſpenſandum, talique Electuario digna. Baſim habet ſuam Berberis (qui multo efficacior eſt quam ſemen) unde hii Trochiſci nomen ſortiuntur. Quorum vis refrigerans auctior fit ſemine Portulacæ & Citrulorum: deſiccans, ſpodio & Amylo: Succus Glycyrrhizæ & Tragacanthum imponuntur, ad deducendam virtutem Baſis, ad Pectus, & moderandum ejuſdem aſperitatem & ſiccitatem: Roſæ ad tutamen ventriculi, & Crocus, cordis: Nardus Indica jecoris: Caphura pro vehiculo Baſis, Amyli, Tragacanthi & Spodii inſervit. Manna inditur ad deterſionem & lenitionem, totiuſque conſervationem.

De Miſtura, ſive componendi ratione.

SImul in pulverem reducenda ſunt, Nardus Indica inciſa, Succus item Glycyrrhizæ inciſus, ſemina & Roſæ. Seorſim conterenda ſunt, Spodium, Amylum, Caphura, Crocus & Tragacanthum. Manna ſolvetur cum Succo Berberis, cum quo pulvis malaxetur, ſive ſubigatur: Quibus facultas non eſt comparandi ſuccum Berberis, ſumant Bacchas recens exiccatas, quas cum aliis pulverabunt, ſolvique curabunt Mannam ſuam cum aqua roſarum: unde concinnabunt Trochiſcos, ſiccandos in umbra, & uſui reponendos. De Mannæ quantitate ambigunt quidam quænam conveniat, quoniam *Meſue* non diſertè illius meminit. Quibus reſpondeo, quod una uncia ſufficit, ſupra pulveris quantitatem: Qui enim plus impoſuerit, Trochiſcos ille paulò poſt putrere faciet: Sicut diximus eos è Caphura, nec tandiu perdurabunt.

Trochiſci Diarrhodon. D. M.

℞. *Roſarum Rubrarum, Aur. 6. ſeu unciam unam.*
Glycyrrhizæ aureos tres. i. unciam dimidiam.
Spicæ Indicæ, &
Ligni Aloes, utriuſque aureos duos ſeu ſcrupulos octo.
Maſtiches, drach. duas.
Spodii, &
Croci, utriuſq; Aurei ſemiſſem, ſeu ſcrupulos duos.

Cum vino albo compone paſtillos uſui reponendos.

Trochiſci Diarrhodon. D. N. Myrepſi.

℞. *Roſarum rub. viridium, drach. tres.*
(*Salern.* habet unc. ſſ.
Spodii drach. duas.
Santali rubri, drach. unam & ſem. & grana ſeptem.
Santali albi drach. unam & grana duodecim.
Croci ſcrupul. duos & grana viginti
(*Salern,* habet ſcrup. 2. grana 7.)
Caphuræ, ſcrupuli ſemiſſem, ſeu grana duodecim.

Cum aqua Roſarum forma paſtillos.

Paraphraſis.

Paraphrasis.

QUemadmodum *Græci* differentiam faciunt inter *Chalcanthum,& Chalcu Anthos*: inter *Leucacantham,& Acanthan leucen*: inter *Aphronitrum*, & *Aphros Nitrum*. Sic *Arabes* ponunt differentiam,inter Trochiscos *Diarrhodon*, & *de Rosis*: *Avicenna, Serapion* & *Rhasis* describunt simili nomine, qui non usui recepti sunt: sed illos *Mesuæi* in Compositionibus,quas ipse excogitavit; sicut hos *Nicolai*,in iis quæ suæ sunt Innentionis utendos (ordine subsequentes) descripsimus: ut Pharmacopœi,differentiam videntes discrepantium,non capiant has pro illis in compositionibus, quas facturi sunt, sive *Mesuæi*, sive *Nicolai*. Discrimen quod reperire possis in *Salernitano*, (quod ad pondera) parvum est, nec dignum ut in eo insistatur. Hii Trochisci nomen suum de Basi sua sumunt, Rosis, in principio positis.

Mixtura sive componendi ratio eorum qui *Mesuæi* sunt.

SImul pulverari oportet Lignum Aloes,Glycyrrhizam rasam & incisam: & Nardum Indicam incisam. Sub finem, adjiciendæ Rosæ, seorsim verò, pulverentur Mastiche, Spodium, & Crocus: Tum demum omnia subigantur cum vino albo, unde formabis Trochiscos, ponderis unius drachmæ, siccandos in umbra & reponendos.

Mixtura eorum qui sunt Nicolai.

SImul pulverizare oportet Santala, & alia seorsim. Deinde Rosarum Rubrarum recentium quantitatem requisitam, quas accuratè contundes in mortario marmoreo: post, paulatim pulveres adjiciantur: & si opus fuerit, parum aquæ Rosarum & sub finem, Caphura,ut ex tota massa formentur Trochisci, unius drachmæ pondere, in umbra siccandi, & usui recondendi.

Trochisci de Rhabarbaro. D. M.

℞. *Rhabarbari optimi,drach.decem.*
Succi Eupatorii. Mes. *vel* Græcorum *&*
Amygdal. amararum. utriusque unc. semis.
Rosarum Rubrarum, drach. tres.
Spicæ Nardi,
Rubiæ Tinctorum seu Erythrodani Græcorum,
Sem. Apii, &
Anisi,
Absinthii Pontici majoris seu Romani, idem, &
Asari, singul. drach. unam.
Forma Trochiscos cum Succo Eupatorii præscripto, & Repone usui.

Paraphrasis.

HIi Trochisci nomen desumunt à Basi sua Rhabarbaro,in principio posito: cujus facultas deducitur ad hepar,per Nardum Indicam,idemque fortificatur per astrictionem suam,sicut ventriculus per Absinthium. Succus Eupatorii,sive Agrimoniæ, seu Agerati, cum Amygdalis amaris. Asarum, Rubia tinctorum & Semina hic induntur, tam ad discutiendos flatus, quam ad incidendum, attenuandum & detergendum phlegma,quod angustos meatus obstruit,idemque perducendum,(cum serositatibus biliosis) per vias urinæ & Menstruorum. Rosæ adhibentur ad temperandum aliorum calorem.

De Mixtura sive Componendi ratione.

HOc in loco Rhabarbarum & Asarum, subtiliter pulverizari debent, quandoquidem hîc requiritur non purgatio per sedem,sed urinæ provocatio,& jecoris corroboratio. Alia medicamenta pulverari simul oportet: Deinde cum alio succo Eupatorii depurato,& non siccato,subigenda,& in Trochiscos reducenda,siccandos & servandos ut dictum est.

Trochisci

Trochiſci de Abſinthio. D. N.

℞. *Abſinthii Pontici veri, ſeu noſtratis vulgaris,*
Roſarum rubrarum, &
Sem. Aniſi, ſingul. drach. duas,
Rhabarbari ſelecti,
Succi Eupatorii Meſ. *vel* Græcorum (ſunt ambo ejuſdem facultatis)
Radic. Aſari,
Seminis Apii,
Spicæ Indicæ,
Amygdalarum amararum,
Maſtiches, &
Folii Indici, ſeu Malabathri, ſingul. drach. unam.

Forma Trochiſcos cum ſucco Intybi, ſeu Endiviæ ſativæ.

Paraphraſis.

HIis Trochiſcis nomen inditum eſt ſuæ Baſis, Abſinthii vulgaris, quod eſt verum Ponticum *Dioſcoridis*, ſeu Romanum *Meſues*, quod cognominavimus Majus in ſyrupo Abſinthii, ſicut alterum Minus, quod in hortis noſtris creſcit, perquam Aromaticum, minus Amarum, quod parvum Ponticum appellavimus, quod omni ratione, minus quam alterum eſt. Alia medicamenta illic indita ſunt ob rationes conſimiles, quas in præcedentibus expreſſimus. *Meſue* conſulet eos in aliqua decoctione Abſinthii, Eupatorii & Apii exhibere.

De Mixtura, ſive componendi ratione.

MIſtura & trituratio medicamentorum ita ſe habere debent ut in præcedentibus tradidimus, niſi quod ſuccus Eupatorii depurari debet ab omni humiditate ſua ſuperflua, ſicut ante dictum eſt, * & cum aliis medicamentis ſiccis pulverari: alter ſuccus depuratus inſerviet ad acquirendum corpus, & totum conſervandum.

* *Lib. 1. Sect. 2. de Succis.*

Trochiſci de Eupatorio, D. M.

℞. *Succi Eupatorii inſpiſſati, &*
Mannæ, utriuſq; unciam unam,
Roſarum rubrarum unciam dimidiam,
Spodii drach. tres & ſemiſſem.
Spicæ Nardi drach. tres.
Rhabarbari optimi,
Aſari, &
Sem. Aniſi. ſingul. drach duas.

Cum alio ſucco Eupatorii, formentur Trochiſci.

Paraphraſis.

HIi Trochiſci nomen ceperunt à Baſi ſua, ſucco Eupatorii *Meſuæi*, quod eſt Ageratum *Dioſcoridis*, ſecundum *Matthiolum*. Qui habuerint, ſumere poterint, Eupatorium *Græcorum*, quæ noſtra eſt Agrimonia: Cujus virtus incidens & attenuans materias craſſas, conſumens etiam flatus & deoppilans, augetur per Aſarum, Aniſum & Rhabarbarum, quod hîc imponitur non quaſi purgans, ſed aperiens: & ad bilem perferendam ſecundum urinæ ductum; & ut aſtrictione ſua corroboret jecur adhibita ope, quam recipit à Nardo Indica & Spodio. Roſæ injiciuntur ad fortificandum ventriculum & temperandum calorem. Manna ut leniat & corrigat eorum ſiccitatem, & promoveat in melius eorum actionem, eâque conſervet.

De Mixtura, ſive componendi ratione.

SImul in pulverem vertenda ſunt Nardus inciſa, Aniſum & Roſæ: ſeorſim Spodium, Aſarum, & Rhabarbarum quam tenuiſſimè trita, ob rationes in Trochiſcis de Rhabarbari expoſitas: ſi ſuccus ſit ſiccus, pulverari oportet cum aliis, ſc. Nardo Indica, Aniſo & Roſis. Quo facto, accipies alium Eupatorii ſuccum depuratum, quem

quem in syrupum liquidum coque (vel parum coctum) cum Manna, de quo pulveres subigentur, unde formabis Trochiscos drach. unam pendentes, quos in umbra siccabis, & usui repones.

Trochisci de Lacca. D. M.

℞. *Laccæ mundatæ, & lotæ*, ut dixi, lib. I. Sect. 4. in Laccæ præparatione,
Succorum Glycyrrhizæ,
Eupatorii, &
Absinthi Pontici majoris, seu Rustici dicti,
Oxyacanthæ, vulgò Berberis,
Rhabarbari optimi, vel potius Rhapontici,
Aristolochiæ longæ,
Costi,
Asari,
Amygdalarum amararum,
Rubiæ tinctorum, seu Erythrodani,
Schœnanthi, id est, *floris Junci odorati,*
Sem. Anisi, &
Apii singul. drach. unam.

Forma Pastillos cum succo Eupatorii, pondo drach. unius.

Paraphrasis.

MUltas descriptiones nomine consimiles reliquerunt nobis in scripto, *Myrepsus*, *Avicenna*, *Serapio*, & *Haly* in *suis Antidotariis*, uti & *Rhasis*, quæ non in usu sunt: sed hæc quæ in manu est, à *Mesue* descripta in *Distinctione* 8. *sui Grabadini, sive Antidotarii.* Basis est Gummi Lacca unde hii Trochisci nomen traxerunt suum; quæ si lota sit, ut ostendimus in *pulvere Dialaccæ, Sect.* 4. acquiret tenuitatis plus & virtutis, quàm non lota. Cujus vis incidens, attenuans, detergens, & deobstruens, augetur per succum Eupatorii, sive Agerati *Dioscoridis* (cujus in loco sumere licet nostram Agrimoniam) Amygdalas amaras, Aristolochiam, Costum, Asarum, Rhabarbarum & Schœnanthum. Semina imponuntur ad flatus discutiendos, & auxilio Rubiæ, ad deducendum per urinæ ductum & menstruorum, serositates & pituitam incisam. Absinthium ad fortificandum ventriculum: Berberis, ad jecur, succus Glycyrrhizæ, ad corrigendam asperitatem & siccitatem. Loco Rhabarbari si quis ceperit Rhaponticum verum, Trochisci meliores erunt, & magis accommodati ad omnia quæ *Mesue* promittit: non enim requiritur hic purgatio, sed apertio, & corroboratio viscerum: unà cum provocatione urinæ & Mensium. Quare Apothecarius, sive Pharmacopœus, debet Rhabarbarum quam tenuissimè & Asarum pulverare: Crassiusculè enim pulverata solvunt ventrem nec urinas cient, nisi perparum.

De Mistura, sive componendi ratione.

ACcuratè contundendæ sunt Radices: dein adjicietur succus Glycyrrhizæ, Schœnanthum, & Absinthium concisa: Berberis etiam & Amygdalæ amaræ suis à pelliculis & seminibus mundata. Seorsim pulverizare oportet Gummi, Laccam purgatam, & lotam cum Aristolochia & Schœnantho, sicut diximus *in Dialacca.* Asarum etiam & Rhabarbarum, quam tenuissimè: Dein pulveres misceri oportet, in mortario, ut subigantur cum succo Eupatorii, ad solem depurato, seu super ignem, unde formentur Trochisci, pondo unius drachmæ, qui in umbra siccati usui recondentur.

Trochisci de Capparibus. D. M.

℞. *Corticis Radicum Capparis, & Seminis Agni*, ℥. *Casti seu viticis: utriusq; drach. sex,*
Ammoniaci unc. dimidiam ex *Mesuæ* præcepto.
Sem. Melanthii vulgò *Gith & Nigellæ* Romanæ,
Calaminthes Montanæ,
Acori veri, falso *Calami aromatici*, in officinis dicti,

Amygda-

Amygdalarum amararum,
Sem. Naſturtii,
Folior. Rutæ.
Ariſtolochiæ rotundæ vel tenuis
cum *Rhaſi, &*
Succi Eupatorii, ſingul. drach. duas.
Cyperi &
Scolopendrii, utriuſq; drach. unam.

Pulvis horum omnium, excipiatur Ammoniaco aceto ſoluto, & forma Paſtillos, uſui neceſſario.

Paraphraſis.

HÆc deſcriptio jure præferri debet illis, quas deſcribunt *Rhaſis cap. 70. lib. 9. Avicenna lib. 5. Tractat. 8. cap. 18.* quod componitur ex medicamentis magis convenientibus, & melius proportionatis quam aliæ, ad omnia quæ *Meſue* promittit. Hii trochiſci nomen acquiſiverunt ſuum de Baſi, nempe cortice Capparis poſita in principio. Cujus vis inciſiva, attenuans & aperiens meatus anguſtos obſtructos, augetur radicibus Ariſtolochiæ, Cyperi, Amygdalis amaris, Succo Eupatorii, Calamintha & Scolopendrio, ſive Ceterach. Ruta & Semina ingrediuntur, ad diſſipandum flatus: & Ammoniacum ad remolliendum duritiem lienis & hepatis. Utemur his, pondere quatuor ſcrupulorum, cum decoctione quadam Corticum Capparis, Fraxini & Tamaricis.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

PRimo in ordine trituræ, radices ponentur & Cortices Capparis: In ſecundo, ſuccus Eupatorii, a ſua humiditate deſiccatus (ſicut dictum eſt in *Sect. 2. de Sapis*) Amygdalæ & omnia ſemina. In tertio, herbæ: Ammoniacum ſolvetur in Aceto, & coquendum ad conſiſtentiam Mellis: & cum eo ſubigentur pulveres, ad formandum Trochiſcos, pondo quatuor ſcrupulorum: qui ſiccati recondantur, ut dictum eſt de aliis.

Trochiſci de Bdellio. D. Avicennæ.

℞. *Roſarum rubrarum drach. decem.*
Bdellii, &
Nardi Indicæ, utriuſq; drach. tres.
Amygdalarum amararum, &
Coſti, utriuſq; drach. unam & ſemiſſem.
Myrrhæ, &
Maſtiches, utriuſq; drach. unam.

Diſſolve Bdellium cum vino, & finge Paſtillos, pondo drach. duarum. Capiet unum cum Mulſa aut decocto convenienti. Valent ad hepatis tumores duros, & ad illius obſtructiones liberandas.

Paraphraſis.

TRochiſcorum Author hortum eſt *Avicenna lib. 3. Fen. 14. Tract. 3. cap. 16.* qui nomen ſumunt ſuum a Baſi, Bdellio accomodo ad remolliendum duritiem viſcerum. Horum facultas promovetur per Myrrham. Coſtus & Amygdalæ induntur ad incidendum & attenuandum pituitam craſſam & viſcoſam (plurima ex parte cauſam duritiei viſcerum) & ad liberandos meatus obſtructos. Virtus Baſis deducitur ad jecur & Lienem per Nardum, quæ aſtrictione ſua fortificat. Maſtiche additur ad muniendum ventriculum, contra injuriam Coſti: Roſæ denique in bona quantitate, ad moderandum calorem.

De mixtura ſive componendi ratione.

SImul in pulverem convertes Coſtum & Nardum Indicam conciſa: Amygdalas etiam ſuis a pelliculis mundatas, & Roſas. Per ſe vero contundi debent Myrrha & Maſtiche. Deinde miſceri cum aliis. Bdellium conciſum ſolvetur cum vino albo, quando

quando magis aperitivum est quam claretum, & coquendum, ad consistentiam molliusculam Mellis, cum qua pulveres subigentur ad fingendum trochiscos pondo unius drachmæ, usui necessario recondendi.

Trochisci de Myrrha. D. Rhasis.

℞. *Lupinorum adamussim contritorum, drach. quinq.*
Myrrhæ optimæ, drach. tres.
Foliorum Rutæ,
Mentastri, &
Pulegii cum flore,
Cymini,
Radices Rubiæ Tinctorum, seu Erythrodani.
Assæ fœtidæ,
Sagapeni &
Opopanacis, singul. drach. duas.

Cum decocto Baccarum Juniperi, vel succo Artemisiæ vel Rutæ Formentur Pastilli. Dosis est drach. duarum.

Paraphrasis.

HOs Trochiscos describit *Rhasis, lib. 9. cap. 83.* Qui illis imposuit nomen de Myrrha, Basi sua. Cujus vis incisiva, attenuans & aperiens, accessione lupinorum, herbarum & radicis augetur; & detergens ope Gummium.

De Mistura, sive componendi ratione.

RAdicem Rubiæ tinctorum contundere oportet, tum Cuminum, Lupinos & herbas adjungere, quæ in pulverem simul redigentur. Seorsim autem contere Myrrham. Gummia solvenda sunt in decoctione Baccarum Juniperi, secundum ipsum *Rhasim*; vel in succo Artemisiæ vel Rutæ, juxta alios, quæ conducunt etiam ad cient dos menses suppressos. Deinde coque (cum jam colata fuerint ratione sordium quæ ibidem sunt) ad consistentiam Mellis molliusculi: ut pulveres subigantur, & inde formentur Trochisci pondo unius drachmæ, siccandi & recondendi, ut dictum est.

Trochisci Alkekengi. D. M.

℞. *Baccarum Halicacabi, seu Alkekengi, drach. tres.*
Seminum Citruli.
Albathecæ. i. *Melonis Indici, &*
Cucurbitæ, singul. drach. tres & semiss.
Boli armenæ,
Gummi arabici,
Thuris,
Sang. Draconis Gummi est arboris Draco nominatæ, in Insulis *Canariis* luxuriantis, quod a colore Sanguis Draconis nominatur.
Seminis Papaveris albi,
Amygdalarum,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Amyli, &
Nucleorum pineorum, singul. drach. sex
Seminum Apii, &
Hyoscyami albi, &
Succini vulgo *Karabes*
Boli armenæ vel nostratis &
Opii, singul. drach. duas.

Compone pastillos cum succo Halicacabi, pondo drach. unius, & repone usui.

Paraphrasis.

EX omnibus descriptionibus, nomine consimilibus, repertis in *Avicenna, Serapione, Rhasi,* & *Myrepso*, nulla in usu recipitur, prætur hanc a *Mesue* positam in *fine 8. Distinct.* Basis horum Trochiscorum est Halicacabum, *Græcis* φυσαλὶς, *Arabibus* Alkekengi, una species Solani, conveniens magnis renum doloribus & ulceribus ibidem sæpe advenientibus, & ad dysuriam: Cujus virtus refrigerans intenditur Hyoscyamo, Papavere & Opio, adeò ut ardor urinæ à bile aut pituita salsa, inde remittatur. Astrictio ejusdem augetur per Karaben, sanguinem Draconis in lachrymis (qualis ab Insulis *Canariis* apportatur) Bolum optimam sive Terram sigillatam,

sive

ſive *Bleſenſem* & communem: Adeò ut renum ulcera, temporis proceſſu ad cicatricem hiiſce perduci poſſint. Semina frigida hic ponuntur, ad depellendam bilem per urinam, & temperandam ejus acrimoniam: ſicut Amygdalæ amaræ & Apium ad pituitam ſalſam. Thus, Gummi Arabicum & Tragacanthum, Amylum, Nuclei Pinei & ſuccus Glycyrrhizæ induntur ad detergendum ulcera, & ad impediendum, ne urinæ ſua acrimonia tranſitio, ea exaſperet.

De Mixtura, ſive componendi ratione.

SEmina Alkekengi, Apii, Hyoſcyami, Papaveris, facilè in pulverem vertentur, cum ſucco Glycyrrhizæ. Alia ſemina frigida mundata amygdalæ & nuclei pinei quam minutiſſimè ſuper folium chartæ albæ, cultro ſutorio concidenda ſunt: quæ poſtea cum aliis pulveribus in ſubtiliorem ſubſtantiam reducenda ſunt, in mortario: Gummia Arabicum & Tragacanthum pulveranda ſunt, in mortario cum piſtillo utriſque ſimul calidis: ac poſt, ob deciduum ponderanda. Cętera ſeorſim conterenda ſunt. Opium cum ſucco Alkekengi, diſſolvetur, cui pulveres adjicientur: ut omnia ſimul ſubigantur, & inde Trochiſci formentur pondo unius drachmæ, ſiccandi in umbra, & recondendi ad uſum in vaſe vitreo, ſive terreo vernice polito. Utendum hiis cum Hydromelite, vel Zulapio violato, ſive de Jujubis in *Sectione 2. Deſcriptis.*

Trochiſci Gordonii.

℞. *Seminum 4. frig. majorum mundatorum. Papaveris albi, Malvarum, Goſſipii, vulgò Bombacis, Portulacæ, Cotoneorum, & Myrtillorum, Gummium Arabici, & Tragacanthi, Nucleorum Pineorum mundatorum, & Piſtaciorum, Sacchari Chryſtillini, & Penidiarum, Glycyrrhizæ mundatæ, Hordei mundati, Muccaginis ſem. Pſyllii, & Amygdalar. dulcium mundat. ſingul. drachmas duas, Boli Armenæ ſeu Orientalis, Sanguinis Draconis* (i. Liquoris arboris Draco dictæ,) *Spodii* Arabum, *ſcilicet*, nam *Græcorum* intro tion ſumendum. *Roſarum rubrarum, & Myrrhæ, ſing. unc. ſemiſſem.*
Excipiantur Hydromelle. Fingantur Paſtilli, pondo drach. duarum, & reponantur uſui.

Paraphraſis.

HOrum Trochiſcorum Author eſt *Gordonius*, qui eos deſcribit in *Particula ſexta cap. 10. ſuæ Practicæ:* ubi tractat curam ulcerum Renum: Baſis eſt duplex, non unius generis medicamenti, ſed plurium. Una Baſis eſt aperiens & detergens, altera deſiccans & agglutinans. Aperientia & detergentia ſunt ſemina frigida, Malvæ, Bombacis, nuclei Pinei, ſaccharum Chryſtallinum & Hydromeli. Agglutinantia & deſiccantia ſunt Muccago Pſylii, ſemina Portulacæ, Cydoniorum, Myrtillorum: Myrrha, Gummi, Spodium, Roſæ, ſanguis Draconis, Bolus utráque. Qui habuerint hos Trochiſcos, omittere poſſint. quos idem *Gordonius* deſcribit *capite ſequente loco præallegato*, niſi quod illis cum uſus poſtulat *Trochiſci de Terra ſigillata* adjici debent: ad quorum virtutem proximè accedunt, ſicut hii ad præcedentium *de Alkekengi.*

De mixtura, ſive componendi ratione.

GLycyrrhiza raſa & inciſa in pulverem redigetur cum hordeo, & ſeminibus Malvæ, Bombacis, Myrtillorum, Papaveris, Cydoniorum & Roſis. Semina frigida, Amygdalæ, Pinei nuclei, Piſtacia, & Gummia, pulverabuntur, ſicut diximus in præcedentibus; ſingula per ſe in pulverem redigentur, Spodium, Myrrha, ſanguis Draconis in lachryma, Bolus pura orientalis: Mucilago Pſyllii extrahenda eſt cum Hydromelite, ut inde ſubigantur (omnibus hiis pulveribus commiſtis) & formentur Trochiſci, pondo unius drachmæ, reponendi.

De Purgantibus.

Agaricus Trochiſcatus, D. M.

℞. *Agarici Albiſſimi ſerra raſpati, quantum volueris: Macera vino albo infuſionis Zinziberis & fac paſtam, & ex ea Trochiſcos. Reſiccati pulverentur, & denuò eadem infuſione formentur Trochiſci. Idque tertio fiat.*

Paraphrasis.

QUamvis Agaricus sit medicamentum Familiæ, juxta *Democritum*: tamen opus illi est auxilio aliorum, ob infirmam virtutem suam, & correctione ob qualitates suas contrarias & alienas, nocivas ventriculo: auxiliantur autem medicamenta incisiva, attenuativa & detergentia: qualia sunt Daucus, Ligusticum, Zinziber, Sal Gemmeus, mel Rosarum, Oxymel. Medici, hodie *Mesuen* sequentes, *lib. Simplic.* & *capite proprio*, hunc in modum Agaricum præparant. Zinziber (incisum aut contusum) infundunt in vino albo 24. horarum spatio in vitreo vase bene obturato: dein Agaricum album & selectum radunt, cúmque eo subigunt vinum album, unde Trochiscos formant, quos in umbra siccatos, usui recondunt. Hîc silentio præterire non possum, errorem eorum qui magis soliciti de colore, quam virtute medicamentorum, non subigunt Agaricum suum, sed irrorant tantum vino albo, ita ut possit formari in Trochiscos, & siccari eum curant, ita ut cum non correctus sit (ut oportet) non mirandum est, si vomitum in illis provocet qui eo utantur, nec purget aut dejiciat materias crassas ut par est, idque in damnum ægrorum & opprobrium medicorum qui hoc illis permittunt. Quare illos oro ut in posterum non contenti sint semel, sed bis, ter, & quater etiam eos subigere: quod si faciant, ægri absque nocumento purgati erunt ad placitum suum & honorem medicorum. Eos etiam rogatos velim, ut non morentur tantum curentvé album calorem sicut faciunt, sed suum officium & ægrorum commodum. Si præparetur cum aqua vitæ, plus vigoris habuerit, quam cum vino, nec minùs albus quam cum eo.

Error inveteratus.

Trochisci Alhandal. D. M.

℞. *Pulpæ Colocynthidis albæ & levis, à granis purgatæ, uncias decem,* & non drach. decem. *Incidatur forcipe, ut decet. Postea cum uncia una Olei Rosati fricetur, & forma Trochiscos cum Muccaginis Tragacanthi, Gummi Arabici & Bdellii singul. drach. (ex aqua Rosarum diebus quatuor maceratis. Sicca in umbra: tere iterum curiosè, & cum eadem muccagine forma rursum Trochiscos, qui siccati reponantur usui.*

Paraphrasis.

HIi Trochisci nomen sumpserunt à Colocynthide, quam *Arabes* appellant *Handal* & *Handaal*, nomen quod in hodiernum usque diem permansit. Oleum Rosatum imponitur ad reddendam eam lubricam, nevé adhæreat interioribus ventriculi membranis & intestinorum. Quam ob causam opus est ut quam subtilissimè pulveretur. Gummia induntur, non solum ut corpus addant, sed præcipue etiam ut reprimant calorem ejus & acrimoniam, attractionémque immodicam.

Hac Colocynthide sic præparata & correcta, instrui debent Medici & Pharmacopœi ad omnes compositiones quæ interius adhiberi solent, etiam cum non expressè & de industria significetur, sicut Hieræ & Pilulæ.

De mixtura sive componendi ratione.

GUmmia infundi oportet in aqua rosarum, per triduum aut quatriduum: interea verò Colocynthis siis à granis & sordibus purganda est, si quas habet: quæ cum aliquot olei guttis pulveranda est: deinde cum unâ portione muccaginis formandi sunt parvi Trochisci, ut sicciores sint: qui siccati denuò sunt in mortario diu pulverandi, & hac secunda vice cum residuo mucilaginis subigendi & redigendi in Trochiscos, iidémque usibus recondendi. Contextus *Mesue* hîc depravatus est, nam pro decem drachmis Colocynthidis, legendum est, decem uncias: lapsus est *Typographorum* qui pro (℥) ceperunt (ʒ.)

Trochisci

Trochiſci Diaiuv. i. de Violis. D. N. Salernitan.

℞. *Florum Violarum recentium mund. drach. quinque.*
Amyli, drach. tres.
Seminis Papaveris albi drach. duas & ſcrup. unum.
Plantaginis, drach. unam.
Rhabarbari optimi, &
Balſami vel ſuccedanei ejus Olei Caryophyllorum, vel Nucis Moſchatæ *utriuſq; ſcrup. unum.*
Aquæ Roſarum quantum ſufficit.
Fiant Paſtilli uſui.

Hiis raro utimur, niſi in nonnullis compoſitionibus.

Paraphraſis.

HIi Trochiſci nomen ex ſua Baſi ſumpſerunt, Violis in principio poſitis: quorum vis Cathartica incrementum habet à Rhabarbaro: refrigerans, a Papavere albo. Facultas eorum deducitur ad Pulmones, per Amylum: ad jecur per Plantaginem: ad renes & matricem, per Balſamum, aut Succedaneum ejus, (Oleum Caryophyllorum vel Nucis Moſchatæ) competunt igitur magnis harum partium inflamationibus, ſolvendo ventri, & remolliendo.

De Mixtura ſive componendi ratione.

COnterenda ſimul ſunt ſemina & Rhabarbarum: Amylum autem ſeorſim. Deinde flores Violarum purpurearum purgati ab herbacea eorum parte, quæ accurate in mortario contundendæ ſunt: poſt, adjungendi pulveres & Balſamum: ut ex omnibus formentur Trochiſci, ſiccandi in umbra, & uſui recondendi: ſi non ſufficiat Violarum humiditas pro quantitate pulverum, addendum eſt parum aquæ Roſarum ſeu Violarum.

Violæ albæ parum odorantes & purgatrices, hîc non conveniunt: Cheyri Arabum (quæ eſt noſtra Violaria flava, perquam odorifera) præſtat, & adhuc præſtantiores Purpureæ quæ appellantur Violæ Martiæ, Præſertim ſi Apothecarius colligat primum provenientes, priuſquam pluviali aquâ diluantur; minimè autem, poſtremo erumpentes: quoniam primæ ſunt odorantes magis & purgantes: ſi non ſit parandi facultas, ſumendi ſunt flores Cheirini admodum odoriferi & purgantes: Parum uſitati ſunt hii Trochiſci, niſi in quibuſdam compoſitionibus veteribus.

De Trochiſcis Alexiteriis.

Trochiſci Galliæ Moſchatæ. D. M.

℞. *Ligni Aloes crudi optimi, drachmas quinq.*
Ambaris Cineritii, drach. tres.
Moſchi Orientalis, drach. unam.

Cum mucagine Gummi Tragacanthi ex aquâ Roſarum extractâ, fac Paſtillos, figurâ folii Myrtei: ſigillentur, & vaſi vitreo imponantur. Alii Ambram, Oleo Balaninæ in vaſe vitreo ſolvunt, & hoc Oleo, cuncta comprehendunt.

Paraphraſis.

HOc nomen *Gallia* non poteſt ſignificare Gallas aut Nuces Cypreſſi, ſicut diximus in Trochiſcis *Ramich*, quum illæ compoſitionem non ingrediantur. Quid per tale nomen ſibi voluerunt, *Meſue & Myrepſus, Primo Antidotorum, cap.* 424. divinare non poſſum, niſi quod hii Trochiſci inventi fuerint & primum uſitati à Medicis *Franciæ*, quæ *Latine* appellatur *Gallia*, multo ante *Meſuem*: cognomen acceperunt a Moſcho, tanquam ab eo, quod inter bonos odores, primas obtinet.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

QUodque medicamentum ſeorſim pulverizari debet: poſt miſceri, & ſubigi cum muccaginibus Tragacanthi, extractis cum aqua Roſarum; unde finges Trochiſcos figura folii Myrtini, quos ſignabis ſicut diximus ſublingues, reponendos in vaſis vitreis probè obturatis. Quidam (inquit *Meſue*) humectant Ambram Griſeam ſive cineritiam Oleo Balanino, ſive Nucis Myrepſicæ (.i. Myriſticæ) (quoniam ſicut calida Olea non ranceſcit) in fictili vaſe, vel terreo, vernice polito: deinde alios pulveres addunt, indeque formant ſuos Trochiſcos, ut dictum eſt. Qui non ſolum Alexiterii ſunt, ſed conveniunt inſuper in frigidis cerebri, Cordis, Matricis & aliorum viſcerum morbis: Ingreditur etiam multas compoſitiones quas invenit *Meſue*. Qui *Myrepſi* ſunt, intrant illos quos ipſe compoſuit, alioqui non in uſu ſunt. Qui volunt hos diſpenſare, recurrant ad locum præallegatum.

Trochiſci Aliptæ Moſchatæ. D. N. Salernitæ.

℞. *Ladani puri uncias tres.*
Styracis calamites, unciam unam & ſemiſſem,
Styracis rubræ unciam unam.
Ligni Aloes optimi, drac. duas.
Ambræ Cineritiæ, drach. unam.
Caphuræ ſcrupulum unum & ſemiſſem.
Moſchi, ſcrupuli ſemiſſem.

Compone Paſtillos cum aqua Roſarum: ſiccentur in umbra, & reponantur uſui. Myrepſus *habet Caphuræ ſcrup. ſem. ut Moſchi, in reliquis conſentiunt.*

Paraphraſis.

Alipta (ſecundum *Salernitanum*) ſignificat Miſturam ſive Miſtionem: Moſchata adjicitur ob Moſchum qui eam ingreditur. Atque ita ſimpſerunt hii Trochiſci nomen & cognomen, à multis medicamentis odoratis commiſtis, ad ſuffitum pro cerebro & matrice. Baſis eſt Ladanum poſitum in principio. Cujus vis aſtringens auctior fit per Styracem, perducitur ad cerebrum per Lignum Aloes, ad Cor & Matricem, per Ambram & Moſchum: Caphura indita quantitate exigua, non poteſt lædere matricem: ſed per tenuitatem partium penetrare facit craſſitiem Baſis uſque ad cerebrum, & Pectus. *Myrepſus* in *primo Antidotorum cap.* 423. imponit ſemiſcrupulum tantum, ſicut & Moſchi, & non totum ſcrupulum & dimidium, ſicut *Salernitanus*: In cæteris conveniunt.

De Mixtura ſive componendi ratione.

MIxtura, quam præcipit *Salernitanus*, longa eſt & operoſa, ut autem facilius factu habeatur, hunc in modum parari debet. In pulverem redige ſingula medicamenta, poſt commiſcebis, ut ſequitur. Calefacere oportet mortarium quoddam & piſtillum e ferro, & in eo agitare & concutere Ladanum (contuſum) cum parva quantitate aquæ Roſarum, uſquequò probè ſolutum fuerit, nec habeat ullum grumum. Dein adjicies Styracem rubram & Calamiten, quæ agitabis conſimili modo: Dein immittes Lignum Aloes pulveratum: Poſt Caphuram, Moſchum & Ambram, ſimul ſoluta in aqua Roſarum in alio mortario: ex paſta cum ſemirefrixerit, formabis Trochiſcos, quantos & quali figurâ volueris, quos ſiccatos in umbra, uſui ſervabis.

Trochiſci Cyphi. D. Damocratis.

℞. *Vuæ paſſ. pinguiſſ. mundatæ à Cortice tenui & ab acinis, probè levigatæ, & Terebinthinæ puræ, utriuſq; drach. viginti quatuor.*
Myrrhæ optimæ & ſelectæ,
Schænanth. utriuſq; drach. duodecim.
Cinnamomi ſeu Canellæ ſelectæ. drach. quatuor.
Bdellii lachrymæ,
Spicæ Nardi,

Caſſiæ

Caſſiæ nigræ ligneæ, aromaticæ, & non purgatricis.
Cyperi,
Baccarum Juniperi grandium & pinguium.
Calami Aromatici, ſingul. drach. tres.
Aſpalathi drach. duas & ſemiſſem.
Croci drach. unam.
Mellis Attici, *aut* Galliæ Narbonenſis *& vini optimi, utriuſq; modus mediocris ſit ad formandum Paſtillos, ut dicemus.*

Paraphraſis.

HOc vocabulum *Cyphi*, non eſt *Græcum*, ſed peregrinum, quod ſignificat (odoriferum) & nomen eſt indeclinabile. Hiiſce Trochiſcis Sacerdotes *Ægyptii* antiquitus *Deos* ſuos ſuffiebant, ut in Petitionibus ſuis eos ſibi haberent propitios. Poſt, Medici, & præ aliis Magnus ille Rex *Mithridates*, (cui nos ob eximiam ejus rerum ſcientiam plurimum debemus) eos experti ſunt ad venena, Peſtem & frigidos cerebri & hepatis morbos, uti etiam ad catarrhos in pectus decumbentes, admodum valuiſſe, è quorum numero *Andromachus* eſt & *Damocrates*.

De Mixtura ſive componendi ratione.

QUibus comparandi verum Aſpalathum non eſt facultas, accipiant æquale pondus Zedoariæ, quod in mortario contundent cum radice Cyperi: dein adjicient Nardum Indicam inciſam, Canellam, Caſſiam aromaticam, juncum odoratum, baccas Juniperi & Schænanthum, quæ pulverabunt ſimul & per ſubtile incerniculum trajicient.

Seorſim conteri debet Crocus, dein uvæ paſſæ, albæ & pingues mundatæ à ſuis acinis & pelliculis, ut per ſe in mortario marmoreo conterantur, & tranſmittantur ſuper ſetaceum cribrum inverſum cum argenteo cochleari ſive ſpatula: tum ad juſtum pondus requiſitum ponderentur. Poſt, *Damocrates* ait, (Authore *Ruffo Epheſio* præſtanti Medico, qui floruit *Romæ*, Imperantibus *Trajano & Adriano*) agitanda eſſe in marmoreo mortario, Bdellium & Myrrham cum pauco vino generoſo, ita ut ſolvantur & retineant formam linimenti, ſeu Mellis liquidi. Deinde ſumantur quaſi tres aut quatuor unciæ Mellis albi deſpumati & cocti in formam Syrupi: in quo dum adhuc calet humectabis pulpam uvarum, ut dictum eſt, tranſmiſſam, & Terebinthinam, dein Bdellium & Myrrham ſoluta. Poſtremò pulveres: ut de cunctis formentur parvi Trochiſci, ſiccandi in umbra, & condendi in vaſe vitreo, vel de terra vernice polito, & probe obturato, in uſum neceſſarium.

Trochiſci ſcillini. D. Andromachi.

℞. *Scillæ aſſatæ, lib. unam. Farinæ Orobi albi, & non ruſi, uncias octo. Forma Trochiſcos, qui umbra ſiccati, reponantur uſui.*

Paraphraſis.

HIi Trochiſci nomen acceperunt à Scillis Baſi ſua, calidis & ſiccis in ſecundo gradu: quæ tribus facultatibus præditæ ſunt, Una manifeſta, ſcilicet inciſivâ, attenuativâ & deterſivâ materiarum craſſarum & viſcoſarum, quacunque in parte ſitæ ſunt. Altera purgatrice, ſecundum *Meſuem*: Tertia, occulta & cœleſti: per quam reſiſtunt venenis, juxta *Dioſcoridem* & *Gal.* quæ anſam præbuit *Andromacho*, indendi eas in Theriacam. Hæc virtus Alexiteria auctior fit per Eruum, ſeu Orobum album, potius quam per rubrum, quod minus amarus ſit, reſiſtat magis venenis putredinique humorum. Aſſatione ſeu coctione Scylla exuit malam quam habet qualitatem, humiditatem amittit ſuperfluam, nec amplius eſt flatulenta. *Gal. lib. 8. Simplicium.*

De

De Mixtura, sive componendi ratione.

Delectus Scillarum.

ACcipere oportet, Scillas veras ex *Hispania* apportatas: non autem Pancratium, quod Herbarii è *Provincia* ad portant, venduntque Aromatariis *Lugdunensibus*: quoniam secundum *Dioscoridem* & *Galenum*, harum virtus multo minor est: quæ sint magnitudine mediocres, in loco libero patentique nutritæ, suæque naturæ magis apto, à mari & calidis balneis remoto: & quæ pluribus ejusdem generis comitatæ sunt: collectæ post messes, vel ineunte autumno, quando folia sunt ferè sicca, & cum humiditas earum superflua consumpta est, permanente etiamnum sola radicali, hîc quæsita: in plenilunio, claro aëre & sereno. Hujusmodi Scillæ ita electæ, perquam efficaces sunt.

De Scillarum præparatione.

Cujusque Scillæ amputetur caput, adimatur prima pellis sive tunica: deinde pastâ involvatur, ex qua panem cibarium conficiunt, non autem luto, ut (*Critone* authore) quoniam hoc nimis est sordidum. Deinde Scillæ sic involutæ coquendæ sunt in Clibano, usque quo pasta findatur: Si transversim fissuras * paxillus tenuis ligneus, facilè penetret & trajiciatur Scillas, indicio est satis eas tostas esse. Cum jam refrixerint, nitidissimæ quæque & purissimæ (præter ipsarum cor quod seponendum est) accipiendæ sunt, & in mortario marmoreo cum pistillo ligneo tundendæ, cribróque trajiciendæ: quibus adjiciantur duæ tertiæ partes farinæ Orobi albi: Exempli gratia; uni libræ Scillarum quæ unciarum est duodecim, octo farinæ. Tota autem massa in mortario subacta, reducetur in Trochiscos, manibus Oleo inunctis, pendentes quosque drachmam unam; qui in umbra siccandi, & in vasis vitreis probè obturatis usui recondendi.

* *Sive Obeliscus.*

Trochisci Hedychroi. D. Andromachi.

℞. *Mari.* i. Marjoranæ tenui folio odoratissimæ *Gentilis* vulgò dictæ,
Amaraci, i. Majoranæ nostratis, & non Matricariæ cum nonnullis,
Aspalathi (hujus penuriâ sume tantundem Santali Citrini vel Zedoariæ)
Asari, singul. drach. duas.
Schœnanthi, i. *floris Junci odorati*,
Calami Aromatici veri, vel Acori veri tantundem.
Phu Pontici,
Costi,
Xylobalsami, vel succed. ejus. Surculorum Terebinthi, vel Lentisci.
Opobalsami, vel succed. jus, olei Caryophyllorum, vel Nucis Moschatæ, &c.
Cinnamomi, vel Canellæ selectæ, singul. drach. tres,
Myrrhæ electæ,
Folii Indi, seu Malabathri,
Nardi Indicæ,
Croci optimi, &
Cassiæ ligneæ Aromat. singul. drach. sex.
Amomi drach. duodecim, hujus penuriâ sume tantundem Acori veri, vulgò Calami Aromatici dicti,
Mastiches, drach. unam.

Cum vino Falerno aut simili, forma Pastillos usui.

Paraphrasis.

GAlenus *primo Antidot.* confirmat nobis, *Andromachum* horum Trochiscorum authorem esse, eundémque carmine Elegiaco conscripsisse, sicut Theriacam suam in quas ingrediuntur: velut etiam in Diasenna, quam *Myrepsus Primo Antidotorum cap.* 465. describit. *Aetius* jactat se usum fuisse fœlici successu in curatione Polypi, quem opulentus quidam habuit, *Serm. 6. cap. 92.* Alioqui veteribus parum in usu fuerunt, non magis quam *Neotericis* hujus temporis. Quare, Apothecarii dispensare debent tantum quod necessitas postulat, ad suæ Theriacæ Compositionem.

De

De Miſtura ſive Componendi ratione.

PRima in ſerie trituræ ponere oportet ligna & radices: in ſecunda Canellam & Caſſiam aromaticam, Folium & Scœnanthum: In tertia, Sampſuchum vulgarem ſive *Gentilem*, quod eſt Marum, hic quæſitum: habet enim folia minora, & magis odoratus eſt, & amarus quam noſter vulgaris. Quibus ejus non eſt copia, ſumere poterint, vulgarem noſtrum, vel Balſamitem, potius quam Parthenium vel Matricariam *Dioſcoridis*. Seorſim in pulverem vertenda ſunt, Crocus, Myrrha & Maſtiche: Dein miſcenda, ut ſequitur.

Primum in mortario ſolvenda eſt Myrrha, cum vino *Falerno*, ſeu *Malvatico*, ſive Moſchatellino, vel alio perquam generoſo, rubente veteréque. Poſt, adjicienda ſunt Crocus, Maſtiche, & Opobalſamum, ſeu ſuccedaneum ejus, oleum ſcilicet, Caryophyllorum, Nucis Moſchatæ, ſeu Styrax liquida vera ſi parari poſſit: non vulgaris hæc, fœtida, Syphilide digna, ac non tali compoſitione. Dein adjungetur pulvis ſupra memoratus, quo ſatis ſubacto, ex paſta formentur parvi Trochiſci, ſiccandi in umbra, & in vitreo vaſe uſui reponendi.

Trochiſci de Viperis, D. Andromachi.

℞. *Carnis viperæ, cum Anetho, Sale & aqua coctæ, uncias octo. Medullæ panis Aſſi & tenuiſſimè tritæ, uncias duas.*

Sine jure (ne ſitum contrahant aut aceſcant) forma ex arte paſtillum, Opobalſamo aut ſuccedaneo ejus, manibus inunctis: ut monet Galenus, libro de Theriaca ad Piſonem.

Paraphraſis.

ELigere oportet viperas grandes, bene nutritas, ſuis exuviis, ſeu veteri pelle ſpoliatas & exercitatas, ſive agitatas circa finem veris, vel in æſtatis principio (ſi ver fuerat frigidum & pluvium: & non quam primum è cavernis ſuis exierunt) vel quando plenæ ſunt: alioquin macræ ſunt, & minus ſuccolentæ. Quæ aluntur prope mare, vel Thermas, & capiuntur media æſtate, bonæ non ſunt, quia ſitim ægris accerſunt. Viperarum hunc in modum lectarum capies quot libet, quas in paropſidem, ſeu patinam ſatis amplam & profundam immittes, ne poſſint facilè exire. Eas verberabis (cavendo ne ſeparentur aut dividantur,) virgulis tenuibus vel novellis è Geniſta ſive Betula, non autem rudioribus & craſſiuſculis, quandoquidem hæ contundunt carnem, illæ acutius pungunt penetrántque: qua ratione virus earum fertur & aſcendit in caput, ut lædentes ſe ulciſcantur: & ſic faciendo plus prómovebitur, quam cædendo eas ſeorſim. Hoc peracto apprehendes per ſe ſingulas duplices indutus Chirothecas, per extremam caudam: quoniam ita prehenſæ, non poſſunt ſeſe in gyros replicare ad mordendum, ut quivis alius vulgaris ſerpens: cum proceſſus vertebrarum dorſi incumbant alii ſuper alios, quod impedit ſupinam earum reduplicationem ut ſeſe exerant & in ſublime tollant. Poſtea ſuper truncum ligneum diſſecabis eas acuto cultello digitis duobus à capite, & totidem ſupra umbilicum: præterea cavendum eſt, ut hæ, quæ poſt earum amputationem non moveantur omnino, vel perparum, rejiciantur tanquam inutiles. Hoc facto excoriabitur ſegmentum illud à medio, ſicut anguillæ: quod in longitudine fiſſum exenterabitur & tolletur ejus pinguitudo: Inteſtina, ſcilicet, auferentur, quaſi veneni receptaculum, hæc autem ut excrementum. Deinde lavari ſingula oportet multoties in aqua clara & pura: ſic fiet de reliquis omnibus. Quod cum factum eſt, fervefieri eas oportet in alterius aquæ quantitate ſufficienti, in olla fictili vernice polita, vel in patella ſtannata nitida ſuper Carbones lucentes, non fumigatos, adjiciendo parum ſalis, ſaporis causâ, & Anethi recentis, quod doctus & expertus Pharmacopœus facilè noverit neceſſarium eſſe, ſive manipulum, ſive faſciculum unum, ſive plures, ratione habita magnitudinis viperarum, ad corrigendum pauxillum illud veneni, quod reſtare poterit in ſubſtantia carnis, quoad

De Viperarum delectu.

quoad ossa & spinas, facilius separari possint. Postea, caro super mappam candidam in mensa extensam ponatur: atque ita multorum ope famulorum, sive ministrorum, accuratè ossa, & spinas à carne separabis (è quaque vipera quantumvis magna illa fuerit, ægrè extrahes semunciam aut sex drachmas, communiter duæ sunt aut tres drachmæ) quæ exactè tundenda est in mortario marmoreo cum pistillo ligneo. Deinde quarta aut quinta pars adjicietur panis albi, & probè fermentati, in clibano cocti: tum demum seorsim & in tenuem pulverem redacta, cribro transmittetur. Exempli gratiâ. Ad quatuor uncias carnis electæ, sumenda est uncia panis una, vel sex drachmæ: qui duntaxat imponitur ad corpus carni addendum: ut hac ratione reduci possit in Trochiscos & diutius conservandum, non autem ad augendam virtutem eorum (sicut diximus erui farinam ad illos de Scilla) nam quo minus habuerint, eo valebunt magis, ad morsus & ictus venenatas bestiarum virulentarum, & consequenter ad Theriacam. *Andromachus* pater, horum Trochiscorum *inventor* non disertè exprimit panis dosim: *Crito* præclarus medicus, imponit tantum sextam partem: alii tertiam; & adjiciunt brodium in quo viperæ coctæ fuerant, & inde formant Trochiscos suos. *Galenus*, & qui ab eo floruerunt, experientiâ compertum habuerunt, quod ille in causa fuerit quare acescerent hii Trochisci & rancescerent sitúmque contraherent; & quod sine eo sicciores essent, & diutius virtutem suam retinerent: quorum experientia hodiè et iamnum in usu est & praxi. Ex hujusmodi pasta sic præparata formandi sunt parvi Trochisci manibus opobalsamo delibutis, sive oleo Caryophyllorum seu Nucis Moschatæ: *Galeno* Authore in *libro* quem *de Theriaca* composuit & *Pisoni* dedicavit: Post siccandi sunt super cribrum inversum; ut aër ambiens & supra, & infra eos exiccet: ne cogamur toties in umbra eos versare, & non ad solem, & in loco aëri admodum exposito, calido & sicco, immuni ab omni pulvere & alia sorditie. Tum reponi debent in vasis vitreis, aut fictilibus vernice politis, non autem stanneis, plumbi causâ, quod Stannarii vascularii immiscent, probe obturatis ad usus necessarios.

Habetis jam catalogum numero descriptum, Trochiscorum incrassantium, Alterantium, purgantium & Alexiteriorum: quibus Pharmacopœum instrui & muniri decet in Apotheca sua ad usus quosque, cum Medicus præceperit.

Atque hæc pro medicamentis internis sufficiant: nunc de remediis externis dicamus, & finem primo hujus Paraphrasis libro imponamus, ut ad secundum transeamus.

FINIS Libri primi.

LIBER SECVNDVS.

De Medicamentis Externis.

PRÆFATIO.

IN *Libro præcedenti, quam familiarissimè fieri potuit, Paraphrastice exposuimus Compositiones & Antidotos internas quibus Apothecarius tabernam suam instruere debet, ut omni tempore, ætate & sexu facultas sit miseris ægrotis subveniendi. Itidem in hoc secundo libro, Compositiones describemus externas, non omnes, sed præcipuas & magis usitatas, quas Pharmacopœus, pro tempore & loco præparare & servare debet, ut usui inserviant: quales sunt, Olea, Unguenta & Emplastra, incipiendo semper à simplicioribus, & gradatim ad Composita procedendo.*

Sect. 1.

De Oleis in genere.

QUicquid sub ambitum Cœli Lunaris vitam habet, necessariò à calore quodam naturali & humore radicali regitur, eodemque sibi familiari. Hic autem aëreus est, pinguis & substantificus, qui vel natura vel arte à sua materia separari potest; planta sive sit, sive Metallum, Animal, seu Excrementum ejusdem, prout quodq; corpus magis aut minus ejusdem particeps sit: & hoc plane oculis perspici potest: Nulla enim corpora fere inveniri possunt, quæ in ignem conjecta, non aliquam concipiant flammam: certum judicium humoris aërii pinguis & substantifici, quem nos à sua materia secretum Oleum appellamus.

Oleorum Divisio.

Oleum omne, aut *Naturale* est, aut *Artificiale.*

De Oleo naturali quod exit per calorem Solis.

NAturale fit, vel a calore solis, qui ab interioribus ad exteriora attrahit, vel ab eo qui in visceribus terræ includitur. Exempli causa, solis a calore, Eleomeli, *Dioscoridis*

Dioscoride Authore, exit è trunco seu stirpe quarundam arborum, quæ in territorio sive suburbano *Palmyræ* urbis in *Syria* nascuntur. Balsamelæon seu Opobalsamum ex aliis arboribus, quæ crescunt in *Indæa*; & nunc in *Ægypto*, & Grandi *Cairo*. Sed nec hujus nec illius adportatur nunc dierum ad nos quicquam quod omnes notas quas *Dioscorides*, *Galenus* & *Mesue* illis attribuunt, habeat, sed confusas & sophisticatas: quod Majoribus nostris & Antecessoribus in causa fuit ut eorum loco uterentur succedaneis quæ affinia eorum virtuti essent: nempe, vice Opobalsami, liquorem acceperunt quem è Myrrha recenti extraxerunt, & appellarunt Styracem liquidam, sive Staeten (multum ab illa Styrace liquida quod Pharmacopœi nostri suis in officinis hodie tenent discrepantem: fœtidam illamque quidem & Syphilide illa dignam, cui sæpè inservit) in Compositione Antidotorum suorum, videlicet Mithridatii, Theriacæ & aliorum. Nunc dierum pro staete, seu styrace liquida, genuino veterum Opobalsamo, utimur nos Oleo Caryophyllorum, sive Nucis Moschatæ in Antidotorum compositione, potius quam liquore Myrrhæ pulverizatæ & in albumine ovorum duorum positæ, atque in fornice subterraneo retentæ, ut quidam faciunt, & malè. *Wecherus lib. 2. cap. 28. Antidotarii sui specialis*, ait quod è *Nova Hispania* & *America*, apportatur novum quoddam Balsamum, quod illius loci Incolæ vocitant Liquidambar, idque minimè cedit illi ex *Iudæa*, adeò à majoribus nostris celebrato, quod multò carius fuerat quam hodie est. Quod ad meipsum, ad hunc usque diem, mihi non illius copia fuit videndi, nedum ejus periculum faciendi. Causa verò (ut opinor) quare non habemus verum Balsamum est, quod Magnus ille Turcarum Imperator, illarum regionum Dominus in quibus provenit, idque in parva quantitate, reservat illud sibi ipsi, & dono sive pro Xenio, Regibus amicis suis mittit, nec ullo pretio venundari permittat.

Qualis succedaneo, utendum, loco Opobalsami.

De Oleis quæ prodeunt vi caloris in terra inclusi.

Oleorum quæ sponte sua per calorem in visceribus terræ inclusum exeunt specimen seu exemplum præponam, Petroleum, quod naturâ suâ prodit è quibusdam in *Italia* petris, unde nomen sortitum est. De illis longiorem non est mihi animus sermonem habere: sed de hiis præcipuè quæ arte & industriâ Pharmacopœi, idque multis modis præparantur. *Sequitur de Oleis Artificialibus.*

Olea artificialia, sunt vel Simplicia vel Composita. Simplicia partim per Expressionem, partim per Distillationem. Per Distillationem, sive per Ascensorium, sive per Descensorium. De quibus, vel ampliorem in modum, vel succinctiorem, suo in loco dicemus.

Compositorum, alia dicuntur Simplicia, (abusivè loquendo) respectu aliorum consimili nomine, magis Compositorum. Alia quæ retinent cognomen Compositorum, fiunt per expressionem: sicut secundum *Mesuæi* doctrinam, & doctiorum Medicorum, (Deo juvante) monstrabimus.

De Oleis particulatim, quæ fiunt per Expressionem.

INter olea simplicia quæ per expressionem conficiuntur, frequentissimum omnium est illud quod fit ex Oleis maturis, ideò nominatum *Commune*: Qualitatibus diversis imbutum est: prout recens, vetus, impurum, & lotum est, vel etiam loci ratione ubi provenit. Natura enim (ut ait *Plato in Timæo suo*) certas quasdam & peculiares virtutes plantis (præter astrorum influentias) quibusdam in locis largitur, quas in aliis denegat. Omitto experientiam artium magistram qua quotidie videre licet: cui intendere oculos Pharmacopœum oportet: ne fortè destruat facultatem medicamenti quod componit: neve frustretur mentem Authorum, consiliumque Medicorum qui illud instituunt, idque in fraudem ægrorum, & sui ipsius dedecus.

Oleum olivarum maturarum *sive* commune, *fit ut plurimum exeunte Octobri, in Novembri & Decembri, ad hunc qui sequitur modum.*

Accipe quantitatem quam volueris Olivarum maturarum & nigrarum seu decolorium quas seponis sex aut octo dies in aliquo recessu domus, super pavimentum, aut in alio nitido & operto loco, quò nec Boreas nec frigus penetret: quo temporis spatio calorem acquirunt, & exuunt humorem suum, aquosum nigrum & excrementitium, qui facit eos rugas contrahere: post, imponentur in Trapetum ad hoc destinatum, ut mola quadam desuper rotante conterantur: deinde immittantur in sportas de palma vel alia materia contex-

tas

tas (quarum orificium est in medio). Hæ olivis hiisce contritis repletæ & positæ aliæ super aliæ sub prælo sive torculari aquâ, calente irroratæ vel madefactæ magna vi exprimantur. Primum quod exit, & sine vi, calore solum aqua dicitur Virgo, purum scilicet, & clarum, & est optimum: Secundum illud est quod postea prodit: & per expressionem paulo majorem extrahitur quam illud prius: perquam bonum tamen & excellens. Quo facto, colligendum est supernatans aquæ oleum, cogitur in lacus sive cupas lapideas ubi morâ & tempore depuratur, ac diu servatur.

Residuum quod in sportis restat, iterum in eadem mola & trapete tunditur, & post reponitur in eadem, & nox exprimitur, redduntque oleum quod ibidem remanet multò inferius priore, minusq; gratum, quod quidam seponunt, alii verò minimè. Sedimen quòd adhuc cum aqua restat multò spissius quam Oleum, est Amurca veterum, & non fœx, quæ reperitur in capis illis, postquam aufertur Oleum.

De Oleo Omphacino.

OMphacinum oleum *fit ex olivis immaturis, (paulò antequam cœperint colorem mutare) eadem ratione qua superius. Appellatur Græcis & Latinis,* Omphacinum & Omotribes. *i. Crudum & astringens.* *De oleo omphacino Articulo Articiali.*

Quibus facultas non est comparandi tale oleum, curent fervefieri in Oleo communi summitates & surculos, Quercus Cynorrhodi, Rubi, Lentisci, Caprifolii, Ligustri vel consimilium, quantum illis videbitur sufficere, addita parca aquæ quantitate, usque quo humiditas fere consumpta fuerit, sed non tota, ne oleum bulliendo acquirat calorem & loco refrigerii, fervescat: ex quo conficient oleum suum *Rosatum Omphacinum,* & Unguenta, quæ posthac declarabimus.

Oleum Amygdalarum dulcium. D. Mesues.

℞. *Amygdalarum dulcium, à cortice lignoso, & membranosa cute purgatarum, quantum sufficit. Terantur accuratè, & affuso aquæ momento, vase excipiuntur, & circiter horas quinque, in aqua calida vel calente arena, aut simili contineantur, foveanturque, ut aliquantulum incalescant: postea, sacculo conclusæ, torculari premantur dum oleum emanet.*

Simili modo fiunt *Olea Amygdalarum amararum, Caryinum, i. Nucum Iuglandium,* & *Balaninum, i. de Ben.* Utrumque eandem vim habet, teste *Dioscoride, lib. 1. cap. 34. Leptocaryon, i. Avellanarum, Chrysomelorum, i. Præcocium, Nucleorum Persicorum, Cerasorum, Pistaciorum, Strobylorum, i. Pineorum, Nucis Indicæ, Anacardorum, Moschatæ,* &c. *Olea fructuum quæ similimodo fiunt.*

Item *Olea seminum Cnici, i. Carthami,* & *Cocci Gnidii, i. Thymelææ,* verum Cnici invalidior. *Dioscor. cap. 35. lib. 1. Raphani* & *Melanthii,* sunt ambo ejusdem facultatis. *Dioscor. Lini* & *Ricini, i. de Cherva,* hæc duo eandem sortiuntur vim. *Testibus Aëtio, lib. 1 cap. de Oleis,* & *Myrepso, sect. 16. Sesami* & *Amygdal dulcium.* Idem, *Paulus* & *Mesue. Quatuor Sem. Frig. majorum, Melonis, Cucumeris, Citruli* & *Cucurbitæ: Citrii* & *Aurantii, Lactucæ, Papaveris, Cannabis, Sinapi,* & *Staphydis Agriæ,* & sic de multis aliis. *Olea seminum ut præparanda.*

Paraphrasis.

NOn sufficit ut Pharmacopœus purget Amygdalas suas ut dictum est corticeutroque, ut ait *Mesuæus:* sed etiam monet Idem, ut non habeat amaras, vel rancidas, vel etiam quantum fieri potest vetustas: nec anteponant quæstum vel honori suo, vel ægrorum sanitati, qui fidei ejus vitam suam committunt. Illi ergo culpandi, qui non amygdalas suas membranosa sua cute vel pelliculâ purgant: Hæc enim astrictione sua occludit reddit que asperos illos locos, quos oleum dilatare debet & lenire, illud autem omnino est adversum Medicorum menti. Hoc autem moneo, ne amplius in consimilem errorem, ut antea incidant. *Error imprecatus.*

Ut igitur Methodicè procedatur in operando, probè seligendæ sunt Amygdalæ,

deinde ſua pellicula illæ, tepente aqua nudandæ, & linteo ſiccandæ: Pòſt, exactè in mortario cum piſtillo ligneo terendæ, quoad in paſtam reducantur: eaque intra ſaculum lineum, vel pannum cribrarium modice laxum, ponatur, in quo tractim non ſemel ac ſimul in torculari exprimi par eſt, ita ut non incaleſcat. Tale oleum, ſine igne extractum, eſt jucundiſſimum, & eximiè valet ad omnia, quæ *Dioſcorides*, *Galenus* & *Meſuæus* in eruditis ſuis ſcriptis promittunt.

Pro ſingulis amygdalarum libris extrahuntur ferè duæ aut tres unciæ, interdum verò plures olei.

Reſiduum denuò contuſum, affuſo aquæ momento, & calfactum in *Balneo Mariæ* (impoſitum in ollam vitream, vel de terra vernice politam, probè obturatam) vel in cineribus ſive arena calidis, Authore *Meſue*, ſeu ſuper mediocrem ignem, movendo ſubinde cum ſpatula (ne fortè adurantur) impoſitumque in idem ſaculum ſeu pannum tamiſium, & diligenter expreſſum, reddit etiamnum pro quaq; Amygdalarum libra, duas ferme uncias olei, quo uti poſſis in unguentis & emplaſtris, in quibus calor minimè ſuſpectus eſt. Ita quidem Pharmacopœi, non perdiderint nec minuerint lucrum ſuum, ſimúlque plurimum ægris profecerint.

Olea inſequentia, eodem modo fiunt. Nempe.

ILlud *Amygdalarum amararum, Glandis Unguentariæ, Nucum communium*, quæ conſimilem virtutem ſortiuntur, *Avellanarum, Nucleorum Perſicorum, Pinearum, Nucum Indicarum, Anacardorum*, & *Nucis Moſchatæ*.

Olea de ſeminibus ſequentibus ſimiliter fiunt.

VIdelicet, de ſemine ſeu grano Thymelææ, & de Carthamo, quæ ſimiles virtutes habent (niſi quod hujuſc. vis minor eſt. *Dioſcor cap.* 35. *lib.* 1.) *de Sem. Rhaphani & Melanthii, Lini, Cherve, ſeu Palmæ Chriſti, Seſami, & de Amygdalis dulcibus: de quatuor ſeminibus frigidis: & Melonum, Cucumeris, Citrullorum, & Cucurbitarum, Citriorum, Limonum, Aurantiorum, Lactucæ, Papaveris, Cannabis, Sinapis & Staphidis Agriæ*, &c.

Hoc intereſt, quod quorundam ſeminum Cortices ſive pelliculæ, non curæ eſſe debent, velut Hyoſcyami, Papaveris, Lactucæ, Frumenti, Sinapis, Lini, Melanthii, Raphani, & Cannabis, quæ non poſſunt mundari, ut aliorum.

Dummodo Pharmacopœus habeat in officina ſua hæc ſemina, ſatis eſt, & non eorum olea, quoniam quocunque tempore fieri poſſunt, & cum neceſſitas poſtulet: Etiamque meliora & gratiora ſunt recentia, quam vetera.

Oleum Frumenti. *Quod ad oleum Frumenti, fieri poterit inter duas ferri laminas, mediocriter calidas, ut ait* Meſue: *vel per aſcenſum, ſicut illud de lateribus (de quo ſuo in loco) vel per deſcenſum, Authore* Jouberto, *& in magna ſatis quantitate.*

Oleum ſem. Ebuli. D. Matthioli.

SEmen Ebuli à fructu nigro ſuo ſeparatum & ſiccatum, conterendum eſt, cum piſtillo ligneo in mortario, & in maſſam reducendum: quam madefacies per noctem totam in aqua calenti. Poſt imponendum in vas ſtanneum patente orificio, ubi coqui curabis modico igne, ſublatâ, cum refrixerit, ſpuma quæ ſupernatat (proveniens tam per calorem, quam continuam agitationem) deinde colligatur oleum cochleari, uſui reponendum.

Oleum Laurinum. D. M.

℞. *Baccarum Lauri maturarum ac recentium quantum videbitur. Terantur in pila, deinde in aqua coquantur in lebete. Poſt Torculari plano non cavo exprimantur in vas ſubjectum: in quo aquæ ſupernatans oleum, colligatur. Fæx rurſum contrita, & affuſâ calenti aquâ exprimatur cavato torculari: colligatur oleum, & reponatur.*

Simili

Simili modo fiunt, *Olea ex Baccis Lentisci, Terebinthini, Hederæ, Myrtillorum & Juniperi.* Hoc odoratius & ad omnia efficacius, eo quod fit ex ligno per descensum. De quo fusius suo in loco.

Paraphrasis.

O Oleum Laurinum, adeò vili venditur, ut non adulteretur, ob ingentem vim Baccarum quæ colliguntur in *Italia, Languedoca*, & alibi. Unde fit quod Pharmacopœi meliorem quæstum faciant, ementes ab iis qui illud faciunt, quam operam insumentes in præparando illud, sicut *Mesue* præcipit: Quo recentius est & viridius, eo melius, *Dioscor.* Eodem modo fiunt Olea Lentisci, Terebinthi, Hederæ, Myrtillorum & Juniperi. Olea enim Terebinthi, Myrtillorum & Juniperi, magis composita, fiunt aliter: ut suo in loco demonstrabimus.

Oleum Ovorum. D. M.

℞. *Ova recentia elixatione indurata n°. viginti aut triginta. Ex his vitellos exime & comminutos in sartagine terrea vitrata, igni mediocri assa, movendo spatula ferrea, donec rubescant, & oleum ab eis manare incipiat. Deinde offam ferventem injice in sacculum lineum, vel pilis contextum, & exprime torculari; quod expressum fuerit oleum, usui repone.*

Paraphrasis.

HOc Oleum sicut alia multa præparari non oportet nisi in ipso necessitatis tempore. Idcirco, Accipe viginti ova aut triginta, quæ curabis in aqua fervefieri, donec indurata sint. Horum lutea sumes quæ in stanneo deguttorio sive in terreo vase vernice polito, cum spatula vel cochleari conteres, assabis vel friges modico igne, movendo semper, donec rubescant, & inter digitos pressa incipiant liquorem pinguem reddere, post confestim in sacculum ad hoc destinatum, sive lineum sive è pilis contextum, & torculari sive prælo inter duo tabulata sive tigna calida exprimantur. Oleum quod destillabit, usui est reponendum. Sequitur jam ut dicamus de Oleis quæ fiunt per destillationem, quæ in serie compositorum posuimus.

De Destillatione in genere, quid sit.

DEstillatio, est per calorem vel frigus, separatio heterogeneorum, & congregatio homogeneorum, de quacunque materia: Fit autem vel per descensorium, sive per Ascensorium.

De Oleis quæ fiunt per Descensorium, in genere.

PEr Descensum facilè elicimus oleum è lignis pinguibus & gummosis, nempe *Junipero, Fraxino* etiam, & *Spina*, è *Guajaco, Hedera* & *Pino*. Sic è multis aliis quæ monstrat *Mesuæus. Vel accipe duas ollas terreas sive fictiles, plumbatas, magnitudine pares: quarum altera immergatur in terra usque ad collum, vel supra fornacem consultò factam; altera impleatur aliquo dictorum lignorum, in longas & tenues particulas fisso: Tum, superimpone laminam orichalci pertusam & instar cribri foraminulentam. Post, orificia binarum ollarum, committantur, & lamina illa interposita, lutentur simul. Deinde, supra & circumcirca struatur & accendatur bonus ignis, spatio justo duarum horarum. Ita destillabit in ollam inhumatam oleum, quod vasculis vitreis usui recondetur.*

Olea *Bituminis, Ambræ citrinæ*, quæ & *Karabe* nominatur vel *Succinum*: *Gagatis* sive *Nigri Succini*, fieri possunt sicut supra dicta, Authore *Mesuæo*. Veruntamen hodie alio modo fiunt hæc olea, quem vitandæ prolixitatis causa omittam. Adde quod de hoc argumento multi integros composuerunt libellos ad quos recurrere poteris, vel *Alcumistas* frequenter invisere: A quibus Pharmacopœus uno in mense plus edi-

ſcet eos videndo operantes, quàm legendo per totum annum eorum libros. Huc accedit, quod cum quot Capita tot ferè ſint rationes eædemque variæ & diverſorum generum, in certas quaſdam & particulares deſcribendo eorum magis conſulens commodo, acquieſcant.

De Diſtillatione in ſpecie, & primò de Oleis quæ fiunt per deſcenſum.

Oleum Myrrhæ. Incerti Authoris.

℞. *Myrrhæ ſelectæ, & craſſiuſculè tritæ, quantum ſufficit. Albumina ovorum elixatione indurata, & per medium inciſa, repleantur, & inverſa, loco ſubterraneo ut cellâ vinariâ, intra paropſidem nonnihil inclinata, ponantur. Sic, liquor Myrrhæ in vas ſubjectum deſtillat, qui oleum dicitur.* Hoc perperam nonnulli pro ſtacte uſurpant, verùm ſtacte *Dioſcor.* eſt pinguedo recentis Myrrhæ, cum ex igua aqua tuſæ, & *Organo* expreſſæ: perquam odorata & pretioſa, quæ vicem Opobalſami in magnis Antidotis ſupplere queat, ut alibi annotavimus. Quod per aſcenſum fit, hoc longè eſt valentius.

Paraphraſis.

OLeum Myrrhæ, fit per Aſcenſorium & Deſcenſorium, ſicut jam & mox deinceps, ſecundum *Fioravantum* monſtrabimus.

Per Deſcenſorium, Recipe bonæ Myrrhæ probe ſelectæ quantum voles (quâ craſſiuſculè pulverizatâ) *implebis ovorum albumina coctione indurata, quæ tranſverſim ſive decuſſatim diſſecabis. Hæc inverſa ſuper laminam ſeu aliud inſtrumentum & paulùm inclinata, imponantur in cavum ſive cellam frigidam, ſub qua fuerit, catinum ſive paropſis profunda, in quam deſtillabit liquor quidam qui appellatur oleum recondendum.* Nonnulli ad Antidota utuntur eo vice Opobalſami: Quod minime probo: quoniam nulla affinitate accedit ad Stacten veterum: qui liquor eſt, per expreſſionem extractus de Myrrha recenti admodum odoratus & pretioſus. Cujus loco Authore *Vechero*, ſumere licet Liquidambar apportatum è *Novis Hiſpaniis*: vel oleum Garyophyllorum, extractum ut monſtrabimus: vel etiam illud Nucis Moſchatæ, ſicut ante diximus. Oleum Myrrhæ quod elicitur per Aſcenſorium, multò majoris eſt quam hoc energiæ.

Oleum Tartari.

℞. *Tartari doliorum lateribus adhærentis lib. quatuor: Conjice in vas figulinum ollamve, & urantur in fornace cum lateribus aut tegulis aut fictilibus: vel per ſe, quoad tartarum omne candidum reddatur: Dein imponatur ſacculo Pyramidali (ut eſt Manica Hippocratis) & loco frigido, uti cella vinaria ſuſpendatur: donec in vas ſubjectum fluxerit liquor aqueus, Oleum Tartari nuncupatus, uſui reponendus.*

Paraphraſis.

HOc oleum fieri poteſt per Aſcenſorium, ut *Meſue* docet, hodie tamen præparatur per Deſcenſorium, & ſine aceto, facilè & copioſè ſatis, hoc modo. Accipe Tartarum album vel rubrum, quod calcinari curabis intra ollam terream, in fornaci aliqua de tegulis, vel in clibano, quoad fuerit prorſus album. Poſtea pulverizabis, & injicies in ſacculum lineum, ſive pannum laneum quaſi Manicam Hippocratis: Hoc ſuſpendetur in cavo ſubterraneo, vel cella, vel alio loco frigido; inde ſtillabit liquor clarus inſtar aquæ, in ollam ſubjectam, ſpatio octo dierum, vel quandiu deſtillare permittatur: ſi ſupernè ligatus fuerit ſacculus, oleum magis & citius exibit, quod uſui ſervetur.

Multa

Multa præterea olea fiunt per descensorium, sicut diximus in præcedentibus (quæ prudens omitto) quod etiamnum non omninò, vel perparum in usu sint.

De Oleis in genere quæ per Ascensorium, vel Ascensum fiunt.

PEr Ascensum sive Ascensorium olea destillamus è speciebus aromaticis una fere omnia ratione; quæ multo plus habent virium, quam quæ vel per expressionem fiunt ut supra diximus, vel per impressionem, ut post dicemus: vel etiam unguenta & emplastra quæ prostant in officinis: quoniam retinent & odorem & saporem plantæ unde proveniunt. Huc accedit quod talis substantia sulphurea, seu oleaginosa, separata est, à sale suo, & Mercurio, & excremento. Ejusmodi sunt *Acorum verum*, falsò ab Apothecariis nostris appellatum, *Canna odorata* sive *Juncus*. *Lignum Aloes*, *Santalum*, & *Lignum Rhodium*, *Cedri* & *Balsami*, *Canellæ*, *Macis*, *Cardamomi*, *Caryophylli*, *Piper*. Herbæ odoriferæ: quales *Calamintha*, *Origanum*, *Pulegium*, *Salvia*, *Rosmarinus*, *Hyssopus*, *Thymus*, &c. Semina odorata quæ in umbellis proveniunt, sicut *Anisi*, *Fœniculi*, *Anethi*, *Dauci*, *Amomi*, *Angelicæ*, *Spicæ* sive *Nardi Italicæ*, & *Lavendulæ*. Et sic de multis aliis. *De lignis, corticibus & radicibus. De herbis, floribus & seminibus.*

Recipe igitur, unius vel plurium supradictorum aromatum quantum tibi videbitur, quæ ut par est contrita, vel crassiusculè in pulverem ducta, imponantur Cucurbitæ vitreæ vel æneæ intus stannatæ. Cucurbitam appello vas quod materiem continet, ob similitudinem quam habet oblonga hortensis cucurbita, mundata suis seminibus & pulpa. Si Cucurbita sit vitrea, primum lutari sive oblini debet argilla, fimo equino & vitro pulverizatone calore ignis dirumpatur. Quantitas Aromatis limitanda est secundum ejusdem Cucurbitæ capacitatem. Tertia n. vel dimidia pars ad summum sufficit: Deinde imponendũ aquæ quantum supernatet paulum, circa tres digitos. Pòst, infundi permittatur paulisper super calidos cineres Cucurbità probè obturata. Quidam ut citius opus peragatur, minus indunt aquæ & plus pulueris, nec minus elicunt olei: nec malè quidem faciunt, qui uti velint aqua destillata, cum separata jam est ab oleo, poterint prius consilium sequi, qui minùs, posterius sequantur, nec utantur infusione: Quo facto, appones Cucurbitæ capitellum de vitro & non de ulla alia materia: quod oportet, Cucurbitæ collo lutari, unà cum charta, vel panni culis & Brodio facto de farina integra, sive amylo: pòst, immitti in lebetem aqua plenum, vel dimidia ex parte sepeliri in cineribus vel arena increta sive cribrata, super furnum vel fornacem ad hoc ipsum consultò fabricatum. Deinde habere oportet Doliolum sive cadum de industria factum: vel vas quoddam pertusum, oblique situm infra fornacem: Tum canalem oblongam ex ære vel orichalco candido interius stannato, qui transversim per dictum Doliolum transeat, ita ut summitas superior committi & lutari possit cum rostro capitelli sive pilei, inferior verò altera collo vasculi recipientis: ita ut aqua quæ infunditur effundi non possit nec effluere nisi pro libito destillatoris, per alteram pusillã canalem (sive fistulam aut cannulam ut vulgò loquuntur, inferius sitam ad ejusdem ventrem, ut extrahatur aqua cum caluerit, & ejus in vicem imponatur frigida. His omnibus hunc in modum probè dispositis, ignis accendatur fornacis, ubi ponetur lebes qui continet cucurbitam: qui ignis paulatim auctior fiet, sed non intendatur nimis, ne aqua ebulliat, quem tamen fovebis continenter sine intermissione, usque quo oleum prorsus totum exierit. Hoc autem facilè cognoveris, si delutetur sive disjungatur recipiens, à canali qui transit per doliolum, ita ut liquor qui exit non amplius retineat odorem & saporem aromatis destillati. Neque expectandum est dum materia intra Cucurbitam contenta, omnino desiccetur, sed conservetur potius in alteram operandi vicem. *Methodus destillandi omnium Aromaticorum Medicamentorum valde singularis & familiaris.* *Signum cognoscendi si aromaticum medicamentum satis destillatum fuerit.*

Jam vero ut separetur oleum ab aqua, imponere totum oportet vasi terreo vernice polito per infundibulum, in fundo perforatum, quod obturandum est epistomio sive siphone ex ligno vel cera, qui laxato effluet primum aqua, & oleum in lebete sive olla subsistet, modo quis diligenter obturaverit illud foramen, cum tempus postulet, quod oleum recondetur ad usum. *Ratio separandi aquam ab oleo.*

Qui uti voluerint aqua, vel ad novam destillationem, vel ad morbum aliquem curandum eam seponunt.

Quantitas

Quantitas hujuſmodi oleorum ſic ſe habet, è cujuſque materiæ libra elicitur à ſex drachmis, ad unam vel duas uncias olei pro ratione aromatum magis aut minus pinguium. Qui expeditius conficere materiam ſeu opus volunt, fornacem conſtruunt rotundum vel quadratum in medio unum caminum habentem, & in ambitu collocant plures cucurbitas æneas ſtannatas, intus pro arbitrio ſeparabiles: quibus imponunt aromata ſive ſpecies quas deſtillare cupiunt, minore cum aqua & abſque infuſione: dein lutant capitellum vitreum, ut dictum eſt, & committunt roſtrum cum receptorio ſive infundibulo: pòſt accendunt ignem qui inſerviat omnibus ex æquo Alembicis, eumque continenter alunt uſquequo oleum fuerit omnino extractum. Hujuſmodi olea inferiora virtute ſunt præcedentibus. Medici Baſilienſes excogitarunt aliam quandam methodum & expeditiorem & concinniorem, quæ nequaquam primæ ſupra ſcriptæ cedit: quod olea ſic extracta non minorem habeant energiam, ad id quod illi prædicant.

Alter deſtillandi modus.

Alii ſingulis libris ſpecierum Aromaticarum imponunt decem aquæ: ita ut tertia Cucurbitæ pars ſuperſit vacua, atque in pila ſive mortario conterunt dicta aromata: Ratio quare tantum aquæ immittunt eſt, ut inſerviat pro vehiculo, oleo tanto quod elicitur.

Olea quæ pondere ſuo petunt aquæ fundum, alio modo ſeparari debent quam quæ ſupernatant: Qualia ſunt Canellæ, Macis & Caryophyllorum: è quibus nonnulli ſine tritura oleum extrahunt: poſt infœliciter cum aliis miſcent, ut ea pro bonis diſtrahant: atque ita minus conſultè imponunt, nam poſtea deveniunt inſipida.

De Reſinis, Lachrymis & Gummi in genere.

OLea quæ ex Reſinis, Lachrymis, Gummibus & Metallis ſeu Mineralibus eliciuntur, alio modo fiunt. *In pulverem reducite Reſinam veſtram, Lachrymam vel Gummi: Dein impones in Alembicum ſive Retortam, cum oblongo collo, prius lutatam, ut diximus de Cucurbitis vitreis, vel melius ſi id fieri poſſit: Eandem infundi curabis, ſine additione liquoris in Balneo Mariæ, vel ſuper calidos cineres, per octo dies. Sinminus, Retorta ſita ſit ſuper fornacem de induſtria factam, collo elevato, & cum ſuo recipiente lutato. Dein à principio, modicum ignem facies, qui ſub finem augebitur & concinnabitur, dum totum oleum deſtillatum fuerit, quod initio pallidū erit, & tandem in fine rubrum.*

Hæc olea ſunt etiam operoſa: & magna requiritur dexteritas ad ignem moderandum, & perparum reddunt.

Qui particulariùs ſcire hoc cupiunt, ſuadeo iis, ut videre ipſi vellent plus exercitatos in ſua praxi *Alchymiſtas*, tam ad fornacis fabricationem, quam ad regendum ignem: Sic uno in menſe plus addiſcent, quam toto anno legendo libros, ut dictum eſt ſuperius.

De Oleis in ſpecie, quæ per Aſcenſorium deſtillantur.

Oleum Philoſophorum ſeu de Lateribus. D. M.

℞. *Lateres rubros, vetuſtiſſimos, quantum ſufficit: Infruſta (unciæ unius ſcilicet) comminue: & carbonibus non fumantibus accende, donec igniti rubeant. Tunc concha oleo Roriſmar. vel antiquo claro plena, dictos lateres extinguito & dimittito quouſque oleo impleverint: Poſtea oleo exemptos in tenuiſſimum pulverem terito, atque in Cucurbitam vitream, prius Chymiſtarum luto illitam, ex arte oleum elicito, & reponito. Hac lege alia quam plurima olea, ut Oſſium &c. parari poſſint.*

Paraphraſis.

Diviſio hujus Olei. Naturale.

MEſue tradit bina hoc nomine olea: unum naturale, alterum artificiale: Idémque ille denuò ſubdividit in Minerale & Marinum: Minerale vulgo nomina-

tur Petroleum. Marinum est Naphtha *Dioscoridis*: Cujus tres sunt species. Optimum est pallidum, seu subalbidum: Subrubrum medium tenet in bonitate: Nigrum spissumque, infimum est & nihil valet. *Tria genera Naphthæ.*

Cognomen impositum est ab *Alchymistis*, quod *Mesuæi* ætate appellabatur, uti etiam hodie (per Ironiam) [*Philosophorum*] quod sese solos dignarentur hoc titulo, quoniam in viscera usque terræ, secreta naturæ scrutati sunt. Propriè ut loquamur, cognominatur [*De Lateribus*] sive de Quadris, unde extractum est. Dicitur etiam, *Divinum, Benedictum* & *Sanctum, Perfectiq; magisterii*, ob ingentes raráque ejus virtutes. Hoc ex loco colligere licet: quanti æstimavit *Mesue Alchymistas*, cum eorum & vocabulis & remediis usus fuerit: majori tamen dexteritate propter eximiam scientiam suam & experientiam, quam illi ipsi. Quod idem hodierno etiam die doctiores Medici faciunt. *Bulcasis*, cognominatus *Servitor*, 28 *libro suorum operum*, consulit quadras illas seu Lateres sumere, cum primum è fornace exeunt, priusquam aqua illis injiciatur, ut ita plus olei imbibant. Et bene quidem illis consulit, quibus facultas est: Alii, Consilium *Mesuæ* sequentes, accipere solent, vetustos Lateres rubros, eósque in frustula comminutos, quos super carbones accensos immittunt usquequo ardeant & fiant perquam rubri: quos eousque forcipibus sigillatim prehendunt & in Oleum Rorismarini vel alterum commune, vetus & clarum, intra Concham vel Catinum peramplum injiciunt. Quos oleo imbutos & in pulverem reductos, imponunt in Retortam luto oblitam, ut dictum est: vel in Cucurbitam cum quodam Capitello seu Pileo vitreo desuper appositio, quod etiam cum recipiente suo lutatum committatur. Igne jam subjecto, destillabit Oleum ad multos frigidos morbos præstantissimum: Quod quo vetustius, eo melius erit. *De Artificiali & ejus nomine.*

Eadem ratione elici potest Oleum, ex ossibus humanis & aliorum animalium, ad multos usus.

Oleum Ceræ. Incerti Authoris.

℞. *Ceræ flavæ quantum voles: Igni lento liquata & in vinum album projecta, manibus abluatur: Hæc rursus liquanda, & in eam injiciantur frusta laterum vel tegularum candentia, ut universam ebibant, quoad fieri poterit. Post, curiosè terantur, & vasi per sublimationem destillanda trade, luto Chymistarum in Capitello committe, carbonibus in fornace accensis coque, donec oleum destillet in phialam vitream, naso imo Capitelli agglutinatam: quam exactè obstructam reconde ac serva.*

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

Paraphrasis.

QUis fuerit hujus olei Author, incertum nobis est. Fit autem sicut præcedens: nisi quod primum liquare oportet Ceram ad modicum ignem: dein cum jam prorsus incaluerit, in vinum album injicere, & curiosè manibus lavare: post iterum liquare, & immittere in illam, frustulorum tegularum sive laterum, è fornace sive ardenti igne extractorum quantum (quoad fieri possit) totam imbibere possit. Deinde contundantur & immittantur in Alembicum, vitreum sive sit sive æneum non refert: dummodo Capitellum sive pileus sit de vitro, sufficiet: quod cum sua Cucurbita luto committi oportet, & rostrum ejus cum suo recipiente. Demum in fornace suo, totum (ut dictum est) destillabitur. Oleum est valde clarum, & arthriticis excellens. Quamobrem diligenter usui servandum.

Oleum Myrrhæ. D. Leonhardi Fioravanti.

℞. *Myrrhæ selectæ & pulveratæ uncias sex, Aquæ vitæ sine Phlegmate uncias duodecim. Macerentur in Cucurbita vitrea fimo equino diebus sex. Dein in Balneo Mariæ destillentur, quoad tota aqua ascenderit. Tunc in fundo Cucurbitæ Oleum videbis, quod panno lineo colatum, usui servandum erit. Balsami vires in magnis Antidotis supplere poterit: sed inefficacius multò Oleo Caryoph. vel Nucis Moschatæ.*

Paraphrasis.

HOc Oleum multò efficacius est, quàm quod antè scripsimus. Author ejus *Leonhardus Fieravantus* describit, in libro secundo, cap. 57. & lib. 4. cap. 13. suorum Phantasmatum, hoc modo. Accipe Myrrhæ puræ selectæ & contritæ, sex uncias; Aquæ vitæ rectificatæ duodecim uncias. Infunde totum in quadam retorta seu Cucurbita vitrea probè occlusa, sex intregris diebus intra fimetum equinum, præcalidum, vel alium consimilem locum, sive aquam tepidam, vel cineres calidè servatos. Post illi appones suum de vitro Capitellum, ut luto committatur cum sua Cucurbita, & rostrum cum recipiente suo, & destilletur in Balneo Mariæ, ut supra declaravimus. Cum aqua prorsus ascenderit & abierit, oleum reperietur in fundo Cucurbitæ: non enim illud ascendit cum Aqua vitæ, sicut Olea alia. Hoc colatum per linteum candidum, recondetur usui, non solum ad Antidota, loco Balsami Judaici, sed etiam ad curationes multorum ulcerum.

Oleum Benjoini. *Oleum Benjoini* pulverati fit, cum simili dosi aquæ ardentis, destillatur sicut supra dictũ: vel quemadmodum diximus in genere, de Oleis aromatum & seminum odoratorum, nisi quod sub finem exibit Gummi, sicut Manna, quod cum aqua Rosarum inserviet faciendæ aquæ, odoris exquisitissimi. Alii ad hoc effectum, vice aquæ ardentis, imponunt aquam Rosarum, sed invalidius ad medicinam.

Oleum Ammoniaci. *Oleum Ammoniaci,* vel alterius liquoris fit, quando solutum est in vino vel aceto, adjiciendo crassum sabulum, vel vitrum pulveratum, intra Cucurbitam, cum suo Capitello seu pileo vitreo, vel etiam in retorta quadam, luto cum recipiente suo commissa, ut supra dictum est.

Oleum Terebinthinæ. *Oleum Terebinthinæ* fit, in Cucurbita sive Retorta, luto ut dictum est oblito: cui adjunctum est parum salis, vini aut sabuli, ad obstandum ne bulliat. Hæc ipsa Terebinthina sepulta in cineribus vel sabulo increto, destillari debet lento primum igne, qui paulatim augendus est. Primum quod exit oleum est clarum & subtile: secundum fulvum instar auri: postremum nigrum, atrum & spissum: separari hæc per se possunt & servari.

Oleum Mellis.

℞. *Mellis albi quantum sufficit: ei silices minuti aut arena crassa misceantur & Cucurbitæ, aut Beciæ magnæ indantur, & destillentur ut decet. Aqua ab Oleo separanda & per se usui reponenda: Quæ si iteratis vicibus destilletur, quoad auri colorem nacta sit, aurum liquat, magnarumque est virium. Oleum verò ad podagram, & vulnera curanda, singulare est remedium.* Andernacus.

Paraphrasis.

QUis fuerit Author non liquet, hujus olei, quod facile est & jucundum, Arthriticisque & ulceribus singulare.

Accipe mel candidum de Provincia vel Languedoca, quod impones in magnum Alembicum vel Cucurbitam vitream: cui adjicies crassum sabulum vel vitrum pulveratum ad impediendum quo minus à calore ignis sursum feratur & effluat: deinde in cinere seu arena cribro transmissa sepelies, & eidem aptum Capitellum appones luto oblitum, rostrum item cum suo recipiente committes: Postea facies parvum initio ignem, qui sub finem augebitur. Tum aquam ab oleo separari curabis, ut antè ostendimus.

Si aqua sepositâ rursus reddatur eidem Alembico sine sabulo & destilletur, præstantissima est ad morbos quamplurimos: Oleum etiam seorsim reconditum usui erit ad id quod supra.

Oleum

Oleum Sulphuris.

PRimò Sulphur ignem non expertum, vel flaviſſimum, inter urendum fumum craſſum emittit, excipiendum Campana vitrea, aut terrea plumbata aut ſilicea in qua (ex vapore craſſa) oleum concreſcit, deſtillatque in vas planum, capax: in cujus medio Sulphur vaſculo conditum, uritur. 2. Aliùs trito Sulphure per Aquam vitæ incenſam, ignea conſumitur ſubſtantia: Poſt, reliquum deſtillabitur, ut Oleum Philoſophorum.

Paraphraſis.

TRibus modis fit hoc Oleum. 1. Accipe Sulphuris vivi quod adhuc liquefactum non fuit, quod appellatur, Sulphur de rupe, vel flaviſſimi quod parari poterit, unam aut duas libras, quod teratur, & una pars ipſius imponatur intra laternam ligneam ſatis ſpatioſam, (ut patinam terream vernice politam capere poſſit) ſuperior cujus pars pertuſa ſit: ut ei annectatur campana quædam vitrea, vel de terra plumbata. Patina illa terrea in medio elevari debet, & ad hoc ipſum pro tempore fieri, ut ei apponatur & aptetur olla terrea (quæ continet Sulphur) quæ non adeo ampla debet eſſe ac campana: & ab ea diſtet tribus plus minus digitis. Ejuſmodi laterna impedit, quò minus ventus vaporem Sulphuris extrorſum pellat. Hoc facto imponetur ignis veru ferreo ardente, quo etiam ſubinde Sulphur agitabitur: in hunc finem ut major vaporis quantitas in ſublime feratur, & plus olei acquiratur. 1.

Quod reſtat Sulphuris, adjicietur, cum tempus poſtulet. Totum hoc debet poni ſub camino quodam, ne odor Sulphuris, artificem ſive operarium lædat. Hunc in modum operando videbitur oleum paulatim de Campana in patinam decidere cavam, quod uſui ſervandum eſt. Hæc via ratioque operandi melior eſt, & uſitatior quam alia quæcunque, & qua plus olei eliciatur.

Alter modus eſt, ut pulveretur Sulphur, & adjiciatur *quarta pars craſſi Sabuli*, vel Vitri pulverizati vel Pumicis, ne Sulphur ſurſum elevetur, & adhæreat retortæ ſive Alembico: Poſtea totum in eo contentum deſtillabitur, vel in Cucurbita ænea, Capitello vitreo lutato cum recipiente ſuo, ut dictum eſt. 2.

Tertius modus eſt, adjiciendo Sulphuri vivo pulverato, Aquæ vitæ rectificatæ duplum ad minimum: poſt imponere ignem, ad conſumendum igneam illius ſubſtantiam: poſt in pulverem etiam duci debet, & parum Sabuli addendum, ut deſtilletur demum, ita ut diximus de Oleo ex Lateribus. Summum eſt hoc remedium, Aſthmaticis & ulceribus malignis.

Ut fiat *oleum de ferro aut chalibe*: illud limare, calcinare & in tenuem pulverem adhibito acerrimo quod parari poſſit aceto, ac tum demum cum Retorta quadam in fornace communi deſtillare, ut ſupra docuimus. *Oleum ferri & chalibis.*

Oleum Stibii ſeu Antimonii. Incerti Authoris.

ACcipe Antimonii pulverizati quantum ſufficit, quod cum forti aceto deſtillato macerari curabis, ſuper cineres calidos (ne vas dirumpatur) in Cucurbita vitrea, quoad acetum tale deſtillatum rubrum fiat: Dein effundes in vitreum vaſculum, vel aliam Cucurbitam vitream, ſuper ſedimen reſiduum novum acetum deſtillatum indes, & unà infundes ut ſuprà: dein cum rubrum eſt, effundes in vaſculum cum altero. Ita infuſiones iterabis jugiter, donec acetum deſtillatũ non amplius rubeſcat. Tale acetũ collectũ deſtillabis modico igne in Cucurbita, (ſedimento illo ſive face ſublato) uſquequo rubedo illa ſenſim condenſari cœperit, & ſurſum ferri ad Capitellum Cucurbitæ. Ac tum quidem amovere oportet ignem deſuper & permittere ut refrigeſcat. Deinde talem rubrum liquorem in vaſe vitreo bene obturato, infundi ſines in fimeto calido, quadraginta diebus, quo tempore perfectam olei formam aſciſcet, quod uſui recondendum eſt. Geſnerus ait ſe à primario quodam viro accepiſſe, dulce hoc oleum æquè eſſe ac ſaccharum, omnéſque dolores

plagarum aut vulnerum ſedare eaſque perfectè ſanare. Eſt etiam admirandæ virtutis in ulceribus contumacibus & canceroſis. Hæc methodus inter plures alias, videtur mihi melior eſſe & facilior, dignáque ut in praxim adhibeatur.

De Oleo Stanni & Plumbi.

Olea Stanni & Plumbi eodem modo fiunt quo præcedens, & in fundo Cucurbitæ reperiuntur, ſive Retortæ, dum acetum deſtillatur.

Oleum Vitrioli. Incerti Authoris.

ACcipe Vitrioli Romani puriſſimi, clariſſimi & viridiſſimi, quoad parari poſſit quantum tibi videbitur, quod in ſartagine quadam cuprea ampla calcinabis, ſuper fornacem & carbones ardentes, donec humiditas ſuperflua, (*Alchymiſtæ* phlegma vocant) conſumpta ſit & ipſum rubrum ſit. Vel immittes illud in grandem ollã terream, ut calcinetur in fornace aliqua ſive clibano, ut rubrum deveniat, ſicut dictum eſt. Poſtea oportet illud curioſe in pulverem reducere, & in retortam quandam lutatã oblongo collo imponere: vel in Cucurbitam cupream cum Capitello ſuo vitreo, idemque aqua ardente rectificata aſpergere, ſeu aqua fonti communi, donec ſatis imbutum fuerit: poſt tenere idem ſic occluſum ſupra cineres calidos, viginti quatuor plus minus horis. Craſtino die ponere oportet Retortam ſive Alembicum ſuper parvum clibanum hujuſmodi deſtillationibus communem eamque cum recipiente ſuo lutare. Quo facto ignem facies parvum ab initio, quem continuabis uſquequò aqua quam immiſeras deſtillata ſit, poſt eundem augebis, ut ſpiritus (quod eſt oleum) Vitrioli exeant.

Ratio ſeparandi aquam ab Oleo Vitrioli.

Deinde ſeparare oportet aquam ab oleo ſequenti modo. Imponere ea oportet in minorem Cucurbitam ſuo cum Capitello vitreo lutato, ut dictum eſt, eáque in Balneo Mariæ modico igne deſtillare: & ſic decidet aqua in Recipiens ſuum, Oleum vero manebit in Cucurbita, quod per ſe ſervandum eſt, in ampulla benè obturata. Similiter aqua ſeorſim ſervanda, ut iterum uſui ſit, quando velis Oleum rurſus deſtillare.

Ad purificandum Oleum, illud imponere oportet in dictam ampullam, vel minorem Cucurbitam, vel etiam in Retortam quandam luto oblitam ſuper magnum ignem de carbonibus ſupra fornacem, ubi depurabitur, & acquiret colorem candidum, flavum aut rubrum, juxta vim & vigorem ignis qui adhibitus eſt: Ex multis aliis modis operandi, hunc retinui, tanquam faciliorem & præſtantiorem.

De Animalibus.

EX Animalibus ipſis integris, ſive eorum partibus, extrahi poſſunt Olea ſimplicia multis morbis & diverſo modo utilia, quæ non deſcribo: quoniam *Geſnerus*, *Euonymus*, *Weccherus* & alii integros compoſuerunt libros; ad quos recurrat induſtrius Lector. Huc accedit, quod in hâc Paraphraſi propoſitum mihi fuit non omnia oleorum genera deſcribere quæ deſtillari ſolent, ſed quæ magis uſitata ſunt, in quibus novitius Apothecarius minus in Arte Chymica verſatus exercere ſe poterit, dum facultatem habeat frequenter inviſendi eos qui magis verſati ſunt: à quibus dum eos operantes ſpectat, plus addiſcet uno in menſe, quam in toto anno, ſcripta legendo, ſicut antea diximus.

De Oleis Compoſitis.

IAm ut ſummam manum & quaſi faſtigium huic tractatui imponamus de Oleis, quæ Medici Dogmatici ſæpè in uſu habent: Sequitur de illis quæ fiunt per infuſionem: & quæ *Meſue* & quidam alii in ſecundo ordine collocant, nos verò in poſtremo, quod magis compoſita ſint quam præcedentia. Horum autem quædam dicuntur ſimplicia, veluti Nardinum, de Scorpionibus, &c. reſpectu aliorum conſimili nomine quæ magis compoſita ſint, ſicut in ſequenti tractatu monſtrabitur.

Oleum

Oleum Rosatum Completum. D. M.

℞. *Foliorum Rosarum recentium & apertarum, incisarum vel contusarum q. s. In vas vitreum injice & affunde olei (ex Olivis maturis) recentis, vel aqua fontana aliquoties loti (ob salsedinem) quantum sufficit. Obturato vase diebus septem insolentur, aut in loco aliquo calido ponantur: Tum coque in duplici vase (cum panco succi Rosarum vel aquæ infusionis & non vini, ut perperam fit à quibusdam) expressis foliis & abjectis, nova immitte, macera iterum dies septem, ut prius. Tertio idem fiat, & serva in utendi tempus.*

Oleum Rosatum Omphacinum.

Oleum Rosatum Omphacinum fit ex Oleo Rudi, id est, ex Olivis immaturis & foliis Ros. Rubr. nondum apertis maceratis & coctis, ut Rosatum Completum.

Paraphrasis.

Quamvis *Mesue* nobis quatuor modos & differentias Olei Rosati descripsit: Ita tamen usus obtinuit, ut duo tantum recepta sint: videlicet, illius quod fit de Rosis expansis, & oleum dicitur de olivis maturis, & cognominatur *Completum*: & alterius de Rosis Rubris nondum expansis, cum oleo olivarum viridium, & astringentium, quod cognominatur *Omphacinum*, & *Omotribes*.

Quod ad *Completum*: Accipe foliorum florum Rosarum expansarum & recentium, quæ contundes aut incides, circiter libram unam, Olei (olivarum maturarum) dulcis & non salii quatuor sextarios, qui pendunt sex libras, ad rationem cujusque octodecim unciarũ; Quæ infundes in grandi vase vel olla fictili vernice politi stricti orificii, & obturati cum membrana vel Pergameno humecto, super cineres calidos, seu in Balneo Mariæ, vel etiam intra fimetum calidum, spatio dierum septem, quod sufficiet, (& non quadraginta, sicut placet *Aëtio lib. 1. Paulo lib. 8. cap. 20. & Myrepso, sect. 16. cap. 13.* sive in ardenti sole) Post, adjicietur parum Succi Rosarum, vel Infusionis, potius quam vini, ut quidam factitant: quoniam calidum est, repugnatque intentioni & Antiquorum, & Medicorum qui illud præcipiunt. Deinde in Balneo Mariæ, curabis ea parum bullire (quoniam longior decoctio eorum virtutem dissipat) ac tum demum exprimes. In Colatura, iterum infundes alias Rosas sicut ante, decoques, exprimésque: Post, tertia vice, permitti possunt Rosæ, per annum totum: Sin minus exprimes, ac tum demum servetur Oleum usui. Nostri Pharmacopœi contenti sunt unica infusione, nec permittunt bullire in Balneo Mariæ: Ac, sic quidem neque oleum talem virtutem habet qualis requiritur, nec ægri commodum id quod cupiunt percipiunt.

Oleum Rosatum Omphacinum, componitur ut præcedens: nisi quod protuberantium Rosarum Rubrarum nondum expansarum alabastrorum quantitatem accipere oportet quam superiùs, & olei de olivis nondum maturis extracti tantundem. Quibus autem non suppetit parandi facultas accipiant artificiale à nobis in principio hujus Sectionis descriptum: & adjiciant majorem quantitatem succi albarum Rosarum, & diutius fervefieri curent in Balneo Mariæ, & tribus vicibus mutans Rosas, ut dictum est. Sic factitantes Medici, non prorsus frustrantur intentione sua: quoniam refrigerat & restringit plus, quam præcedens Rosatum Completum.

Olea.

Violarum,	*Ligustri,*	*Chamemelinum,*
Papaveris,	*Sambuci,*	*Meliloti,*
Nymphæa,	*Cheyrinum,*	*Iasmini,*
Myrtinum,	*Anethinum,*	*Liliorum simpl.*

Simili modo fiunt, quo Oleum Rosarum præscriptum.

Paraphrasis

Paraphrasis.

Oleum Violarum, Nymphæa, Papaveris.

OLeum Violarum, Nymphææ, seu Nenuphariſ, eadem ratione fiunt, qua Roſatum Omphacinum. Illud autem Papaveris ſæpius fit cum floribus, foliis & capitibus tam albi quàm nigri contuſis, cum Oleo Omphacino, quàm cum ſeminibus per expreſſionem. Ita etiam per tres infuſiones diverſas & decoctiones, uti Roſatum Omphacinum.

Oleum Myrtinum.

Oleum Myrtinum, fit cum viridibus foliis Myrti, coctis in Balneo Mariæ cum Oleo Omphacino, ſicut Roſatum. Illud Myrtillorum, fit è Baccis recentibus per expreſſionem: ſicut diximus de Oleo Laurino.

Oleum Liguſtri,

Oleum Liguſtri, quod *Græcis* dicitur Cyprinum, & *Arabibus* Alcanna, fit cum floribus, & Oleo Olivarum maturarum, ſicut Roſatum Completum.

Oleum Iaſmini, Geniſtæ, Tamariſci, Sambuci, Chamæmeli, Meliloti, Anethi, Cheyri & Liliorum ſimpl.

Olea Iaſmini, Geniſtæ, Tamariſci, Sambuci, Chamæmeli, Meliloti, Anethi, Violæ albæ quam *Græci* appellant *Leucoion*, *Arabes* Keiri, Liliorum etiam alborum, ſimplicia fieri debent de floribus & oleo dulci, per tres diverſas infuſiones, ſicut Roſatum Completum.

Oleum Cydoniorum. D. M.

℞. *Carnis Cydoniorum præmaturorum cum cortice & ſemine tritorum, & ſucci eorundem: utriuſque pares portiones. Olei Omphacini, omnium par pondus. Infunde diebus quindecim, in vaſe vitreo ſuper cineres calidos. Deinde horis quatuor coque in duplice vaſe. Caro Cydoniorum & ſuccus mutentur: Rurſus infundantur, & coquantur, ut diximus: & ſimiliter tertiò: Poſtremò colatum oleum, repone uſui neceſſario.*

Paraphrasis.

HOdiè, cum lima aſperiore radimus Cydoniorum quantitatem quandam, pòſt cum duplo Olei Omphacini, curamus totum ſimul coqui in Cucurbita vitrea, vel olla fictili vernice polita, ſtricti orificii, & obturata, in Balneo Mariæ: non autem in Authepſa, quoniam ſuccus facit oleum exire, & facultas quæſita perditur: è contra, acquirit qualitatem prorſus contrariam. Humiditate abſumptâ, exprimimus Cydonia: Pòſt denuo cum oleo incoquimus nova Cydonia, raſa ſicut prius, & iterum exprimimus: Colatum demum oleum uſui ſervamus. Si cui tamen libet ſui Authoris intentionem ſequi: curabit partem Cydoniorum, particulatim inciſorum, cum pari quantitate ſucci & duplo Olei Omphacini, quindecim diebus ſuper cineres calidos infundi, & incoqui in Balneo Mariæ, ſpatio quatuor horarum, poſt colari, & talem infuſionem & coctionem ter continuare: & tum optime faciet.

Oleum Liliorum compoſitum. D. M.

℞. *Foliorum florum Liliorum alborum, uncias octo.*
Maſtiches,
Calami Aromatici veri, vel officinarum ſic cognominati,
Coſti, &
Carpobalſami, vel ſuccedanei ejus, Sem.
Lentiſci ſing. unc. unam.
Cinnamomi vel Canellæ, &
Caryophyllorum, utriuſque unciam dimidiam.
Croci drach. tres.

Omnia præter folia florum Liliorum, in aquæ ſufficienti, 24 horis macerentur, & ſemel aut bis ferveant. Tunc injice, Olei dulcis vel Seſamini lib. duas. Et additis Lilii floribus, in vaſe vitreo inſola dies 40. Pòſt, Colatum reponatur.

Paraphrasis.

OLeum Liliorum compoſitum, ad omnia quæ promittit *Meſue*, efficacius eſt, quam ſimplex ſupra memoratum: & Jure ſuo præparari debet, & non illud

(ut

(ut hodie fieri solent) Accipe ergo medicamenta hîc nominata: quæ contundes & infundes in modica quantitate aquæ 24 horis in fictili vase vernice polito, stricti orificii & obtecto super calidos cineres. Dein sequenti die semel fervefiant, & exprimantur, adjicies libras duas olei dulcis & communis, floresque Liliorum, exemptis luteis eorum granulis. Qui flores (sicut & Rosarum) ob similitudinem, appellantur folia, quos permittes 40 dies in Sole macerari sua in olla; Deinde incoquenda omnia in Balneo Mariæ, ad consumptionem unius partis colaturæ & non totius. Post colatum usui servetur.

Oleum Irinum. D. M.

℞. *Radicum Iridis contusarum, lib. unam. Florum ejusdem Iridis, & decocti, vel (si potentius requiris) succi alterius rad. Ireos, utriusque lib. duas. Olei dulcis lib. quinque.*

Coque in vase duplici. Radices & folia florum, nova immitte, prioribus expressis & abjectis: ut in oleo Rosato completo diximus.

Paraphrasis.

HOc Oleum, virtute affine est præcedenti, & multo majoris efficaciæ. Qui hoc servant in officinis suis omittere poterint illud de Liliis compositum.

Mistura sive componendi ratio.

PRimum radices contundere oportet, & curare ut in Cucurbita vitrea, vel Cuprea stannata, cum succo aut decoctione facta ex aliis radicibus & floribus, coquantur, singul. duabus libris & Oleo Olivarum immaturarum quinque libris, vel quantum par est, circiter duas horas, post exprimes. Colaturæ adjicies novas radices & flores sicut antè: quæ denuò coquenda sunt & exprimenda ut dictum est. Post, tertia vice idem fiet, sic humiditas paulatim consumetur. Oleum colatum, servetur in olla probè obturata, usque ad tempus necessarium.

Flores, quia non ferunt longam decoctionem, multò post radices immittentur: quæ in omnibus decoctionibus generalis regula esto. *Observandum de floribus in Decoctione.*

Oleum Moschatum. Incerti Authoris.

℞. *Moschi drach. unum.*
Nuces Moschatas num. 4. (vel Nucis Indicæ, drach. duas.)
Bdellii mollis,
Carpobalsami vel succedanei ejus, Sem.
Lentisci vel Terebinthi, vel Cubebarum, &
Caryophyllorum, singul. unciæ semissem.
Xylobalsami, vel Succedanei ejus,
Surculorum Lentisci aut Terebinthi, vel Ligni Aloës.
Cassiæ Lignea Aromaticæ, vel Canellæ nigrioris,
Myrrhæ,
Croci, &
Styracis Calamites, singul. drach. sex.
Mastiches,
Costi,
Spicæ Nardi,
Folii Indi, seu Malabathri Græcorum, *&*
Folior. florum Liliorum, singul. unciam unam & dimid.
Vini odorat. (& non aquæ) lib. dimidiam.
Olei communis lib. sex.

Omnia leviter trita, coquantur in duplici vase, ad viniferè consumptionem, & colentur usui.

Paraphrasis.

AUthor hujus Olei mihi est incognitus: quoniam inveni ego *Nicolaum Myrepsum* in *Primo Antidotorum, cap.* 210. in magna Tryphera feciſſe illius mentionem

&

& post eum *Salernitanum*, in Electuario cognominato Lithontribon & in Unguento Aregen. *Paulum* etiam *Æginetam*, & aliquot alios qui præcesserunt *Manlium* Authorem *Magni Luminaris*, è quo transcripsi, & mutavi ordinem suum: collocando Moschum & Moschatas nuces, à quibus nomen sumpsit, in principio, & oleum commune ad finem. Omnia hæc contundere oportet, & in duplici vase coquere, cum vino & oleo, ad consumptionem illius, post colare, & recondere tam ad fortificanda viscera, eaque calefacienda & resolvenda, quam ad formanda poma odorata, & à peste prophylactica.

Oleum Hyperici. D. Jacobi de Manliis.

℞. *Summitatum Hyperici, uncias tres. Infunde triduo in vino odorifero, q. s. Post, coque in vase bene obturato. Deinde fortiter exprime, & novum Hypericum rursus macera: Coque ut prius, & expresso colato, adde Olei antiqui, unc. sex. Terebinthinæ uncias tres. Crocis scrupulum unum.*

Coquantur in duplici vase, ad vini consumptionem. Cola, & usui repone nonnulli Italiæ *Medici, addunt Gummi & Pulveres Sarcoticos, ut Balsami vires supplere queat. At satius fuerit simplicius habere.*

Paraphrasis.

APpellatur hoc Oleum à quibusdam simplex, respectu alterius consimili nomine à Medicis *Florentinis* usitati, & non in *Gallia*, quod sciam, multo magis compositi & artificialis. Hoc transcripsi ego, loco prælegato, quod nomen desumpsit, à Basi suo Hyperico. Terebinthina injecta est ad detergendum & agglutinandum vulnera & ulcera: Crocus ad corroboranda membra vulnerata, quæ sic permista, pauperibus loco Balsami inserviunt, quamobrem non minuenda est eorum dosis. Accipe ergo Hypericum floridum, cum suo germine vel gemma, quod triduo infundes, super calidos cineres, cum bono vino albo sive clareto (ut vocant) in fictili vase vernice polito: deinde bullire facies in Balneo Mariæ; circiter semihoram, post exprimes. In Colatura iterum novum Hypericum infundes triduo altero. Post coques & exprimes: ac tribus hoc vicibus continenter fiat, ut dictum est. Hoc facto, Colaturæ adjiciatur oleum requisitum: quod fervefieri curabis in duplici vase, & Balneo Mariæ, ad vini fere consumptionem, addendo sub finem Crocum pulveratum, & citra ignem, Terebinthinam, Cum demum refrixerit, recondendum usui necessario est.

Quidam non per triduum totum, sicut præcipit *Manlius* infundi curant, oleum & vinum cum Hyperico, sed loco illius, ter vel quater fervefaciunt exprimuntque ter mutando Hypericum, & in fine adjiciendo Crocum & Terebinthinam, ut supra, & usui recondunt. Methodus sane minimè rejicienda. Qui volunt majorem quantitatem componere, dummodo servent proportionem singulis aptam, per me poterint hoc facere.

Oleum Mastichinum. D. M.

℞. *Mastiches Chiæ, uncias tres. Vini odoriferi, vel Aquæ vitæ, uncias quatuor. Olei Rosati Completi, lib. unam.*

Coque in duplici vase, ad vini consumptionem, & cola.

Paraphrasis.

MEsue describit nobis hoc Oleum duobus modis. Unum sine vino, & majorem quantitatem olei desumptam ex *Avicenna, lib. 5. cap. 10.* Alterum quem ex eo transcripsimus, & qui omnino in usu est apud omnes, Nomen accepit à *Basi* sua Mastiche. Vinum inditur ad augendam virtutem corroborantem: ad impediendum etiam ne Mastiche & oleum in bulliendo alienum calorem acquirant. Omnia in duplici vase imposita & Balneo Mariæ, fervefient ad consumptionem Vini vel Aquæ vitæ, cum

qua

qua Mastiche facilius liquabitur quam cum vino: atque hoc servandum est in vase suo bene obturato, ad usus.

De Oleis Absinthii, Menthæ, Sampsuchi & Rutæ. D. M.

℞. *Succi & foliorum recentium contusorum vel incisorum, utriusque harum herbarum æqualem portionem, Olei veteris & clari & non Omphacini (quoniam illud calidis, hoc frigidis, magis competit) quantum sufficit. Insola dies* 15, *obturato vase: Post coque in diplomate horis* 4, *exprime. Hoc, bis aut ter itera, & usui reconde.*

Paraphrasis.

HÆc quatuor Oleorum genera, præparantur sicut Oleum Cydoniorum; hoc excepto, quod loco Olei Omphacini, accipere oportet dulcis, ex Olivis maturis facti: vel sequentem in modum. Recipe unius herbarum harum recentium unam partem, quam in mortario contundere oportet, & succi ex aliis extracti, tantundem, duásque partes Olei Olivæ dulcis: quæ simul omnia infundes in fictili olla vernice polita, super cineres calidos, vel in Sole ardente spatio 15 dierum, quæ obtecta esse debet. Post coque in Balneo Mariæ ad consumptionem humiditatis suæ, dein cum expressum totum est, adjice recentem & novam herbam & succum, quæ infundentur alios 15 dies, & exprimentur ut dictum est. Tum demum oleum usui recondetur. Qui tertia vice, mutant succum & herbam, plus virtutis oleo suo impertiunt, quam qui bis tantùm hoc faciunt; ac minùs etiam, qui semel duntaxat.

Oleum Nardinum simplex. D. M.

℞. *Nardi Indicæ incisæ, uncias tres, Vini & Aquæ vitæ, utriusque uncias duas & dimid. Olei Sesami vel dulcis, lib. unam & semissem* (*Mesue* Olei libram dimidiam tantum habet) *At, quantitas hæc, parcior mihi videtur ad Basim, quæ pondere levis est: ob id ejus dosim auxi. Coquantur in duplici vase, lento igne, ad humoris fermè consumptionem, & frequenter moveantur: Colatum repone usui.*

Paraphrasis.

HOc Oleum nomen à Basi sua desumpsit, Nardo Indica, quod Oleum nos appellamus simplex, quia minus compositum est quam duo alia consimili nomine, à *Mesue* ipso descripta, quæ in usu non sunt. Aqua & Vinum induntur, ad impediendum ne Basis & Oleum bulliendo suam deperdant virtutem, & acquirant alienam. Dosis olei ab Authore posita, mihi parva videtur, respectu Nardi, quæ admodum levis est. Quam ob causam sequutus sum ego N. *Præpositum* & quosdam alios, qui imponunt libram & dimidiam. Oleum olivæ dulce & clarum, simili facultate præditum est, qua Sesaminum, nec refert, utrum sumat Pharmacopœus.

De Mixtura sive Componendi ratione.

INcidere oportet Nardum Indicam majuscula forfice sive scalpro, & curandum ut cum Oleo, Aqua vitæ & Vino fervefiat in Balneo Mariæ, intra Cucurbitam cupream stannatam ad consumptionem humiditatis, & sæpius moveatur spatula lignea, ne uratur, post exprimatur & recondatur.

Oleum de Capparibus. Incerti Authoris.

℞. *Corticis radicum Capparis, unciam unam.*
Corticis medianæ Tamaricis, *Foliorum vel florum ejusdem Tamaricis,*
Cyperi,

Seminis Agni, i. Casti seu Viticis, & Scolopendrii, vulgò Ceterach, singul. drach. duas.
Rutæ, drach. unam. Vini optimi, & Aceti, utriusque uncias duas. Olei dulcis lib. unam.

Crassiusculè comminuta, coque in duplici vase ad humoris consumptionem. Cola & repone.

Paraphrasis.

QUis fuerit hujus Olei Author, mihi non liquet: Nomen autem accepit à Basi sua in principio posita, & majore in quantitate quam ullum aliud ingrediens quodcunque. Cætera medicamenta induntur ad augendam virtutem suam incisivam, attenuantem, detergentem, digerentem, & corroborantem viscera. Vinum & Acetum adduntur ut penetrent profundius, & ne adurantur. Oleum tam præcedentibus quam subsequentibus inservit pro materia ad recipiendum formam medicamentorum, sive facultatem eorum requisitam, & ad ipsa conservanda.

De Mistura sive Componendi ratione.

COmminuere oportet & contundere radices, cortices, & semina: incidere herbas & flores: Dein cum vino, aceto & oleo, fervefacere in vase fictili vernice polito: sive Cucurbita cuprea stannata vel Balneo Mariæ, ad consumptionem ferè humoris. Post cum totum expressum fuerit, Oleum usui recondetur.

Oleum Costinum. D. M.

℞. *Cassiæ Ligneæ Aromaticæ, unciam unam. Costi amari (seu veteris) uncias duas. Summitatum Sampsuchi, uncias octo. Vini odoriferi, quantum sufficit. Olei Sesami vel dulcis, lib. tres.*

Quassata biduo infundantur; deinde coquantur in duplici vase, ad humoris consumptionem: Colatum repone.

Paraphrasis.

HOc Oleum non est *Mesuæi* inventum. *Serapio* enim, *Tractatu septimo, cap.* 25 & *Avicenna, Lib.* 5. *Tractat.* 10. Longè antè, descripserunt: & à quibus illud hausit. Basis est Costus, unde nomen sumpsit, tanquam à principali Agente. *Arabes* noverunt duo Costi genera: unum cognomento dulce, alterum amarum. Cujus differentiæ non meminerint *Græci*. Verum quidem est, quod sicca & vetus, multo amarior est, quam recens, ob humorem aquosum suum. Atque haud scio an hoc decepterit *Arabes*, *Actuarium* & quosdam alios, qui in cognitione medicamentorum ex auditu solo & lectione librorum alterius, nulla majori adhibita investigatione, acquieverunt. Illius candidæ, quæ ex *Arabia* apportatur non reperitur, quod omnes notas quas illi attribuit *Dioscorides*, habet: Hujus verò ex *Indiâ* & *Syriâ*, perparum. Qui verum & genuinum nanciscì non possunt, accipiant Radices Helenii: vel loco illius præparet Pharmacopœus Oleum Enulæ Campanæ compositum, & à *Mesuæo* ipso descriptum, quod æquè efficax est ac istud quo de nunc sermo est. Mixtura non dissimilis est, præcedentis de Capparibus.

Oleum Croci. D. M.

℞. *Croci & Calami Aromatici, utriusque unciam unam. Myrrhæ unciam dimid. Infundantur simul, diebus quinque in Aceto, Die sexto toto macera Cordumeni, id est, Carui, drach. novem.*

Septimo die coquantur simul lento igne cum Olei lib. una & dimidia ad Aceti consumptionem (sunt qui loco Aceti, Vinum supponunt) cola & repone.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

HOc Oleum parum in usu est, quantumvis valide congruat ei quod *Mesue* promittit. Nolui tamen à tergo relinquere: quoniam necessariò inseruit compositioni Emplastri de Ranis, quod infra in ultima Sectione describemus.

De Mixtura sive Componendi ratione.

COntundere oportet Calamum Aromaticum & Myrrham, eâque cum Croco in modica aceti seu vini quantitate quinque dies infundere: dein adjicere Cordumenum seu Carui comminutum, etiamnum infundendum, diem unum totum, qui sex dies efficit, in fictili vase vernice polito, stricti orificii ejusdemque obturati. Septimo die, in eodem vase, fervefiant simul, quasi ad consumptionem liquoris. Oleum colatum usui recondatur.

Oleum de Piperibus. D. M.

℞. *Myrobalanorum Cepularum,*
Bellericarum,
Emblicarum, &
Indarum, sing. drach. quinque.
Radicum Apii, &
Fœniculi, utriusque drach. tres & sem.
Zinziberis drach. tres.
Trium Piperum, sing. drach. tres. (unc. tres habet Mes.)
Sagapeni,
Opopanacis, &
Ammoniaci (mendosè legit *Mesue* Hyoscyami albi) *singul. drach. duas & sem.*
Turbith, drach. duas, & non duodecim cum Mesue.
Surculorum recentium Hasech. i. Hyssopi recentis, vel tantundem Surculorum.
Thymi viridis, seu humidi, &
Foliorum Rutæ recentium, singul. M. ss. Parum trita coquantur ad tertias, in aquæ libris 12 (& non 24, ut habent exemplaria nostra) *Colaturæ adde, Olei Cicini, i. Ricinini, seu de Cherva, heminas duas, seu lib. unã & semidiã. Deinde percoquantur ad aquæ consumptionẽ. Post colatũ usui reconde.*

Quoniam perpauci sunt, qui Oleum de Cherva habent, hujus vice sumatur Oleum Raphani, vel Melanthii, vel Lini: quoniam sunt ejusdem facultatis, Testibus *Dioscoride, Aëtio* & *Myrepso*. Vel Oleum Irinum aut Cheyrinum, aut Amygdalarum amararum. Testibus *Mesue*, & *Nicol. Præposito*. Sequentia non nisi utendi tempore, & quando necessitas postulat, sunt permiscenda. Nam impensiùs caleret.

℞. *Radicum Ireos drach. sex.*
Calami Aromatici, drach. duas & sem.
Scitaragi, i. Iberidis Græcorum, *sive Nasturtii agrestis drach. duas* (malè vertit interpres, Tapsiæ, potius Cassiæ) ut colligimus ex *Serapione*. Cap. 372. *lib. simp.* & *Avicenna* lib. 2. cap. 666. Tapsiæ verò *Serapio* meminit, cap. 339. Interpres Synon. *Avicennæ* hanc vocem interpretatur Tapsiam herbam, Nasturtio similem. Quid discriminis sit, inter Iberim seu Nasturtium agreste & Tapsiam vel mediocriter versatus in materia medica facile judicabit.
Anisi & Cordumeni, i. Carui, alii Cardamomi (utrum sumas parum refert; ambo calent & siccant, 3. ordine. *Avicenna* lib. 2. cap. 159. & 160.) *utriusque drach. unam & semissem.*
Spicæ Nardi, drach. unam.
Expressionis Hyssopi vel Thymi, sextarios tres. Avicenna & *Mesue*, hanc descriptionem sunt mutuati, ex *Serapione*, Tract. 7. cap. 25. Sub nomine Alkekengi seu Alkekenici. Quandoquidem Alkekengi seu Halicacabum non recipit, ut ab eo Nuncupationem sortiatur. Alkekenici verò *Arabum*, Polychrestum *Græcis*, & Multi usus, *Latinis* sonat. *Mesue* neutrius appellationem retinuit, sed à Basi, trium piperum nominavit. Contextus *Mes.* variat ab eo *Serapionis* & *Avicennæ*, non in simplicium numero, sed pondere: ut liquet ex descriptionum collatione.

Paraphrasis.

Mesue de verbo ad verbum mutuatus est hanc descriptionem ex *Avicenna lib. 5. tract. 10.* Sub nomine Alkekengi, quæ est una species Solani, vocabuli depravati pro Alkelenici, quod significat, (ad multas res commodi.) Non enim potuit inde appellationem suam accipere, cum Alkekengi sive Halicacabum non ingrediatur. Sicut etiam *Serapio, Tract. 7. cap. 25.* sub nomine Alkelenici. Quam appellationem *Mesue* non retinuit: sed nomen illi imposuit de Basi, tribus generibus Piperum: quæ ponit in prima serie, alia vero in tertia. Altera differentia est, non in medicamentorum numero, sed in eorum dosi. *Mesue* enim contentus est medietate, sicut cuivis videre est comparando descriptiones inter se. Atque hac ratione, reperitur *Mesues* descriptio sex in locis defectiva.

1. Primum in dosi Piperis, dum ponit tres uncias pro tribus drachmis. Cæterum arbitror ego hunc errorem à Typographis proveniſſe: qui acceperunt ℥. pro ʒ. respectu magni numeri ingredientium: & ratione habita dosis eorum & illius olei, quæ parva est. Unde novem drachmæ suffecerint aliorum ope, ad constituendam Basim.

2. Secundo in loco, quando *Avicenna* & *Mesue* legunt, Hyoscyamum, pro Ammoniaco, à *Serapione* posito. Quorsum enim medicamentum frigidum quarto in gradu, cum multis calidis misceretur ad curationem ægritudinum frigidarum Cerebri? Quod hoc fiat ad moderandum eorum calorem non omnino videtur, ratione additionis ejus quod prorsus calidum est, ad augendam virtutem suam, si modo illa non sufficeret. Huc accedit quod Ammoniacum æque conveniret, ac alii liquores qui hoc facere possint.

3. Tertio, in dosi Turpethi. Nam *Mesue* ponit 12 drachmas: *Serapio* autem & *Avicenna* solum quatuor.

Erratum primum, & hoc etiam ipsum præsenti in loco, profluxerunt ab Impressoribus sive Typographis, qui acceperunt punctum positum ante 2. pro uno Ciphra, quæ valet decem. Quæ Ciphræ simul junctæ faciunt duodecim: quæ dosis perperam suppositа est in exemplaribus *Mesuæ*.

4. Quartum erratum & minimum est in herbis. *Avicenna* enim in tota quantitate ponit cujusque manipulum unum, & *Mesue* tantum pro medietate, quantum pro toto: adeò ut esset manipulus dimidius cujusque, & non unus.

5. Quintum est in aqua: Nam *Serapio* & *Avicenna* pro toto ponunt 24 libras. Sumendo medietatem ingredientium, ut *Mesue* fecit: dimidium etiam aquæ oportuit sumere: quod fuerit 12 libræ, quantitas plusquam sufficiens ad coquendum sex uncias, & unum manipulum medicamentorum, quæ levia non sunt, & longam decoctionem non ferunt.

6. Sexta & postrema culpa sive erratum, quam reperio, procedit ab Interpretibus *Avicennæ* & *Mesuæi* qui transtulerunt Scitaragi, Tapsia quam referre dicunt in Nasturtium agreste, quod est Iberis *Græcorum*. Quod Scitaragi, & Tapsia sint consimiles plantæ, *Serapio cap. 372.* & *Avicenna lib. 2. cap. 668.* contrarium demonstrant, qui ascribunt eadem virtutes suo Scitaragi, quas *Græci* suæ Iberidi seu Nasturtio agresti. Adde quod *Serapion cap. 339.* seorsim & expresè consultóque aliter tradit de Tapsia. Præterea, experientia & oculus ipse & Sapor, valent judicium de contrario perhibere, comparando unam plantam cum altera.

7. Ultimo in loco, Cordumenum non est Cardamomum, sed Carui: quamvis ambæ plantæ sint calidæ & siccæ tertio in gradu: Competantque ei quod de hoc oleo promittunt Authores. Videte *Avicennam* loco prælegato, *cap. 159.* & *163.*

Hæc descriptio in pristinam suam formam reposita, & ex mente Antiquiorum *Arabum*, (quorum opera pluribus in locis depravata fuerunt) quod in causa erat cur multi errarunt qui non propius ea perspexerunt, usui esse in futurum poterit. Cuique olei unciæ, invenias duas drachmas & dimidiam pulverum, comprehendendo unà Gummia sive Liquores, absque herbis, quantitatem sufficientem pro initio quodam. Quod si id non sufficiat adjicere, licet unam partem Olei Euphorbii, vel additamentum à *Mesue*, *Avicenna* & *Serapione*, expressum in hac præsenti descriptione.

De

De Mixtura sive Componendi ratione.

IN duodecim igitur libris aquæ, curabis primum fervefieri Radices Fæniculi & Apii, purgatas sua matrice seu lignea substantia & contusas: paulo post herbas & liquores incisos. Tandem Myrobalanos, Turbith, Zinziber & Piper comminuta, usquequo aqua deveniat ad tertias vel quartas. Cum totum expressum fuerit, Colatura bulliet, cum olei duabus Heminis (quæ juxta *Græcos* æquant libram unam & dimidiam) de Kerua seu alterius cujusvis supradictorum: idque ex authoritate *Dioscoridis, Aëtii, Myrepsi, Mesuæi* & *Præpositi*, dum totum in vaporem abierit, Oleum colatum recondetur usui. Quod si opus fuerit majore vi & virtute (ex Medici præcepto) ad hoc oleum curabis bullire rursus de altera decoctione facta de Thymo vel Hyssopo, in qua coquentur Radices Iridis, sive Gladioli, Calamus Aromaticus, Anisum, Nasturtium agreste, Cardumenum sive Carui, & Nardus Indica, usque ad ejusdem consumptionem: Post totum expressum usui erit pro Oleo.

Oleum de Euphorbio simpl. D. Mesues.

℞. *Euphorbii unciam dimidiam. Olei Leucoii Lutei seu Cheyrini, & Vini odoriferi, utriusque uncias quinque.*
Coquantur simul ad vini consumptionem. Cola & repone.

Oleum de Euphorbio composit. D. M.

℞. *Staphydis Agriæ, &*
Condisi, i. Struthii, vulgò Saponariæ, utriusque unc. sem.
Pyrethri drach. sem.
Calaminthes Montanæ, unc. unam & sem.
Costi, drach. decem.
Castorii, drach. quinque.

Trita triduoq; macerata, in vini odorati libris tribus & dimidia, coquantur ad medias. Deinde, frica multum diuq; manibus, & cola: & cum Olei Leucoii Lutei sive Cheyrini, aut Sesamini, vel dulcis, lib. una & dimidia, coque ad vini reliqui consumptionem: Tunc insperge, Euphorbii recentis & albi, tenuissimè triti, unc. semissem, & percoque parum. Colatum servetur usui.

Paraphrasis.

Mesue mutuatus est priorem descriptionem Olei de Euphorbio è *Galeno* ad finem *secundi libri, Medicamentorum localium*: secundam ab *Avicenna, lib. 6. Tract.* 10. Cui adjecit solummodo Staphydem Agriam & Struthium, quod ille Condisum appellat: forma faciéque tenus differens à Saponaria, & parum virtute. Idcirco cui non suppetit unum sumere, licet alterum. Prior descriptio est simplicis, hodie non in usu est. Utcunque virtus minor sit. Si Pharmacopœo non suppetit Euphorbii recentis & albi copia, sed biennis, triennis, & rubri, augeat dosim Euphorbii sui addendo duas drachmas, quæ medietas est dosis ab Authore expressæ: quia ejusmodi Euphorbium rubrum, sive vetus, non adeo calidum est ac recens & album: alioqui oleum suum minoris erit facultatis.

De Mixtura sive Componendi ratione.

EUphorbium subtiliter in mortario pulverizandum est, cum aliquot guttis olei de Cheiri (quod *Græci* appellant *Leucoion*:) ideoque ut non offendat eum qui pulverizat: post, bulliat cum vino & oleo, ad consumptionem ejusdem, & usui recondatur.

Oleum Helenii prætermitto: quod consimilem habeat virtutem cum oleo Liliorum Compositio & Irino, & quibusdam aliis, quæ non sunt amplius in usu.

Jam sequitur de Oleis, quæ fiunt ex animalibus integris, sive eorum solum partibus.

Oleum

Oleum Lumbricorum. Incerti Authoris.

℞. *Olei veteris & Clari, lib. duas. Lumbricorum terrestrium, vino albo lotorum, lib. unam. Vini rubri, unciæ quatuor, aut libræ semissem.*

Coquantur simul ad vini consumptionem, & exprimantur: dein Oleum suo vase cooperto reponatur usui.

Paraphrasis.

PRimum accuratè lavare oportet Lumbricos terræ cum vino albo, atque ita per aliquot horas permittere, ut ita expurgentur terrâ qua nutriuntur: eos curabis bullire in vase terreo plumbato stricti orificii & obturato, cum oleo & vino clareto, usquedum consumatur. Pòst exprimes & recondes oleum sua in ollula benè occlusa, in tempus necessitatis. Si secunda vice reiteres Lumbricos & vinum, ut coquantur in oleo & eadem in olla ut prius, bis efficacior erit & major.

Oleum Scorpionum simplex. D. M.

℞. *Scorpiones numero viginti plus minusve, pro eorum magnitudine. Infundantur in lib. duabus Olei Amygdal. amararum, in vase vitreo probe obstructo; mense uno soli æstami vel loco calido exponantur. Pòst, colentur, & oleum servetur usui.*

Oleum Scorpionum compositum. D. M.

℞. *Aristolochiæ rotundæ, Gentianæ, Cyperi, & Corticis radic. Cappar. singul. unciam unam. Olei Amygdalar. amarar. Sextarium unum vel unciis octodecim.*

Contundantur radices & infundantur in oleo, dies 20 in vase vitreo operculato, cum succi Raphani lib. semisse. Deinde in duplice vase coquantur, ad succi consumptionem, addendo sub finem, Scorpiones decem aut quindecim. Obtura vas, insola iterum, mense uno, & utere.

Paraphrasis.

Mesue oleum suum Scorpionum compositum, mutuatus est è *lib. 9. Rhasis cap.* 37. Quod teneri debet in officinis, & non simplex: quoniam virtus Basis, Scorpionum, à quibus nomen nactum est, auctior fit per radices, quæ occulta quadam facultate, æquè ac illi resistunt venenis & pesti, calculumque comminuunt. Succus Raphani (utcunque *Rhasis* & *Mesue* nullam ejus mentionem faciant) multum juvat, & impedit quo minùs radices cum oleo urantur, cum decoqui deberent.

Qui volunt adjicere alia Alexiteria, quibus utantur tempore pestis, remedium habuerint in hoc præstantissimum. *Manard.*

De Mistura sive Componendi ratione.

PRimo in loco contundere oportet radices & spatio viginti dierum eas in Sextario uno, vel octodecim unciis Olei Amygdal. amararum infundere, in vase fictili vernice polito & operculato ad Solem, vel alio in loco illius calori propinquo. Deinde, adjicietur ei libræ semissis Succi Raphani, ut omnia simul in eodem vase bulliant ad succi consumptionem: secùs enim radices decoqui non possint, ut non urantur & deperdatur earum vis requisita; sub finem decoctionis, vel post expressionem, adjicientur decem aut quindecim Scorpiones: Post vas illud probè obtectum pergameno sive membrana madefacta tenebitur in Sole ardente, unum circiter mensem. Tandem quam validissimè exprimatur Oleum, recondendum.

Oleum

Oleum Vulpinum. D. M.

℞. *Vulpem adultam, & bene habitam, (qualis reperitur tempore vindemiarum) eviscceratam & in partes divisam. Aquæ fontanæ & marinæ, utriusque quantum sufficit. Olei veteris & clari, sextarios duos & semissem. Salis uncias tres. Coquantur ad vulpis artuum dissolutionem: At intercoquendum adjice summitatum Anethi & Hyssopi vel Thymi, utriusque M. I. & non lib. I. Deinde cola, & recoquantur ad decocti evaporationem, cum dictarum herbarum (Anethi scilicet & Hyssopi vel Thymi) utriusque libra una. Exprime & repone Oleum.*

Paraphrasis.

Paulus Ægineta & *Mesue* consulunt accipere & fervefacere Vulpem vivam in oleo, abjectis interaneis, & non pelle: quorum opinioni non possum prorsus consentire: sive enim viva seu mortua bulliat, nec auget quicquam, nec diminuit virtutem Olei.

Quod ad pellem attinet, parum illa quidem est succulenta: è contra, interanea sunt pinguia & consequenter accommoda; atque ideo consulerim ego hunc in modum facere. Accipe Vulpem mediæ ætatis, pinguem & bene habitam, quales sunt in mensibus Septembri & Octobri, postquam nutritæ fuerint uvis & saginatæ. Hanc excoriare oportet & intestina ab excrementis mundare, eaque cum Vulpe decoquere in particulas divisa, ut citiùs coquantur, in æquali aquæ fontanæ & marinæ portione seu in muriæ (iis dico qui procul à mari & salsis fontibus habitant) quantitate sufficienti, (modo illa quæ à *Mesue* ponitur non sufficiat) usque ad ossium à carne separationem: adjiciendo in principio salem requisitum, & sub finem, Anethi & Hyssopi, aut Thymi, cujusque manipulum unum. Quo facto cum valido quodam lineo panno exprimere: Post, colaturæ adjicere oleum requisitum & alterius Anethi, & Hyssopi singul. lib. unam, ut omnia simul decoquantur ad consumptionem tantum non humoris. Postea, per eundem pannum, ea validè exprimes, & Oleum recondetur. Atque ita tale oleum efficacius erit, quàm alias.

Eodem modo fit *Oleum Canum, Felium, Lacertarum* & aliorum animalium, sine additione herbarum, nisi consulto mandatum fuerit ab aliquo docto & experto Medico: & quoniam omni tempore hæc olea fieri possunt, non opus est ea retinere in Officinis. *Oleum Catellorum.*

Oleum Ranarum, pro Emplastro *Iohannis de Vigo*, fit non solum de capitibus Ranarum, ut *Mesue* dicit, sed de integris & carnulentioribus, quas servefieri curabis cum dupla olei dulcis quantitate, (in olla fictili probe obturata) & pauca aquæ, ad earum dissolutionem, sicut præcedentes, quod usui recondatur. *Oleum Ranarum.*

Oleum Viperarum & *Serpentium* eodem modo fit: nisi quod consulerem ego, ut capita & caudæ amputentur & intestina abjiciantur. Illa, utpote macra, sicca, dura, & parum succulenta, hæc ut receptacula veneni earum. Adeps tamen & pinguedo relinquatur, ut utilis ad id quod promittit *Mesue*. *Oleum Serpentium.*

Oleum Castorii simplex. D. N. Præpositi.

℞. *Castorii uncias unam. Aquæ vitæ vel Vini, uncias duas. Olei veteris, lib. unam. Bulliant in duplici vase, dum liquor absumptus sit, Colatura servetur.*

In Castoris genitalibus vel pube, prominet tumor ex sanie virus olente Cysti inclusa, à Pharmacopœis perperam pro testiculis usurpatus. Si hoc oleum ex sanie comparetur, quia facilè oleo liquatur, non coquenda, sed agitatione & calefactione miscenda. Si verò ea sicca sit, pulverizetur & coquatur, ut monui. Parvam sustinet coctionem ob ejus tenuitatem. Liquorem non expressit *Nicolaus*, sed ex *Fernelio*, & *Sylvio* addidi, ne coquendo oleum uratur cum Castorio.

Oleum

Oleum Castorii compos. D. Jacobi de Manliis.

℞. *Castorii,*
Styracis Calamitæ,
Galbani,
Euphorbii,
Cassiæ lignea Aromaticæ,
Croci,
Opopanacis,
Carpobalsami, vel Succedanei ejus.
Sem. Lentisci, vel Terebinthi, vel Cubebarum,
Spicæ Nardi & Costi, singul. drachm. duas.
Cyperi,
Schœnanthi,
Piperis longi & nigri,
Sabinæ, &
Pyrethri, singul. drachm. duas & semiss.
Vini odoriferi, lib. duas.
Olei dulcis, lib. tres.

Contusa omnia coque in duplici vase ad vini consumptionem. Cola & serva.

Paraphrasis.

CUperem ego ut Oleum Castorii Compositum, secundum hanc præsentem descriptionem, servaretur in officinis, potius quam simplex, propterea quòd in rebus omnibus plus virtutis habeat: In una parte vini liquare oportet Galbanum & Opopanacem: dein colare & coquere ad consistentiam mellis. Post, contundere alia medicamenta, eáque coquere in Balneo Mariæ, cum oleo requisito ad consumptionem illius, vel propemodum. Post totum exprimetur, in oleo Gummia dissolventur, cum pistillo seu spatula lignea, dum totum benè permistum fuerit & refrixerit, ut recondatur in suo vase probè obturato, usque ad tempus necessitatis.

Balsamum Polychrestum. D. B. Bauderoni.

℞. *Radicis Symphyti majoris, uncias quatuor.*
Rad. Plantaginis, uncias duas.
Herbarum Symphyti Medii, vulgò Buglæ,
Symphyti parvæ, vulgò Prunellæ,
Betonicæ,
Vermicularis,
Primulæ veris,
Agrimoniæ,
Diapensiæ, seu Saniculæ,
Absinthii Pontici majoris,
Herbæ Roberti, quæ quarta Geraniæ species, *Matthiolo:*
Verbenæ,
Millefolii,
Pilosellæ,
Pimpinellæ, &
Centaurii minoris, ana Manipulum unum & semiss.

Contusis omnibus recentibus in mortario, affunde Aquæ vitæ rectificatæ uncias octo, & simul macerentur super cineres calidos diebus quatuor. Quinto, ex hiis tepefactis exprimetur succus: in quo dissolve

Terebinthinæ claræ,
Oleorum Lini,
Sambuci (vel communis veteris) &
Hyperici, ana lib. unam.

Bulliant in duplici vase ad succi fermè consumptionem: dein colentur & reponantur in ampulla vitrea, diligenter cerâ obducta usibus extemporaneis.

Paraphrasis.

Hierichonta urbs opulens.

ESyria, *Ægypto* & *Judæa*, præsertim ex hortis *Hierichuntis*, urbis olim opulentissimæ, in Tribu *Benjamin*, distantis ab *Hierosolymis* circiter viginti leucas, apportabantur subinde Balsama excellentissima, & à Priscis celebrata. Quorum cognitio cum nobis denegetur, frustramur etiam effectis rarorum & singularium virtutum eorum. Quorum defectu, *M. Bricius Bauderonus*, pater meus, hoc composuit, quod ob effectus suos dignum judicavi, ut insereretur huic præsenti tractatui, publicæ utilitatis causâ: & Pharmacopœos rogo, ut suis in officinis confectum servent:

vent: ut Medici, Chirurgi, aliique utantur eo urgente necessitate: sicut postea declarabo.

Author ejus cognomen ei dedit de vocabulo Græco πολύχρηστον, id est, Multi usus, ad ostendendum, quod multis usibus accommodum sit: nempe ad sistendum quamcunque hæmorrhagiam, ad agglutinandum recentes plagas, cruenta seu vulnera, ad mundificandum ulcera sordida, eáque incarnandum: ad sanandum continui solutiones, & contusiones in cerebro factas, in nervis etiam, tendonibus, membranis & junctu-ris.

Basis est Terebinthina, quæ per se sola Balsamum est vulneribus familiare [*Dioscor.* & *Galen.*] virtus ejus detergens, mundificans & debilis calor, augentur per Oleum Hyperici, folia Betonicæ, Geranii, Centaurii, Eupatorii, & Absinthii. Remolliens per Oleum Lini quod ingreditur etiamnum, cum aliis frigidis ad temperandum & discutiendum inflammationem, quæ solet plagas concomitari & ulcera in principio. Digerens & agglutinans, accrescit per Diapensiam sive Saniculam, Verbenam, Millefolium & Pilosellam, quæ sua mediocri frigiditate & magna siccitate condensat & restringit hæmorrhagias quacunque de causa factas, auxilio nihilominus Pimpinellæ & Vermicularis, cum radicibus Plantaginis & Symphyti tam magni & medii, quam pusilli. Primula Veris injicitur ob cerebrum, nervos, & articulos. Aqua vitæ, additur ut totum faciat penetrare, tenuitate sua partium, ope accedente herbarum calidarum: & Oleum Hyperici adhibetur ad liquandum & dissolvendum grumos sanguinis, vel alterius humoris concreti, & ad exiccanda ulcera sordida.

Terebinthinæ vulnerum est familiare Balsamum.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimum incidere oportet radices Symphyti majoris & Plantaginis, vel eas contundere; deinde minutim concidere herbas sigillatim, (prius mundatas & lotas) easque commiscere in mortario cum radicibus: ac tum positas cum Aqua vitæ rectificata in quadam fictili olla vernice polita infundendas dies quatuor supra cineres calidos: Quinto die cum jam infusio tepida est, exprimendus succus, & in eo dissolvenda Terebinthina quam clarissima & transparens, quæ usque parari poterit, cum oleis Lini, Sambuci, & Hyperici quale supra descripsimus. Ac sic quidem totum in duplice vase coquendum est, quasi ad consumptionem succi, sed non totius. Post, omne quod est colatum, recondetur in ampulla vitrea, probè cum cera alba obturata, & duplici quadam aluta obtecta, ob usus sequentes, vel alios quos Medicus præceperit: nempe si velit sanguinem sistere, Huic præsenti Balneo adjungere debet medicamenta sequentia.

Sanguinem sistens.

℞. *Olei seu Balsami præscripti, uncias quatuor.*
Ceræ albæ & Resinæ, ana drach. sex.
Boli orientalis,
Sanguinis Draconis (i. Gummi arboris Draco dictæ, quod à colore rubro, Sanguis hodie nominatur) *&*
Lapidis Hæmatites. ana drach. tres.
Aloës hepaticæ,
Coralli rubri, &
Mummiæ, ana drach. unam & semissem.
Chalcanthi usti, drach. unam.

Fiat Unguentum usui.

Glutinans.

℞. *Olei præscripti, uncias quatuor.*
Gummi Elemi & Sebi Arietis, ana uncias duas.
Ceræ albæ, drach. sex.
Resinæ, Picis navalis,
Gummium Ammoniaci,
Galbani, &
Opopanacis, Aceto solutorum (vel vini si fauciati fuerint nervi) *& ad mellis crassitiem coctorum, ana drachmas tres.*
Pulv. Thuris,
Mastiches & Sarcocollæ, ana drachmas duas.

Fiat Unguentum, eóque unitor.

Sarcoticum.

℞. *Olei præscripti, unciæ quatuor.*
Ceræ albæ & Resinæ, ana drachmas sex.
Gummium Ammoniaci, unciæ semissem.
Galbani,
Pulverum Aristolochiæ rotundæ,
Thuris,
Masticbes,
Sarcocollæ & Myrrhæ, ana drachmas duas.
Croci, scrupulum unum.
Fiat Unguentum utendi tempore.

Cerebro, Nervis & Junctvris accommodum.

℞. *Olei seu Balsami præscripti, lib. dimidiam.*
Gummi Elemi unc. tres.
Hederæ,
Ceræ albæ, ana unciam unam.
Pulverum Salviæ,
Lavendulæ, &
Castorii, ana drach. tres.
Ligni Aloes,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Macis,
Baccarum Lauri, &
Juniperi, ana drachmam unam & semissem.
Croci, scrupulos duos.
Fiat Unguentum.

Paraphrasis.

HÆ quatuor descriptiones, hic adjiciuntur, ad monstrandum diversos hujus Balsami usus pro exigentia * Casuum & accidentium quæ supervenunt, quisque poterit diversimode uti & accommodare illud, secundum indicationes quas sumpserit, super subjectum suum. Per illud Chirurgi multum levabuntur labore, & præter ægri commodum, honorem sibi acquirent usu illius: dummodo sciant illud accommodare, & ipsum fuerit fideliter dispensatum.

* *Sive Symptomatum.*

Prima descriptio inserviet restringendis & sistendis Hæmorrhagiis in principio. Secunda, agglutinationi: tertia, regenerandæ carni, ubi aliqua fuerit deperditio substantiæ, & aliis generalibus intentionibus promissis. Ultima, nervis, junctvris, cerebro, aliisque partibus membranosis, & tendinosis sauciis. Mistura non alia est ab ea, quam sequenti in Sectione de Unguentis jam docebimus.

Sect. 2.

De Unguentis.

QUandoquidem Linimentum mediam habet rationem inter Oleum & Unguentum: non alienum erit à proposito, succinctè & compendio declarare quid illud sit, antequam de Unguentis differamus.

Derivatio Linimenti.

Linimentum nomen ab usu accepit suo. Forma medium obtinet inter oleum & unguentum: Spissius enim est oleo, & mollius unguento: quandoquidem nullatenus adhibetur cera. Componitur ferè ex Oleo, Terebinthina, Adipibus, Butyro, Medullis, Melle, Pulveribus, &c. Nunc dierum improprie locuendo appellant Linimentum, mollius Unguentum, quam par est, cum jam ingrediantur Cera, Gummia, Liquores, Resinæ, &c. Non præparantur hæc nisi cum iis utendum est, juxta præscriptum Medicorum & Chirurgorum.

De

De Unguentis in genere.

VNguentum derivat nomen ſuum ab unguendo, quia partes ægræ eo inunguntur: Componitur autem ex partibus Plantarum, Animalium, Metallorum, Mineralium, & Terrarum.

Oleum inſervit hîc pro materia, & Cera pro forma, & ut diutius retineatur vi tus ingredientium in parte affecta, per craſſitiem ſuam, & ut illorum actio perficiatur: ſecundum opinionem *Avicennæ*, *Fen. 4. primi ad finem 2. cap.* Quantitas ceræ *Galeno* Authore *lib. 3. de Medicament. Gen.* & *Paulo Æginæta lib. 7. cap. 17.* requirit drach. duas ad ſingulas olei uncias, & drachmam pulverum unam. Hæc doſis eſt ab omnibus & ſemper obſervata tam antiquis quam Neotericis: Cæterum ſæpè variatur, pro diverſis intentionibus. Propterea Medici, ſæpenumerò doſim ceræ ſilentio prætereunt, & relinquunt eam arbitrio Pharmacopœi in arte ſua experti, qui ſecundum quantitatem Olei, Pulverum, Reſinæ, Colophoniæ, &c. novit illud bene conficere.

Proportio ceræ cum oleo ad unguentum.

Cera alba ad unguenta frigida, præſtat flavæ. E contra flava, ad unguenta calida: ſicut particulatim tradetur.

Porrò, in hoc loco non animus nobis eſt de Unguentis verba habere, à *Dioſcor.* memoratis, *lib. 1. De materia medica* (quæ non alia ſunt, quam olea compoſita ex ſpeciebus aromaticis, de quibus tractatum fecimus, in præcedente Sectione, uti neque de omnibus) ſed de illis tantum quæ uſu recepta ſunt, & habentur in officinis. Differentia ſumitur, & diſtinguitur ſecundum eorum effecta, & ordinem qui obſervari ſolet in curatione ulcerum. Veruntamen, nos ea bifariam diſtinguemus. Videlicet in frigida & calida: initio ſumpto à minus compoſitis, ut in ſuperioribus Sectionibus fecimus.

De Unguentis in ſpecie. Et primum de frigidis.

Unguentum Roſatum.

℞. *Axungiæ porci recentis, novies aqua calente, & toties frigida lotæ (ut ſit expers omnis odoris) Roſarum rubrarum recentium, utriuſque lib. tres. Infundantur ſimul dies ſeptem, ut marceſcant: Tum coque igni lento & cola. Rurſus tantundem Roſarum recentium & contuſarum, per totidem dies marceſcere dimitte: Funde igne ut prius, & cola: Tunc affunde Succi Roſarum rub. lib. unam & ſemiſſem. Olei Amygdal. lib. ſemiſſ. Coque igni lento, ad Succi conſumptionem, & repone uſui.*

Utendi tempore, ſi vigiliæ adſint, conſulátque Medicus, adde Opii aqua roſarum ſoluti, quantum videbitur, ut monet Meſue.

Paraphraſis.

EX præceptis à *Dioſcoride* ſcriptis, *lib. 2. cap. 68.* agente de modo reddendi adipes odoratos, *Meſue* compoſuit hoc unguentum: quod nomen de Baſi ſua, Roſis rubris, & Succo, præſtantiſſimum, ad id quod promittit.

Ut methodice componatur ſecundum *Meſuen*, mundare oportet axungiam porcinam, à membranis ſuis, & lavare multoties in aqua ſubcalida, & poſt toties in frigida, ut exuat omnem odorem ſuum, faciliúſque recipiat Roſarum. Huic adjiciendum eſt tantundem Roſarum rubrarum recentium & contuſarum in mortario quantum axungiæ: quas infundi permittes in ardente Sole, circiter ſeptem dies: ſive tres ſupra cineres calidos (ſi urget neceſſitas) in fictili olla vernice polita, ſtricti orificii & probè cooperti. Poſtea, ſemel aut bis bulliat ſuper ignem modicum, ac tum exprimetur. Denuò axungiæ colatæ adjiciantur recentes roſæ (ut ſupra) contuſæ, quæ infundantur, coquantur & exprimantur. Colaturæ adjiciatur dimidium tanti quantum axungia eſt, Succi Roſarum rubrarum, & ſexta pars Olei Amygdalarum dulcium noviter

expressi (pro tribus libris Axungiæ, erit sesquilibra Succi, & lib. semissis olei), ut omnia simul lento igne coquantur ad consumptionem tantum non succi. Expedit enim magis, ut supersit, una sive binæ unciæ, quam ut totus ita absumeretur, ut axungia & oleum acquirant calorem quendam contrarium frigiditati Rosarum: Atque ita faciendo duas infusiones & coctiones, unguentum erit rubrum & odoratum: neque opus erit adjunctione *Orcanettæ* seu Anchusæ, ut nonnulli factitant contra Authoris mentem. Unguentum hac ratione factum reponendum est.

Qui cupiunt hoc perquam odoratum & candidum facere instar Pomati: loco Rosarum rubrarum capiant Nuces Moschatas, quas oblongo cultello dissecabunt & non in mortario contundent: & de similibus Rosis succum extrahant, faciéntque infusiones & coctiones, ut dictum est.

Eodem modo fieri possunt unguenta è floribus Violarum, Nenupharis, Salviæ, Rorismarini & Sampsuchi, aliisque floribus redolentibus: sicut tradit docetque *Dioscorides*.

Unguentum Nutritum seu de Lithargyro, vel Tripharmacum. D. M.

℞. *Lithargyri auri tenuissimè triti, lib. semissem. Olei Rosati Omphacini vel alterius, si desit, & Aceti acerrimi, utriusque quantum Lithargyrus agitata in mortario ebibere poterit, & justam crassitiem acquisiverit.*

Paraphrasis.

UNguentum hoc appellatur Nutritum, quòd Lithargyrus agitata in mortario cum Aceto & Oleo Rosato nutrita fit. Dicitur etiam Tripharmacum, quia de tribus compositum est: [De Lithargyro] tanquam de Basi sua.

Quidam loco Aceti imponunt Succum Solani, *Morelle* dicti, vel Plantaginis, Cerussam vel quid simile. Quod, Pharmacopœum non oportet facere, nisi consultò ei mandatum fuerit à docto aliquo Medico sive experto Chirurgo. Differt ab Emplastro nominato Tripharmaco, sola coctione. *Mesue* verbatim mutuatus est à *Serapione, Tract. 7. cap. 8.* sub nomine *Merdasengi*, quod *Arabica* lingua significat Lithargyrum. Videte Interpretes illius & *Avicennæ*.

De Mixtura sive Componendi ratione.

LIthargyrus exactè pulverizata, debet ab initio & diu nutriri cum Olei & Aceti modico, ne fortè properandi studio eam submergat [Pharmacopœus]. Quod si eveniat, inspissari nulla agitatione qualicunque, (aut ægre) poterit. Si fiat in mortario plumbeo, & cum pistillo de plumbo, magis refrigerans fuerit & deficcans, nequaquam verò album, sed griseum sive cinereum [vel cineritium.]

Unguentum de Bolo. D. Guidonis.

℞. *Terræ Sigillatæ, lib. dimidiam. Boli Armenæ, lib. unam. Aceti, vel Succi Solani, vel Plantag. vel alterius ejusdem facultatis, lib. unam & semissem. Olei Rosati Omphacini, si fieri potest, lib. tres.*

Sensim agitentur in mortario, donec Linimenti crassitudinem conquirant, ut in Unguento Nutrito diximus, & reponantur usui. Si quis Terram Sigillatam renuat, quod carior sit, augeat Boli dosim, & non peccabit.

Paraphrasis.

HOc unguentum descriptum est à *Guidone de Cauliaco* in *Tractatu septimo, Doctrina prima, cap. quinto*, & à seipso è Scriptis *Galeni* haustum, *lib. 9. Simplicium*. Nomen accepit à Basi sua, Bolo Orientali, cujus deficcans virtus augetur Terrâ Sigillatâ

gillatâ è *Lemno* apportatâ, hodie dictâ *Stalimine*. Quibus non commodum tantam quantitatem parare, quia cara est, sumant æquale pondus alterius Boli, vel Terræ *Blesensis*, vel etiam alterius pinguis & glutinosæ, & non peccaverint. Virtus ejus refrigerans, auctior fit succis herbarum refrigerantium, supra dictarum, vel aceto.

Ratio componendi non differt à præcedenti: præterquam quod paulò mollius esse debet, si quis recondere velit, quoniam desiccando inspissatur.

Unguentum Album. D. Rhasis.

℞. *Ceræ albæ quartarium unum, seu uncias tres. Cerussæ, lib. semiss. seu uncias sex. Olei Rosati, lib. unam, seu uncias duodecim. Albumina Ovorum, numero tria. Caphuræ drach. unam.*

Technicè paretur Unguentum.

Paraphrasis.

RHasis hoc unguentum describit contra ambusta. *Cap. 18. lib. 7. Sui continentis*: quod nomen ab albo colore suo accepit.

Basis est Cerussa: cujus acrimonia corrigitur lotione in aqua Rosarum facta. Oleum Rosatum & Albumina sive Candida ovorum imponuntur ad augendam virtutem *Basis* refrigerantem: Caphura pro vehiculo est, Cera alba ad corpus unguento comparandum inservit.

De Mistura sive Componendi ratione.

UT pulchrum & bonum fiat, friare oportet super cribrum setaceum inversum (papyro purâ suppositâ) Cerussam, ut trajiciatur: post pluries abluere in aqua fontana: & tandem in aqua Rosacea: Deinde in patina terrea vernice polita, linteo candido obtecta in Sole siccare. Post ad modicum ignem liquanda est Cera, cum Oleo Rosato claro & puro in fictili vase vernice polito, vel stanneo, non autem cupreo: Tum subtracto igne Cerussa madefiet, pistillo vel spatula lignea semper movendo, donec refrixerint. Postea adjicientur Albumina Ovorum, & Caphura subtiliter pulverata, tum demum recondatur in olla sua ad usum. Non opus est Lithargyro nec reali, ut quibusdam placet, (sed perperam) nisi expressè præcipiatur ob rationem alienam Pharmacopœo incognitam.

Unguentum Desiccativum Rubrum. Incerti Authoris.

℞. *Olei Rosati Omphacini, lib. unam. Ceræ albæ, uncias quinque. Liquatis insperge pulverem sequentem.*

℞. *Lapidis Calaminaris,*
Terræ Lemniæ, vel Boli Armenæ,
utriusque uncias quatuor.
Lithargyri auri, &
Cerussæ, utriusque uncias tres.
Caphuræ, drach. unam.

Technicè fiat Unguentum.

Paraphrasis.

DE Authore hujus unguenti nobis non constat: Nomen autem cepit ab effectu suo, & cognomen à colore rubro, quem illi præbet Basis, Lapis Calaminaris. Virtus ejus desiccativa, fit auctior Lithargyro, Cerussa & Bolo (pro Terra Sigillata) Refrigerativa, Oleo Rosato Omphacino. Cera impertit illi corpus: Caphura tenuitate partium penetrare facit crassitudinem Basis, & aliorum desiccantium ac terrestrium.

De

De Mistura sive Componendi ratione.

SIngula sunt, seorsim pulveranda. Videlicet, Caphura, Lithargyrus, Bolus & Cerussa, sicut sæpius dictum est: Tum modico igne liquari curabis Oleum & Ceram. Citra ignem madefacies pulveres: tandem & Caphuram semper movendo, pistillo seu spatula lignea, donec omnia refrixerint, ne pulveres pessum eant, sed ut melius misceri possint. *Sylvius* suadet, ut Oleum & Lithargyrus seorsim primum supra ignem nutriantur, ut unguentum magis desiccativum sit & agglutinans, priusquam injiciatur Cera vel alia ingredientia: quod quidem bene convenit. Verum ita refrigerat minus, qualitas, calori alieno qui ulcera comitari solet, necessaria. Hæc forma fiet Ceratum; nam ad unguentum minus ceræ oportet esse.

Unguentum Pompholigos. Incerti Authoris.

℞. *Olei Rosati Omphacini, uncias viginti. Succi granorum Solani, uncias octo. Coquantur simul ad hujus fermè consumptionem: Tunc liqua Ceræ albæ & non flavæ, uncias quatuor. Cerussæ lotæ, uncias quatuor. Plumbi usti loti & tenuissimè pulverizati,* (non ustum, tenuissimè pulverizatum anteponerem) *& Pompholigis* (hujus penuriâ *Tutiæ præparatæ*) *utriusque uncias duas. Thuris puri, subtilissimè pulverizati unciam unam.*

Ex arte paretur Unguentum, usui reponendum.

Paraphrasis.

QUis fuerit hujus unguenti Author mihi non liquet (quamvis *Præpositus* ascribat illud *Nicolao*) cum reperire id non potuerim, in *Sectione* 30 & 30 *Antidotarii*, secundum *Myrepsum*, ubi verba habet, de Unguentis, Cerotis, & Emplastris. Si quis alius alibi invenerit, pergratũ mihi faciet, locum notare, seu signare, ad levandum eos labore qui secuturi sunt. Ego autem *Nicolaum Præpositum* sequutus sum: nisi quod duplicavi Oleum, imponendo viginti uncias pro decem. Quandoquidem illud pondus non suffecerit tantæ quantitati ceræ & pulverum, ad Unguenti compositionem, sed ad Emplastri. Basis est Pompholyx, unde accepit nomen: tanquam ab eo quod facultatem habet sine mordacitate siccandi, cum primum ordinem teneat inter mineralia & metalla. *Gal. lib. 9. Simplicium, & 4. De Medicam. localibus.* Adde quod nullo negotio & vili pretio parari possit à fusoribus Cupri & tormentorum Bellicorum, Tutia enim (cadmiæ species) nunc dierum (perperam) accipitur pro Pompholyge, & multò minorem habet virtutem. Causa hujusmodi erroris à nostris Pharmacopœis recepti in praxi sua, procedit à *Serapione* & *Avicenna*, qui Tutiam & Pompholygem eandem rem esse arbitrati sunt. Qui nesciunt discrimen à se invicem, legant *Dioscoridem* & *Galenum*; vel etiam, quibus facultas non est verum comparandi Pompholygem, sumant interim, Tutiam præparatam & lotam.

Loco Plumbi usti cum Sulphure consulerem ego, ut sumatur crudum, quod limatum vel in tenues laminas contusum & in forti aceto circiter 24 horas infusum, facilè friando in mortario æneo in pulverem reducetur, & multò facilius quam idem ustum, atque adeò, non infusum, sed limatum tantum, pulverari poterit, quam tenuissimè volueris.

Nota. Ratio qua adducor ad hoc est, quia Sulphure & igne exuit vim refrigerantem suam, acquiritque calorem quendam & acrimoniam, quæ non prorsus lotione deperdit: quod dolorem & mordacitatem in ulceribus creat, cum restinguere calorem qui sæpè in illis est deberet. Sed objiciet fortasse quispiam, *Dioscoridem, Galenum, Arabes*, & plures Neotericos, hoc ipsum fœliciter usurpâsse. Fateor quidem ego meipsum etiam hoc factitâsse & experientia comperisse, majorem efficaciam in plumbo pulverizato, ut dixi, quam in usto. Et facile credo, veteres si putâssent, pulverizari illud potuisse, sine calcinatione, in usum illud tractaturos fuisse, & alteri prælaturos. Neque mirum hoc videri debuit: Non enim, omnia scire potuerunt aut experiri: nobis

nobis autem satis esse debuerit, pulchra eorum atque docta præcepta quæ scriptis mandata nobis reliquerunt percepisse, quorum ope plus ultra nobis videre licet, eorum quasi humeris insidentibus.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PUlveres Thuris, Cerussæ, Plumbi crudi sive usti, & Pompholygis, oportet perquam tenues esse, ne aspredo eorum moveat dolores in ulceribus, cogatque ægros unguentum tale abjicere, sicut illud sæpenumero usu veniſse vidi. Hæc tria postrema debent singula seorsim lavari, ut quadam ex parte si non prorsus corrigatur eorum acrimonia: Præsertim si plumbum ustum fuerit. Sin verò ustum non sit, lotione non opus est: quippe quæ adhibetur corrigendæ acrimoniæ causa ex Sulphure & igne contractæ. Quod cum factum est, bullire curabis Succum Solani cum Oleo Rosaceo Omphacino, ad totam fermè illius consumptionem, idque ob rationes supra positas: post colari atque inibi Ceram albam liquari: Cui liquatæ, adjicienda est Cerussa cum Pompholyge & Plumbo: ac postremò Thus, ne calore in grumos concrescat: atque ob id semper moveri oportet ligneo pistillo, donec unguentum refrigeret. Ac tum demum in vase suo, usui recondendum est.

Unguentum Ophthalmicum. D. B. Textoris.

℞. *Tutiæ Alexandrinæ præparatæ, unciam unam, Boli Orientalis ex* Armenia, *Cerussæ aquâ rosarum lotæ, utriusque drach. duas. Coralli rubri præparati, drach. unam. Caphuræ optimæ* (qualis hodie è *China* adfertur) *Opii Thebaici vel Meconii, utriusque grana octo, Butyri recentis, insulsi & aquâ Rosarum loti uncias sex. Compone ex arte Unguentum, usui recondendum.*

Oculorum dolores, ex humore acri ortos demulcet: si eorum Canthi, Cilia & Palpebræ eo illinantur (præmissis universalibus) ea cautione adhibita, ne quid intro subeat.

Paraphrasis.

AUthor hujus Unguenti est *Benedictus Textor*, excellens Medicus, de *Ponte Vaulx* in *Bressia*, qui ei ab effectu suo nomen imposuit, & non à Basi sua, Tutia in principio posita; Virtus illius refrigerans augetur Opio & Corallo. Deficcans humores qui in oculos decumbunt, Bolo ex Armenia. Caphura pro vehiculo est, tam Basis quam aliorum exiccantium. Butyrum recens & insulsum corpus præstat unguento, lenit dolorem oculorum, corrigit asperitatem & siccitatem terrestrium, ac tum quidem cum aliqua ejusdem portio per imprudentiam jam subeat vel delabatur in oculos, obstat quo minus eos tantum offendat quantum posset, si oleum adhiberetur. Usus hujus unguenti est post universales purgationes, & phlebotomiam, alioquin nil prodesse potuerit. Qui id componunt cum Pompholyge, melius habituri sunt unguentum quam cum Tutia, hic memorata.

De Mixtura sive Componendi ratione.

SIngula per se medicamenta seorsim pulveranda, & cum aqua Rosarum sæpiùs lavanda. Videlicet, Tutia, Bolus, Cerussa & Corallium. Tum subigenda omnia cum Butyro recenti, non veteri vel salso, ut usui inserviat. Ac præparari debet hoc ungentum in ipso utendi tempore, & non diutiùs in officina servandum.

Quibus non est copia parandi Butyrum recens, accipiant æquale pondus sebi hœdini sive caprini, probè loti & à suis membranulis purgati. Hoc unguento illini solent oculorum canthi, palpebræ & cilia, idque sæpius & absque calfactione: & hac cautione adhibita ne quid subintret, idque ob exquisitum membranæ adnatæ sensum.

Unguentum

Unguentum Populeum. D. N. Salernit.

℞. *Oculorum seu Gemmarum Populi nigræ, lib. unam & sem. Axungiæ Porci recentis, lib. tres.* Vel aliorum ex mente duas. *Oculi Populi contusi, macerentur cum Axungia, ad Majum usque Mensem. Deinde*

℞. *Foliorum Papaveris nigri,*
Mandragoræ (hujus penuria sume tantundem Baccarum & foliorum Sambuci montani seu sylvestris, quæ similes obtinet vires, Teste *Trago* & *Pena.*)
Hyoscyami,
Solani,
Vermicularis,
Sempervivi majoris, seu sedi vel Aizoi,
Lactucæ,
Personatæ, vulgò Bardanæ,
Violarum,
Scatunculi, seu Umbilici veneris, &
Cymarum Rubi tenerrimarum, sing. uncias tres.

Herbæ contusæ in mortario, Oculis & Axungiâ misceantur: & octo vel decem dies simul macerentur. Deinde supra lentum ignem (semper movendo cum pistillo) coquantur cum vini optimi lib. una, vel succi Solani & Aceti, utriusque libra dimidia, ut sit efficacius, ad hujus fermè consumptionem. Tum exprimantur torculari; & expressum unguentum usui reponatur.

Paraphrasis.

HAnc descriptionem mutuatus est *Salernitanus*, à *Myrepso*, *Sectionis* 3 *cap.* 45. adjectione illi, Bardanæ: quam non oportet rejicere, Authore *Fuchsio*: quoniam calore suo penetrare facit frigus aliorum. Consimili de causa, acetum imponitur & succus Solani, cujusque lib. semiss. ut fi igidius evaderet.

Præterea *Myrepsus* non denotat sebi sive adipis dosim, herbarúmque singularum imponit semunciam, quæ quantitas non sufficeret illi & Basi à *Salernitano*, expressæ: quod mihi ansam præbuit sequendi illum potius quam hunc.

Hoc Unguentum sumpsit nomen à Basi sua, Gemmis sive Oculis Populi nigræ, positis in principio, & majori in quantitate, quam ulla altera herba quæcunque (Quæ omnes apponuntur ad augendam illius vim refrigerantem) præterquam Bardanam, ob causam supra prædictam. Axungia porcina recens esse debet, suis à membranis mundata & lota: quæ hic obtinet locum Ceræ & Olei, & ad diutius conservandam earum virtutem.

De Mixtura sive Componendi ratione.

MEnse Martio colligere oportet Gemmarum sive Oculorum Populi nigræ, quantum par est, easque in mortario contundere, iisque adjicere axungiam recentem & purgatam (ut dictum est) imponereque in fictilem ollam vernice politam, & occludere, usque ad mensem Majum sequentem (herbæ hîc memoratæ non amplius reperiuntur:) Ac tum colligendæ sunt & ab omni sorditie purgandæ, ac in mortario contundendæ, ut simul infundantur cum axungia & Oculis Populi, octo vel decẽ plus minus dies in loco calido. Postea omnia in lebetem super ignem imposita, cum Aceti & Succi Solani, cujusque semilibra (quod exurgit ad vini libram in contextu memoratam) bullient ad consumptionem fermè eorum, & humoris herbarum. Quod si tum parari non tantum Solani, ut Succus requisitus extrahi possit, tripla dosis ipsius sumenda est ad supplendum hunc defectum: ac sic viridius erit, & magis refrigerans quam cum vino. Durante herbarum decoctione semper in fundo movere oportet cum pistillo ligneo, ne forte urantur, & ut facilius noscatur earum decoctio. Postea exprimentur in Torculari, cum denso ac valido panno cannabino novo, adeo ut ne quid supersit.

Unguentum hoc cum refrixerit, in sua olla occludetur usui necessario; Quoque anno renovari id oportet, alioqui facultas ejus refrigerans, tempore amittetur, & calor axungiæ superabit frigus, & consequenter inutile fuerit.

Unguentum

Unguentum Comitissæ. D. Guilielmi Varignanæ.

℞. *Corticis medianæ Castanearum, &*
Glandium Quercus,
Corticum Fabarum,
Baccarum Myrtillorum,
Hippuridis, i. Caudæ equinæ,
Gallarum,
Acinorum uvæ,
Sorborum immaturorum & siccorum,
Mespillorum pariter maturorum siccorum,
Foliorum Pruni sylvestris (unde fit Acacia nostra) *&*
Glaucii (vel hujus defectu Radicum Chelidonii majoris, qui succo sive calore alia subire facit) *sing. unam unc. & semiss.*

Coquantur in aqua Plantaginis, lib. octo, vel quantitate sufficienti ad medias. Colatura, sequentia novies laventur: recentem Colaturam singulis vicibus affundendo:

℞. *Oleorum Myrtini, &*
Mastichini, utriusque lib. unam & semissem.
Ceræ albæ potius quam flavæ, uncias octo & semiss.

His liquatis & lotis, insperge sequentem pulverem.

℞. *Trochiscorum de Karabe, uncias duas.*
Corticis med. Castanearum,
Glandium, &
Gallarum quercus, singul. unciam unam.
Myrtillorum,
Acinarum uvæ,
Sorborum immaturorum & siccorum: &
Cineris ossis cruris bovis, sing. unc. semiss.

Technicè paretur Unguentum usui reponendum.

Paraphrasis.

UNguentum hoc primum à *Guilielmo de Varignana* fuit compositum, sicut ille descripsit illud, tractans curationem, menstruorum immodicorum in gratiam Comitissæ cujusdam de *Vadre*, quæ gravitet illis laboravit, & hujus ope abortum præcavit sive prævenit. Basis ejus, multorum est medicamentorum astringentium, ex quibus componitur. Cujus virtus terrestris calore adjuta radicis majoris Chelidoniæ, (calidæ & siccæ ad tertium usque gradum) profundius penetrat, quam sine illa.

De Mistura sive Componendi ratione.

COmponere primum oportet Unguentum ex Oleis, Cera, & Pulveribus sub finem expressis; deinde lavare Colatura facta, ex medicamentis contusis & positis in primo ordine, in sufficienti quantitate aquæ Plantaginis, ad medias consumptæ. Singulis lavandi vicibus effundi debet colatura prius imposita, & nova reponi, post recondetur usui.

Unguentum Stypticum. D. Fernelii.

℞. *Gallarum immaturarum,*
Nucum Cupressi,
Baccarum Myrti,
Balaustiorum,
Malicorii, vulgò Psidii,
Corticum Glandium,
Acaciæ veræ vel nostratis,
Rhois, vulgò Sumach, &
Mastiches, ana unciam unam.

Omnia exquisitè trita, macerentur circiter dies quatuor in succis Mespillorum & Sorborum immaturorum: deinde lento igne siccentur, & cum Olei Rosati, Aqua Aluminosa sæpè loti, libra una & semisse. Ceræ albæ, unciis quatuor. Fiat Unguentum usui reponendum.

Paraphrasis.

F*Ernelius, lib. septimo suæ Methodi* curandi, agens de unguentis, nobis scriptam reliquit hanc descriptionem, quam composuit super præcedentem à *Guil. de Varignana* descriptam, nomènque ei ab effectu suo astringente imposuit. Non illi cedit viribus, & virtute, simplicior verò est, & minus ad componendum operosa. Qui hoc unguentum habituri sunt, suis in officinis (quod ego suaserim) illud prætermittere poterint, nec tot compositiones superfluas retinere. Liberum cuique arbitrium relinquo, nec velim virum suo fraudare honore debito: sed, quod ad me attinet, potius hoc unguentum *Fernelii* meum in usum reciperem, quam illud *Varignanæ*, cognominatum *Comitissæ*.

De Mixtura sive Componendi ratione.

INgredientia quæque oportet simul in pulverem vertere (excepto Mastiche, quæ subtilissimè pulverari debet) eaque dies quatuor, in succis de Sorbis & Mespilis viridibus & nondum maturis expressis infundere, post ad modicum ignem desiccare. Deinde in unguentum cum Cera alba & Oleo Rosato sæpius cum Aqua Aluminosa loto reducere. Sin autem hii duo succi hîc memorati parari non possint, sumant duplum illius quod ad manus est: vel æquale pondus succi Pyrorum sylvestrium, vel alicujus arboris astringentis, nec erraverit: quandoquidem hoc est perpetuum remedium, ubi sola requiritur astrictio, ad sistendam evacuationem magnam qualemcúnque, sive superioris ea fuerit ventris sive inferioris: Hæmorrhoidum, Menstruarum, Sudorum & aliorum.

Unguentum ad pruritum Scabiosorum. D. Renodæi.

℞. *Axungiæ Suillæ, Succo Scabiosæ sæpiùs lotæ, lib. semiss. Radic. Oxylapathi cortè in Aceto ad putrilaginem usq; & per setaceum trajectæ, & Sulphuris in Succo Limonum loti, ana unciam unam & semissem. Unguenti Populei, Succo Inulæ Campanæ nutriti, unciæ semissem.*

Omnibus in mortario subactis, fiat Unguentum usui.

Paraphrasis.

DOminum *Renodæum*, perdoctum & expertissimum Medicum Parisiensem, Authorem hujus Unguenti arbitror fuisse, sin minùs, mutuatus sum illud ex *Libro quinto sui Antidotarii, cap. 9.* ubi id ille describit: & videtur desumptum de Enulato infra descripto secundum *Nicolaum Præpositum*. Nomen ab effectu accepit suo, ad pruritum & Scabiem cui perquam est accommodum. Hîc illud inserui, in gratiam eorum qui uti velint pro infantibus & delicatioribus, seu viris seu fœminis, quoniam illud non ingreditur Argentum vivum.

Mixtura non est dissimilis ei: quæ in Enulato, ad quod recurrendum est.

Sequitur de Unguentis calidis.

Unguentum Basilicum minus. D. M.

℞. *Cera flavæ, à sordibus repurgatæ, Picis Navalis, & Resinæ puræ, singul. lib. dimidiam. Olei dulcis, lib. duas: aut quantũ sufficit.*

Fiat Unguentum.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

PAulus Æginetа, lib. 7. cap. 17. componit hoc Unguentum in forma Emplastri; quod respondet Tetrapharmaco *Galeni*, composito ex Cera, Pice, Resina & Sebo sive Adipe loco Olei, æquali in portione. *Mesue* transcripsit hoc è *Serapione*, *Tract. 7. cap. 28.* & ex *Avicenna*, *Lib. 5. Tract. 11.* Qui id appellarunt Basilicum, quasi Regale, & magnæ efficaciæ: Quidam etiam nominarunt illud Tetrapharmacum, quia de quatuor componitur medicamentis. Cognomen autem [Minus,] positum est ad differentiam alterius consimili nomine, magis compositi, quod non in usu est.

De Mixtura sive Componendi ratione.

CEra, Resina, & Pix nigra, ab omni sorde repurgata, morsellatim secanda sunt, ut citius liquentur & minore cum igne, in Oleo Olivarum. Dein cum refrixerint, movenda & agitanda pistillo ligneo, donec totum subrubrum fuerit: ut inde dignoscatur à Basilico majore, quod nigro esse debet colore. Nostri tamen Apothecarii non hoc ita accuratè spectant, & sine agitatione relinquunt illud cum colore nigro: Quia nostri Barbitonsores inscii non arbitrantur probum esse, si fuerit alterius coloris quam nigri. Cæterum, colores nihil omninò valent, sed indifferenter se habent in medicamentis, ut supra diximus in Theriaca.

Unguentum Ἀναληπτικὸν, i. *Reficiens.* Vulgò *Resumptivum.* D. N. Præpositi.

℞. *Butyri recentis, lib. unam.*
Ceræ flavæ potiùs quam albæ, uncias sex.
Axungiæ Porci insulsæ, quartarium unum seu uncias tres.
Gallinæ,
Anatis, &
Anseris,
Olei Amygdal. dul. loco violati,
Anethini, &
Chamæmelini singul. uncias duas.
Mucilaginis radicis Bismalvæ,
Fœnugræci, &
Lini, Aquæ Rosarum extractæ, sing. unciam unam.
OEsypi humidæ, unc. semiss.

Fiat Unguentum.

Paraphrasis.

HOc Unguentum nomen cepit suo ab effectu: quod ego transcripsi è *Nicolao Præposito*, & correxi ex consilio *Rondeletii* bona ratione fundato: substituendo Ceram flavam pro alba: Oleum Amygdal. dulcium pro violato: & subtrahendo Mucilagines frigidasa, stringentes & incrassantes: augendóque emollientes, relaxantes & digerentes Bismalvæ, Lini & Fœnugræci. Dixerit aliquis quod secundum doctrinam *Galeni* talis astrictio requiritur, quandoquidem usus illius est in principio fluxionum, quæ in pectus decumbunt. Fateor hoc, sed non adeo magnæ, & cui aqua rosarum sufficiat: sicut diximus in Syrupo Glycyrrhizæ.

De Mistura sive Componendi ratione.

PRimum extrahere oportet Mucilagines Bismalvæ, Lini, & Fœnugræci, cum Aqua Rosarum, & in illis adhuc calidis madefacere Oesypum. Deinde curabis Ceram minutim concisam liquari cum Oleis super calentes cineres, vel modicum ignem: pòst adjicies Butyrum & Axungias recentes novellas, non salitas. Et cum omnia tepuerint, adjicies Mucilagines (ita ut non consumantur cum Oleis & Adipibus, sicut in multis aliis: quoniam quantitas earum est admodum parva) & Oesypum commixtam, quæ in vase suo, usui repones. Qui hoc unguentum habuerint, omittere possunt Unguentum pectorale & de Adipibus, in multis Dispensatoriis, descripta.

Vnguentum Dialthæas. D. N. Myrepsi.

℞. *Radicum Bismalvæ, lib. unam. Seminum Fœnugræci & Lini, utriusque lib. dimidiam. Scillæ recentis, quart. unum seu uncias tres. Singula lota trita q. triduo macerentur in aquæ libris tribus & dimidia. Quarto verò die bulliant donec inspissentur: mox sacculo inclusa, exprimantur. Tunc* ℞. *Mucilaginis illius percolatæ, lib. unam. Olei, libras duas, & rursus bulliant ad Mucilaginis consumptionem, & superstiti Oleo liqua, Ceræ flavæ, lib. semissem. Colophoniæ & Resinæ, utriusque quart. unum, seu uncias tres. Terebinthinæ, Galbani & Gummi Hederæ, aut Succi ejusdem, singul. unciam unam.*

Sic, para Vnguentum, quod usui reponatur.

Paraphrasis.

BAsis Unguenti hujus est Radix Bismalvæ, posita in principio, unde nomen accepit: quæ ob magnas virtutes suas, in curatione multorum morborum, tam internorum quam externorum, nomen suum derivatum habet á verbo Græco ἀλθαίνω, & ἀλθέω, i. Curo & Medeor. Author est *Nicolaus Myrepsus*, cognominatus *Alexandrinus*, in *Sectione tertia, cap.* 49. Persuadebam mihi, ut factum esset sine Colophonia & Gummis, quia illud non habeamus verum, sed turbatum confusumque & sedimentum ipsum Terebinthinæ destillatæ, pro eo suppositum & quod ea nimis calida sint & omni tempore adjicere licebit cum necessitas postulet, & sane magis competeret ægritudinibus pectoris, quam cum Gummis & Colophonia.

De Mistura sive Componendi ratione.

PRimum diligenter repurgare oportet radices Bismalvæ, à *Græcis* dictæ Althææ. Tunc in mortario contundere, uti & Semina: Simúlque triduo infundere cum tribus libris aquæ & dimidia, supra cineres calidos.

Quarto die curabit Pharmacopœus, bullire diu super ignem, in cupreo lebete, post fortiter cum panno Cannabino exprimet.

Seorsim liquari curabit Gummi Galbanum, & Hæderæ cum vino: Post colabuntur, & decoquentur ad consistentiam mellis, quibus adjicienda est Terebinthina; hisce peractis, accipe Mucilaginis colatæ libram unam, quæ cum Oleo coquenda est in eodem lebete perquam nitente & puro, dum consumpta fuerit, semper rudicula sive pistillo ligneo agitando, ne uratur & adhæreat lebeti: post iterum coletur.

In Oleo calido liquanda est Cera nova minutim incisa; Resina etiam & Colophonia pulverizata, ut citius liquentur; deinde sublato ab igne lebete adjiciantur Gummia cum Terebinthina permista, sensim & blande movendo, dum totum refrixerit, usui recondendum.

Si Gummi Hederæ siccum sit & purum, subtiliter poterit pulverizari, & in fine demum adjice, post Galbanum & Terebinthinam. Qui non habent hoc Gummi, sumant æquale pondus Succi hederæ muralis.

Vnguentum Nicotianum. D. Jouberti.

℞. *Fol. Nicotianæ, libras duas. Axungiæ Porci recentis, vel lotæ, lib. unam. Macerentur simul per noctem, cum pauco vini rubri. Manè bulliant igne lento ad vini consumptionem. Colato expresso, adde Succi Nicotianæ, lib. dimidiam. Resinæ abiegnæ, uncias quatuor. Coquantur ad liquoris consumptionem: addendo sub finem, Pulveris Aristolochiæ rotundæ, unc. duas. Ceræ Citrinæ, quantum sufficit.*

Fiat Vnguentum.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

HOc Unguentum accepit nomen à Basi sua, Nicotiana sive Peto, seu Herba Reginæ, ab ultra marinis Regionibus advecta, & Reginæ *Franciæ* dono data, tanquam re digna Principe, ob ingentes & raras virtutes suas, ad mortificandum ulcera quæcunque sine dolore: ad molliendum & digerendum materiam scrophulosam sive strumosam ad desiccandum scabiem humidam, in ætate & sexu qualicunque. Quod ansam præbuit Medicis & Chirurgis in usum illud recipere, & hoc unguentum ad commodum pauperum componere. Hæc herba incognita fuit antiquis & *Græcis* & *Arabibus*: hiisce autem diebus frequens est, & curiosè in hortis *Franciæ* colitur.

De Mixtura sive Componendi ratione.

HErbam ipsam recentem in mortario contundere oportet: & ex una illius parte semilibram Succi extrahere, altera verò fervefiet cum axungia porci recenti, aut lota (priùs cum modico vini claretto infusa, per unam noctem) ad vini consumptionem: In colatura rursus bulliat succus ad consumptionem, deinde exprimatur. Deinde sequentur Cera & Resina, & lebete ab igne sublato & tepido, adjicietur pulvis Aristolochiæ rotundæ, ut omnia simul usui recondentur.

Unguentum Mundificativum de Resino. D. Jouberti.

℞. *Resinæ,*
Terebinthinæ,
Olei Rosati, &
Mellis singul. lib. semissem.
Ceræ novæ quartarium unum, seu uncias tres.
Myrrhæ,
Sarcocollæ,
Farinæ Fœnugræci, &
Lini, sing. drach. sex.
Thuris, &
Mastiches, utriusque drach. tres.

Fiat Unguentum.

Paraphrasis.

Magister Joubertus fatetur sese sumpsisse hoc Unguentum sive Mundificativum ex Emplastro Resinæ, descripto à *Guidone de Cauliaco, cap. quinto Antidotarii* sui. Consulerem ego, ut loco mellis communis & despumati, sumatur Rosatum, ideò quod plus competit ad omnia quæ promittit.

Nomen accepit ab effectu suo, & cognomen à Resina, posita in principio.

Oleum & Cera immittuntur, ad formam seu consistentiam.

De Mistura sive Componendi ratione.

PUlverizare oportet (& singula seorsim) Myrrham, Sarcocollam, Thus, Mastichen, Fœnugræcum & Linum. Deinde supra parvum ignem liquari Resinam & Ceram, in minutas particulas concisa. Pòst, lebete ab igne amoto, adjicientur Terebinthina & Mel. Postremo pulveres sigillatim & seorsim, sicut & farinæ: Tum Myrrha & Sarcocolla: Mastiche demum & Thus, ad finem, ne calore in grumos concrescant.

Unguentum Mundificativum de Apio.

QUod ad Mundificativum de Apio attinet, illud non describo, propterea quod non servatur in officinis, & quoque tempore facilè poterit præparari de mente & consilio Medici aut Chirurgi experti, qui adjicere possunt, quod sciverint esse necessarium, pro natura partis affectæ, & ulceris, suo tempore.

Unguentum

Unguentum Aureum. D. M.

℞. *Olei Communis, lib. duas & semissem, seu uncias triginta.*
Ceræ flavæ, lib. semissem, seu uncias sex.
Terebinthinæ claræ, uncias duas.
Resinæ, &
Colophoniæ, utriusque unciam unam & semissem.
Pulveris Thuris, &
Mastiches, utriusque unciam unam.
Croci, drach. unam.

Technicè fiat Unguentum.

Paraphrasis.

HOc Unguentum diversas habet appellationes, nempe, Aureum, Regis, Comitis, tam ob raras virtutes suas dignasq; Comite aut Rege, quam ob colorem flavum, & aurum referentem. Miscendi ratio non differt à Mundificativo, supra expresso.

Unguentum Apostolorum. D. Avicennæ.

℞. *Terebinthinæ,*
Ceræ flavæ, potius quam albæ,
Resinæ, &
Ammoniaci, singul. drach. quatuordecim.
Litharyri auri, drach. novem.
Aristolochiæ rotundæ vel longæ.
Thuris masculini, &
Bdellii, singul. drach. sex.
Myrrhæ, &
Galbani, utriusque drach. quatuor.
Opopanacis, &
Floris Æris vel Æruginis, utriusque drach. duas.

Bdellium & Gummi infundantur in Aceto, tum coque ad Mellis crassitiem & illis adde Terebinthinam.

Tandem liqua Ceram & Resinam cum Olei communis lib. duabus (Hæc quantitas quovis tempore sufficit) & injice Litharyrum aliquandiu nutritum [Emplastri instar:] & extra ignem adhuc tepens, Pulveres & Gummi cum Terebinthina, sic concinnatum Unguentum, usui reponatur.

Paraphrasis.

HOc Unguentum sumpsit nomen ab *Apostolis*; non quod illi Inventores essent, aut eo uterentur ad sanandos ægros suos. Non enim usi sunt illi medicamentis, sed in nomine *Iesu Christi* Redemptoris nostri quem illi prædicarunt esse Filium Dei & *Messiam*, promissum in Lege, per Prophetas eos sanaverunt: sed à numero eorum qui fuerint duodecim, quot ex medicamentis componitur, extra Oleum: *Avicennam* existimo fuisse Inventorem, qui floruit *Sancti Augustini* tempore, *Anno Salutis* 428. Describit enim illud, *Libro quinto, Sum. primæ, Tractatu* 11.

De Mistura sive Componendi ratione.

SÆpenumero exhibetur hoc Unguentum, pro specimine Operis, Pharmacopœis, qui in Magistros procedere volunt: quoniam arduum est opus, illud in congruam formam reducere, ut non augeant Ceram aut Resinam, ad tantam Olei quantitatem requisitam. Ut ad hoc perveniatur, Infundi debet Bdellium, si molle sit & recens (sin minùs, pulverizandum est sicut Myrrha, Thus, Aristolochia longa & Litharyrus) cum Galbano, Ammoniaco & Opopanace in Aceto circiter semidiem, super calidos cineres, augendo eorum dosim sexta parte, ratione sordium, quæ in illis sunt, ac tum fervefiant. Cum jam probè liquata fuerint, colentur per pannum, vel cribrum pollinarium: dein coquantur ad consistentiam seu crassitudinem mellis. Illis adhuc calentibus, adjiciatur Terebinthina. Mox Lithagyros in tenuem pulverem redacta, nutriatur parumper ad ignem modicum in parte una Olei requisiti, acsi quis voluerit

concinnare

concinnare Emplastrum Diachylon: dein paulatim adjiciatur quod supereſt: post Cera & Resina crassiuscule contrita. Lebete jam ab igne sublato, adjungentur Gummia priùs commista; Paulò post, Pulveres, sicut Aristolochia, Myrrha, & postremò Thus & viride Æris, quod augendum non est, ad virorem acquirendum: auctius enim si foret, acrimonia sua dolorem & inflammationem in ulceribus excitaret, sicut eruditè *Galenus, tertio Methodi suæ* nobis in scripto reliquit. Cum refrixerit usui recondetur. En vobis, qua ratione, ut mihi videtur componi debeat hoc unguentum, non adjiciendo quicquam dosibus. Si quis aliam sciat meliorem methodum & faciliorem, proferat, erudiendæ juventutis *Gallicæ* gratia. Qui hoc in officinis unguentum habuerint, unguentum *Cerasios* prætermittere possint.

Unguentum Ægyptiacum. D. M.

℞. *Mellis communis, unciæ quatuordecim.* *Aceti fortis, unciæ septem.*
Æruginis æris, unc. quinque.
Coquantur igni lento ad justam crassitudinem, & reponantur usui.

Paraphrasis.

HOc Unguentum ita appellatur, quod Medici *Ægyptii* fuerunt illius Inventores; vel, ut quidam arbitrantur, ob fuscum lividumque colorem, qualis est *Ægyptiorum. Mesue* adjicit cognomen *Magnum* ob ingentes suas virtutes. Nonnulli Thus adjiciunt, Alii Alumen; quod Pharmacopœus non facere debet, nisi ex præcepto docti Medici aut Chirurgi justa de causa ad id adducti. Mel crudum esse oportet non despumatum, ut plus detergeat & desiccet; quod hic locum tenet Olei & Ceræ, ad formam inducendam. Vis ejus desiccans intenditur aceto & ærugine. Hujus autem acrimonia coctione corrigitur, colórque viridis in subrubrum aut fuscum & lividum inclinans minus suspectus est ægris, quam viridis. Vulgus decipitur, quod cum penicilli sive linamenta quæ hoc unguento imbuuntur & in ulcera induntur, à vespere in auroram, vel ab aurora in vesperam, cum extracti reperiuntur virides: putantque hoc à sanie purulenta provenire: quo nihil minus est, sed ab ærugine quæ incoquitur.

De Mixtura sive Componendi ratione.

ACeto & Melli cum parum bullierint adjiciatur Ærugo pulverizata: ut omnia simul decoquantur, ad ipsius consumptionem, & unguentum medium teneat inter molle & durum, ut promptius penecillos sive linamenta illa integant. Cum refrixerit, usui reponendum est.

Unguentum Inulatum. D. N. Præpositi.

℞. *Radicis Inulæ Campanæ, in Aceto coctæ, tusæ & cretæ, lib. unam.*
Axungiæ porci veteris & salsæ,
Olei communis & veteris, utriusque unciæ tres.
Hydrargyri, id est, Argenti vivi, & Terebinthinæ claræ, utriusque unciæ duas.
Ceræ novæ, unciam unam.
Salis communis, unciam dimidiam.
Fiat Unguentum.

Paraphrasis.

VIdetur, quod hæc descriptio desumpta fuit, è tribus postremis Capitibus, *Sectionis tertiæ Antidotarii Myrepsi.* Verùm à quonam conjicere nequeo, nisi fuerit à *Præposito*, è quo ego id transcripsi. Basis hujus unguenti est radix Inulæ Campanæ seu Helenii, unde & nomen accepit. Quidam illius usum reformidant, ob Argentum vivum quod illud ingreditur. Quod facere non debent, cum non sit adeò periculosum ut plures Docti opinati sunt, sed utile herpetibus, sive impetiginibus & Scabiei. *Error redargutus.*

Præpositus

Præpositus duas tantummodo uncias Axungiæ, & non tres imponit, quantum scilicet Olei, cum *Fernelio* & *Jouberto*, ad corpus addendum quantitati radicum.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimum radices oportet lavare, conterere & decoquere in sufficienti Aceti quantitate, adjiciendo plusculum aquæ ad moderandum ejus acrimoniam: dein contundere pistillo ligneo in lapideo mortario seu marmoreo, & spatula per setaceum cribrum inversum trajicere. Postea diu agitabitur in mortario Argentum vivum cum axungia suilla veteri & salsa, adeò ut non ejusdem quicquam appareat. Tum adjicietur Terebinthina & Sal in pulverem reductum, unà cum ungento facto ex Oleo & Cera simul liquatis. Denique Enula Campana præparata (ut dictum est) & sic incorporata, usui recondetur.

Unguentum Agrippæ. D. N. Salernitæ.

℞. *Radicum Bryoniæ, lib. duas.*
Cucumeris Asinini, lib. unam.
Scillæ, lib. semiss.
Ireos, uncias tres.
Filicis,
Ebuli, &
Tribulorum aquaticorum, sing. uncias duas.

Radices hæ recentes sint: ter quaterque laventur & contundantur in mortario, & macerentur triduo, in olei veteris non rancidæ, lib. quatuor. Deinde parum fervefiant: & in expresso oleo, liquefac Ceræ citrinæ potius quam albæ uncias quindecim, in unguenti crassitudinem, quod usui reponatur.

Paraphrasis.

AUthor hujus Unguenti est *Agrippa* Rex *Judææ*, summus amicus Imperatoris *Caii Cæsaris* cognominati *Caligula*, Authore *Josepho*, qui ob multa experimenta facta virtutis ejus noluit communicare illud discipulis suis, *Salernitanus* transcripsit è *Myrepso. Sectionis* 3. *cap.* 43. immutando solum radices Malvarum albarum, pro illis Cucumeris asinini sive sylvestris: quoniam meo judicio convenit magis Hydropi (cui à *Myrepso* accommodatur) quam Malvæ albæ. Qui procul à mari habitant in locis mediterraneis nec parare possunt Scillas veras, sumant Pancratium satis vulgare, vel etiam Cæparum acriorum, duplum: & loco Tribuli marini, accipiant eum, qui crescit in stagnis & rivis, cujus fructus coctus palato admodum sapit: Cui verò neutrius parandi copia est, sumat radices Eryngii.

De Mistura sive Componendi ratione.

ACcipite radices vestras recentes & non siccas, quas contundetis in mortario, & macerabitis triduo, vel septimana in Oleo, ut plus facultatis habeant. Deinde mediocriter coquantur (longior enim decoctio earum vires dissipat) postea exprimantur, & in Oleo colato liquetur Cera nova, ob causas in principio hujus Sectionis expressas; cum refrixerint, recondentur. Experimento comperi, post *Fernelium*, hasce radices fortiter contusas & cum veteri oleo sine coctione subactas, & ventri ægrorum applicatas, majoris esse efficaciæ, quam unguentum: quia scilicet earum virtus valde diminuitur coctione.

Unguentum Aregon. D. N. Salern.

℞. *Utriusque Conyzæ seu Pulicariæ, Majoris, scilicet, & Minoris, &*
Laureolæ singul. unc. novem.
Nepetæ seu Calaminthæ montanæ, &
Poliorum Sicydis, seu Cucumeris agrestis, utriusque uncias sex.
Radicis Sicydis, seu Cucumeris agrestis, &
Iri, vulgò Jari (vel Iridis cum Myrepso,)

Rorismarini,

Rorismarini,
Majoranæ,
Serpilli, &
Rutæ, singul. uncias quatuor & semissem.
Foliorum Lauri,
Sabinæ, &
Salviæ,
Radicum Bryoniæ, singul. uncias tres.
Pyrethri,
Euphorbii,
Zinziberis, &
Piperis singul. unciam unam.
Mastiches, &
Thuris, utriusque drach. sex, (cum *Mirepso*, nam *Salern.* habet drach. 7.)
Oleorum Muscelini, seu Moschatæ, unciæ semissem.
Petrolei unciam unam.
Olei Laurini, &
Adipis Ursini, utriusque uncias tres.
Butyri, uncias quatuor.
Ceræ flavæ, uncias quindecim.
Olei communis, lib. quinque.

Sic para Unguentum.

Radices & Herbæ Majo *mense collectæ & purgatæ, cum recentes sunt, contundantur & macerentur in Oleo communi diebus septem, cum Aqua vitæ, vel Vini optimi lib. una. Octavo die coquantur, donec tabescant, & absumpta fere sit humiditas: Deinde in percolato Oleo liquefacta Cera; Tum adde Butyrum, Adipem, Oleum Laurinum, Moschatum, Petroleum, Pulveresque, & repone usui.*

Paraphrasis.

HOc Unguentum accepit nomen ab effectu suo: *Aregon* enim significat *Auxiliare*, id est, si interpreteris, opem ferens, auxilium & solatium præbens. *Salernitanus* id à *Myrepso* mutuatus est, in *Sectionis tertiæ, cap.* 58. addendo radices Bryoniæ, folia Cucumeris agrestis, & duas species Conyzæ: & supponendo radices Arî & Cucumeris sylvestris, pro illis Iridis & Althææ, eandem rem esse, ego comperi superfluam esse dosim Pulicariæ, cujus, ut mihi videtur (cum *Cordo* & *Fernelio*) tres unciæ sufficerent, sicut aliarum herbarum, Laureolæ, &c. & non novem.

De Mixtura sive Componendi ratione.

MIxtura traditur ab Authore ipso, videlicet, ut colligantur Mense *Majo* radices & herbæ, eæque repurgandæ & in mortario contundendæ: deinde septem diebus, cum aqua ardente, vel vino bono, & oleo communi vetere, in fictili olla vernice polita, super cineres calidos infundendæ. Octavo die, coquendæ ad humiditatis consumptionem, pòst exprimendæ torculari, intra sacculum panni linei, novi & in oleo cera liquanda: Deinde addendum Butyrum & Adeps Ursinus, cum Oleis & Petroleo: Postremò, Pulveres Pyrethri, Zinziberis, Piperis, Euphorbii, Mastiches & Thuris, lebete jam ab igne subducto cum tepuerint, ut totum usui recondatur.

Unguentum Martiatum Magnum. D. N. Myrepsi.

℞. *Olei communis antiqui, lib. quatuor.*
Ceræ Citrinæ & non albæ, lib. unam.
Cymarum Rorismarini florentium.
Foliorum Lauri, &
Rutæ, singul. uncias quatuor.
Amarici, potiùs quam Tamaricis, *uncias tres.*
Esbrii seu Ebuli,
Sabinæ,
Balsamitæ, i. Menthæ aquaticæ,
Elelisphaci, i. Salviæ,
Ocymi, i. Basiliconis,
Polii montani,
Calaminthes,
Artemisiæ,
Enulæ Campanæ,
Betonicæ,
Branchæ Ursinæ,
Spargulæ, seu Aparines Græcorum,
Herbæ venti, seu Anemones sylvestris,
Pimpinellæ,
Agrimonii, seu Eupatorii Græcorum,
Absinthii Pontici, *seu* Romani, *seu vulgaris. Idem.*
Herbæ Paralyseos, vulgò Primulæ veris,
Herbæ Sanctæ Mariæ, *seu Costi hortensis nostratis,*
Cymarum Sambuci,

Crassulæ seu Sempervivi minoris, vel Vermicularis,
Sempervivi majoris, seu Sedi vel Aizoi. [*Idem.*]
Millefolii,
Chamædryos,
Quinque nerviæ, seu Plantaginis minoris (hujus non meminit *Salernitanus*)
Centaurii min.
Frigariæ, &
Pentaphylli, sing. uncias duas & drach. duas.
Tetrahit, seu Herbæ Judaicæ (cum *Salernitano*, quoniam non habet *Myrepsius*)
Radicis Althææ,
Cymini, &
Myrrhæ, singul. unciam unam & dimid. *Salernitanus* legit Myrthæ, facilis fuit Typographi lapsus, t. pro r. reponentis.
Fœnugræci, &
Butyri, utriusque drach. sex.
Seminum Urticæ,
Violarum, &
Papaveris albi potius quam nigri cum *Salernit.*
Mentæ Sativæ,
Rubiæ Tinctorum (hujus non meminit *Salern.*)
Mentastri seu Mentæ sylvestris, vel Mentæ Sarracenicæ, [*Idem*]
Lapathi acuti,
Polytrichi,
Cardiobotani, id est, Carduncli, seu Cardui Benedicti,
Matrisylvæ, seu Periclymeni, vulgò Caprifolii,
Herbæ Moschatæ (*i.* Prima Geranii species)
Florum Chamæmeli (hujus vice, *Salernitanus* & ejus Sequaces, habent Maturellam, seu Solanum,)
Trifolii acetati, (quod Allelyiam nuncupant Pharmacopœi nostri)
Scolopendrii vel Linguæ Cervinæ, cum *Salernitano* [ambo sunt ejusdem facultatis]
Crispulæ, i. Buphthalmi, seu Cotulæ non Fœtidæ,
Herbæ Camphoratæ, i. Abrotoni maris,
Styracis Calamites,
Thuris,
Medullæ Cervi, singul. drachmas duas.
Axungiæ Ursinæ,
Gallinæ, &
Anseris (hanc prætermisit *Salernitanus*)
Mastiches, singul. unciam dimidiam.
Olei Nardini, unciam unam, ita legendum potius, quam drach. unam.

Herbæ & Radices in Majo mense collectæ recentes, & mundatæ, terantur & septem diebus in vino optimo macerentur. Octavo verò die coquantur ad medias. Ac tum Oleum commune affundatur, rursumq; coquatur, dum herbæ contabescant, ac vinum prorsus absumptum sit. Deinde colentur & exprimantur. Oleo liquetur Cera; deinde injice Butyrum, Medullam, Axungias & Oleum Nardinum. Denique extra ignem, Pulveres Thuris, Mastiches & Styracis. Concretum Unguentum servetur usui.

Paraphrasis.

Salernitanus hoc Unguentum transcripsit è *Nicolao Myrepso Alexandrino, in Sect. 3. cap. 46.* qui per totum illud, duplicat dosim Ingredientium, & ait inventum esse & compositum à perdocto quodam Medico, nomine *Martiano*, à quo etiam nomen assumpsit: ita ut nominari debuit *Martianum* & non *Martiatum*. Cognominatur autem *Magnum*, cum ob eximias ejus virtutes, tum ob magnum numerum ingredientium quæ recipit: utque poneret differentiam ejus ab aliis simili nomine, minus compositis: loco Tamaricis secundum *Joubertum* substitui Sampsuchum, quod virtus ejus potius ei conveniat quod inscriptio promittit: quin etiam quod ubique reperiri possit Sampsuchum recens, non autem Tamarix. Præterea, recuxi Oleum Nardinum ad unciam unam, quia una drachma & quindecim grana in Unguento tantæ quantitatis, nihil aut perparum valet.

De Mixtura sive Componendi ratione.

IN mense *Majo* colligere oportet radices, herbas & semina: dein mandare, contundere & macerare (in fictili vase vernice polito) cum vino bono, per septem dies,

dies, super cineres calidos. Octavo ea coquere: ad consumptionem fere medietatis vini. Dein adjicere Oleum commune, ut simul bulliant ad totius vini absumptionem. Post exprimi debent torculari, in sacculo lineo: Postea, reddito igni oleo, cera liquanda est, deinde addendæ Axungiæ, Butyrum & Oleum Nardinum: postremò jam tepidis addetur styrax pulverizata, cum aliquot vini guttulis: similiter Mastiche & Thus absque humiditate. Interim agitandum, & movendum jugiter est unguentum in lebete seu Authepsa cum pistillo ligneo, dum prorsus frigidum sit, ne in grumos concrescat; ac tum recondendum.

Unguentum Neapolitanum. D. B. Bauderoni.

℞. Axungiæ Suillæ veteris, lib. unam.
Argenti vivi, lib. semiss.
Terebinthinæ aqua vitæ lotæ, uncias tres.
Ceræ flavæ, uncias duas.
Oleorum. Laurini,
Rutacei,
Petrolei,
Lumbricorum,
Chamæmeli & de Spica nostrate, singul. unciam unam & semissem.
Styracis liquidæ, drach. sex.
Euphorbii subtilissimè triti, unc. dimidiam.

Fiat Unguentum quod usui reponatur: si adsint ulcera: utendi tempore, adde
Lithargyri aureæ, unc. duas.
Cinabrii, unciam unam & semissem.
Cerussæ & Minii, utriusque unc. unam.
Mithridatii veteris, &
Theriacæ, utriusque unciam dimidiam: & utere.

Paraphrasis.

NOmen huic Unguento inditum est ab effectu suo: quoniam apprimè valet in medendo morbo, qui à nostris *Gallis*, nuncupatur *Neapolitanus*. Basis est Argentum vivum quod contra malum hujusmodi validè pugnat forma magis essentiali quam manifesta qualitate sua. Axungia porci & Oleum Chamæmelinum ingrediuntur, tam ad remolliendum & relaxandum quam ad facilius resolvendum Argentum vivum. Cætera Olea ad rarefaciendum poros cutis, ad digerendum humorem illum Syphilicum, & attrahendum à centro interiore corporis ad circumferentiam sive ambitum per sudores. Oleum Lumbricorum & Terebinthina (accedente sibi ope quam ex lotione in aqua ardente accepit plurimum nervos fortificant) Styrax liquida imponitur remolliendis tophis, & Tumoribus, qui sæpè miseros Syphilide laborantes comitantur. Euphorbium pro vehiculo est Basi: & Cera corpus unguento addit, sine qua mollius justo esset. Mithridatium & Theriaca accedunt ad corrigendam virulentiam humoris Syphilici. Lithargyrus, Cinabrium, Cerussa & Minium conferunt ad desiccanda, si quæ sunt ulcera. Alioqui non conveniunt, quoniam poros cutis obstruunt, & eruptionem sudorum impediunt siccitate sua, quod multi parum respicientes ægros lædunt, suoque honori non consulunt. Quam ob rem Pharmacopœis suadeo, ut servent in officinis suis hoc Unguentum, sine ullo desiccativo, nisi tum adjiciatur cum usus postulat, sive sit gummi sive aliud tale medicamentum, idque ex consilio docti & experti Medici sive Chirurgi, ratione habita temperamenti ipsius ægri, temporis etiam anni, ætatis, sexus, partiumque magis affectarum; mali denique ipsius sive recens sit, sive inveteratum.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimo in loco subtiliter pulverizari oportet Euphorbium, adhibitis aliquot Olei guttulis: Lithargyrum, Cinabrium, & Cerussam, singula seorsim. Una parte Axungiæ restringui oportet Argentum vivum in mortario æneo: reliqua pars cum Oleis & Cera minutim concisa liquari debet super cineres calidos: tum extra ignem tepentibus adjicietur Terebinthina, deinde Euphorbium, Styrax liquida, Mithridatium & Theriaca. Omnibus hunc in modum commistis, paulatim adjicientur in mortario, cum Argento vivo restincto, ut tota massa recondatur usui. Reliqui pulveres

simili ratione adjungi debent, si æger ulceribus plenus sit, ob causas supradictas, alioqui non. Qui ad requirendum huic unguento corpus loco Ceræ volunt injicere Ovorum induratorum vitellos, per me hoc faciant, dummodò in mortario probè agitentur, quod si non fiat, unguentum erit grumosum, & minimè speciosum.

Unguentum Citreum. D. N. Myrepsi.

℞. *Caphuræ* è China allatæ, *drach. unam.*
Marmoris albi, &
Boracis, utriusque drach. duas.
Amianti (hujus penuriâ, sume tantundem Aluminis plumæ)
Umbilici marini, seu Belliculi & Bellerici, [*Idem*]
Tragacanthi albi,
Amyli,
Crystalli,
Antali,
Dentali,
Thuris albi, &
Nitri, sing. drach. tres.
Coralli albi, unc. dimidium.
Gersæ, seu Cerussæ ex Dracontio minore, *unciam unam.*
Cerussæ ex Venetia, *unciæ semissem.*

Horum fiat Pulvis.

℞. *Adipis Suilli salis experti ac recentis lib. unam & semissem.*
Sebi Caprini, unciam unam & semissem.
Adipis Gallinacii, unciam unam.

Adipes in duplici vase liquentur: In iis macerentur & leniter coquantur, Citrea mala duo, minutim concisa. Dende Adipes colentur, & in hiis omnia curiosè trita injiciantur & radicula subigantur. Novissimè Borax & Caphura tenuissimè trita inspergantur. Coctum sic Unguentum & concretum repone. Satius fuerit pulverem habere in officina, & utendi tempore præparare, ut docui. Nam tempore rancescit, & candorem amittit.

Paraphrasis.

Salernitanus non differt à *Myrepso*, nisi in dosi Amianti, imponens unciam unam pro tribus drachmis. Per hanc descriptionem, sicut in multis aliis, *Myrepsum Sect. 3. cap. 42.* demonstrat plane se parum calluisse linguam Latinam, & non admodum versatum *fuisse in* cognitione medicamentorum: suaque Antidota tam ex Authoribus *Græcis* & *Latinis* quam *Barbaris* præcedentibus, admittendo eorum appellationes, sicut Amiantum, Antali & Dentali, transcripsisse.

Pro Amianto sumendum est, *Alumen de plume*, dummodo verum comparari possit ex Insula *Euboea*, hodiè *Nigreponto*, & sciri possit quid sit verum. Pro Antali & Dentali quæ non sunt lapides, sed conchulæ quæ reperiuntur in littore maris, qui ea nesciunt, & procul vivunt, nec parare possunt, capiant æquale pondus Porcellanarum quæ satis cognitæ sunt & vili venduntur: vel Narrarum, sive testarum aliorum Conchylium, quæ simili virtute sunt præditæ. Dentali simile quid est Porcellanæ, nisi quod in acutum magis punctum desinit, formâ dentis Canini, unde nomen cepit, & durioris cujusdam est substantiæ. Antali Purpuram *Dioscoridis* referre videtur, quia concavum quid est & profundum & diruptum venulas quasdam ostendit, easdemq; directas in punctum desinentes, & temperaturæ frigidæ & siccæ. Gersa, vocabulum est, depravatum de Cerussa, & fit ex Radicibus Dracontii minoris, sive Serpentariæ *Dioscoridis*: sicut *Platearius* docet in *Commentario* quem composuit in *Antidotarium Salernitani*, & post eum *Cordus* & *Fuchsius* in suis *Dispensatoriis*. Qui non possunt tales radices comparare; sumant illas Ari sive Jari satis frequentes & obvias, omnibusque cognitas, & ejusdem quasi virtutis, cujus Serpentaria sive Dracontium minus Bellericum quod Umbilicum formâ referat, appellatur Umbilicus marinus, cujus reperitur copia, *Marsiliæ*, *Lugduni*, & alibi.

Dentali quid.

Antali quid.

Gersa quid est.

Bellericum quid est.

De Borace.

Pharmacopœi nostri, & hic & aliàs, utuntur Borace qua Aurifices aurum ferruminant sive consolidant, multum à nativo differente & artificiale à *Dioscoride* descripta *lib. 2. cap. 74.* differente de urina: & *lib. 5. cap. 64.* & post eum à *Galeno*, *lib. 9. Simplicium.* Quod ad Caphuram, qui ejus historiam scire volunt, legant *Avicennam*, *Serapionem*,

pionem, Garciam de Horto, & *Matthiolum in Dioscoridem,* è quibus discant quod scire oportet: hæc autem ponitur pro vehiculo aliorum. Hoc unguentum nomen sumpsit à Citreis quæ ingrediuntur: nec appellandum est Citrinum (non enim est Citrinum sed Citreum.)

Hic Adipes supplent defectum Oleorum & Ceræ, quæ cum pulvere misceri debent, cum quis uti voluerit, & non citius: Unguentum enim rancesceret & amitteret paulò post colorem candidum, nec adeo speciosum aut gratum illitum faciei delicatiorũ.

In hunc finem sufficiet pulverem jam factum in promptu habere, & singulis ejusdem drachmis immiscere Adipis unciam ad minimum: nam qui plus indiderit, unguentum eo plus vigoris habebit.

Quidam ne tantum operæ impendant, pulverem incorporant quadruplo Pomati adjicientes parum Succi Citreorum, idque fœlici satis cum successu.

De Mixtura sive Componendi ratione.

SImul pulverare subtiliter possis, Marmor, Corallum album, Crystallum & Conchas sive testas in mortario marmoreo, pistillo cum ferreo. Seorsim verò, Amylum, Tragacanthum candidum, clarum & nitidum (antequam ponderentur decidui causâ) Thus, Boracem, Caphuram & Amiantum vel succedaneum ejus, *Alumen de plumæ,* [sive Scissile.]

Cerussa friatur seu teritur super incerniculum vel cribum aut Tamisium inversum, charta pura suppositâ. Gersa æquè in pulverem redigitur per se. Dein omnes hii pulveres miscentur in mortario, & usui servantur. Si hoc agatur ut præparetur Unguentum, eligantur Adipes, ut par est, recentes super modicum ignem liquatæ, & in illis macerentur per unam totam noctem duo Citrea mala in minutas particulas concisa, tam Cortices, quam pulpa & succus: & sequenti die in fictili olla probè vernice polita, in qua macerata fuerunt, coquentur & colata in fictili etiam vase similiter polito, vel patina terrea profunda stannea, non ænea sive lebete: quoniam Æs seu Cuprum, facile colorem candidum mutaret. Deinde spatula lignea, movendo blandè, pulveres miscebuntur, Borax & Caphura sub finem. Ac sic quidem tale unguentum usui servetur. Antequam utaris hoc ungento lavanda facies est decoctione aliqua detergente: dein hoc unguento inungenda & operienda linteo candido: ita continenter agendo singulis vesperis dum maculæ deletæ prorsus fuerint.

Unguentum de Arthanita majus. D. M.

℞. *Succi Cyclamini seu Arthanitæ, lib. tres.*
Olei Irini, lib. duas.
Succi Cucumeris Asinini, &
Butyri Vaccini, utriusque lib. unam.
Polypodii, lib. dimid. seu uncias sex.
Pulpæ Colocynthidis, uncias quatuor.
Euphorbii, unciæ semissem.

Sicca hæc tria, tere & macera dies octo, Succis Oleo & Butyro in vase vitreo angusti oris bene obturato. Post, semel fervefac. Cola. Deinde adde sequentia duo, Aceto dissoluta

Sagapeni, aureos quinque, seu scrupul. viginti.
Myrrhæ, aureos duos, seu scrupulos octo.

Bulliant simul agitando cum fuste, ad Succorum fere consumptionem. Tunc projice super ea,

Ceræ flavæ, uncias quinque.
Fellis taurini, aureos 5, seu scrupulos 20.

Tandem liquata Cerâ adde sequentem pulverem

Scammonii,
Aloës,
Mezereon seu Cocci Gnidii, vel Sem. Thymelææ: [Idem]
Colocynthidis, &
Turbith, singul. aureos quinque, seu scrup. viginti.
Salis Gemmei, aureos tres, seu unciam dimidiam.
Euphorbii,
Piperis longi,
Zinziberis,
Chamæmeli, singul. aureos duos, seu scrupulos octo.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

Mesue describit hoc Unguentum, *Lib. De medicamentis purgativis, cap. de Arthanita*, sicut etiam in suo *Grabadino*, addendo ultrà, Canellæ duos aureos & unciæ semiss. in decoctione, quod mihi non arridet. Attribuit ille *Alexandro*, si hic est *Myrepsus*, cognominatus *Alexandrinus*, vel alius simili nomine pro certo non possum affirmare, cum non invenerim in ulla Sectionum dicti *Myrepsi*, quod me arbitrari facit alium quendam esse, cujus opera non ad nos usque pervenerunt, vel nostra exemplaria minus esse completa, quam quæ *Mesue* habet.

Unguento huic nomen est à Basi sua, radice Arthanitæ *Arabum, Græcis* & *Latinis* nominatæ Cyclaminus, & vulgò Cyclamen vel Panis Porcinus. Purgans ejus vis augetur per Succum Cucumeris Asinini, Colocynthidem, Scammonium, & fructum Thymelææ. Quorum in operando celeritas reprimitur per Polypodium, Turbith & Aloen: noxia vis corrigitur per Sagapenum, Myrrham & Salem Gemmeum. Oleum, Butyrum & Cera domant eorum acrimoniam, & præstant corpus unguento. Fel & Euphorbium, tam in decoctione quam in pulvere, sunt pro vehiculo. Adeò ut usus illius non est formidandus aut rejiciendus, ut quidam apertè docent; cum sit remedium exterius, & ita bene proportionatum & dispensatum ut est. Adde quod docti sciant hoc pro auxilio uti, præmissis universalibus, & ratione habita ætatum, sexuum, anni temporum, & ægrotum temperamentorum, non imperiti isti Ardeliones.

De Mixtura sive Componendi ratione.

CUriosè contundere oportet Polypodium & Euphorbium, & minutissimè concidere Colocynthidem: dein simul macerare ea cum Succis, Oleo & Butyro in olla fictili polita & anguSti oris, super cineres calidos, circiter dies octo. Durante hoc tempore, seorsim humectandum est Sagapenum cum Myrrha in Aceto, & pulvis sequenti modo factus.

Simul pulveranda sunt Turbith, Zinziber & Colocynthis minutim concisa, Chamæmelum, Mezereon & Piper longum. Singula seorsim, Scammonium, Aloe, Euphorbium, Sal Gemmeus. Pòst, omnia simul miscenda.

Nono die in eadem olla, quicquid *intus est, bis aut ter fervefiet: Deinde exprimetur*: Post colaturæ adjicientur, Sagapenum & Myrrha infusa prius seorsim in Aceto, ut omnia simul coquantur ad totius fere consumptionem, tam Succi quam Aceti, continenter agitando baculo ligneo: Pòst, injicietur Cera recens concisa, eademque liquata: & lebete jam ab igne sublato addetur fel & paulatim pulveres. Cum refrixerit, totum recondetur.

Cognomen hoc [Majus] ponitur ad differentiam alterius consimili nomine, minoris autem in virtute, numero medicamentorum, & artificio.

Unguentum Splenicum. D. B. Bauderoni.

℞. *Gummi Elemi, &*
Succi Nicotianæ majoris, ana unciam unam.
Olei Hyperici vel Sambuci, unc. semiss.
Resinæ,
Gummi Ammoniaci Aceto Capparum soluti & cocti: &
Cera flavæ, ana drachmas duas.
Liquatis, extra ignem, injice
Pulveris Aristolochiæ rotundæ & longæ,
Cyclaminis (Panis Porcini vulgò) ana drach. unam.
Fiat Unguentum, usui repone.

Paraphrasis.

AUthor hujus Unguenti appositè cognomen ei indidit partis affectæ cui aptè accommodatur quasi proprium ipsi. Inveni illud inter chartas & Adversaria Patris

tris mei in Tractatu quodam quem ille composuit, De Affectibus Splenis: & arbitror illius fuisse Inventum & Experimentum: Saltem, non illud alibi videre potui. Penitius autem examinando, novi meruisse illud locum in ordine Paraphrasis suæ, in deoppillando & remolliendo duritiem lienis. Basis est Gummi dictum Elemi, cujus virtus remolliens augetur per Gummi Ammoniacum, quod idem valet, ac *Ammone* profectum (quod Templum quoddam est in *Libya*, ubi *Jupiter* in forma Arietis adoratus fuit) & ubi magna in copia provenit. Pulveres Cyclaminis & Aristolochiæ utriusque imponuntur tam ad excalfaciendum, incidendum & attenuandum materias crassas obstructionum causas, & duritiem, ope præsertim tam Succi Nicotianæ sive Peti qui excalfacit, abstergit & discutit, quam Olei Hyperici, quod calore suo fundit, liquat & dissolvit humores induratos & spissos: sicut etiam per tenuitatem partium, cum Aceto Capparum, incidit, attenuat & penetrare facit: simúlque cohibet exhalationem aliorum ab humiditate oleaginosa sua provenientem. Resina ingreditur, partim ad remolliendum, calefaciendum & digerendum cum aliis: partim etiam ut unà cum Cera flava formam toti compositioni præberet.

De Mistura sive Componendi ratione.

Liquare oportet Gummi Elemi, cum Succo Nicotianæ majoris (sive Tobacci & Peti.) Et Gummi Ammoniacum, cum Aceto in quo Cappares macerantur.) Deinde cum Oleo Hyperici, liquari debent Resina & Cera, adjiciendo Gummia soluta & cocta. Tandem extra ignem adjiciendi pulveres, ut totum usui reponatur. Ex hoc Unguento fieri potest Emplastrum, adjiciendo parum Terebinthinæ, diminuendo dosim Olei, & augendo illam Ceræ & Resinæ.

Multa Unguenta omitto alia, quæ fuerunt quidem, sed non amplius jam sunt in usu, vel quod eorum facultas parum differat à præcedentibus, & facile prætermitti possint. Sufficit mihi descripsisse præcipua; & docuisse novitium Pharmacopœum, parum etiamnum in methodicè operando exercitatum. Dicamus nunc de Ceratis.

Tractatus de Ceratis in genere.

Ceratum *Græcis* dicitur Κηρώτη & Κηρέλαιον, quod ex æqua portione Olei & Ceræ faciebant. Post, sicut etiam hodiè, adjecta fuerunt Colophonia, Resina, Terebinthina, Gummia, Medullæ, Adipes, Lachrymæ, Succi, Pulveres, &c. Secundum variam illius intentionem qui id præcipit: Quam ob rem dosis Ceræ relinquenda est judicio experti Apothecarii. Nam si ingrediantur Terebinthina, Adipes & Gummia: Si sit æstas, & Cera recens & pinguis, minus Olei requiritur; adhuc minus si pulveres ingrediantur & hyems si fuerit, Cerâque vetus, ut Cerotum sit competentis & justæ consistentiæ.

Quidam limitarunt dosim pulveris ad unam drachmam & dimidiam, pro singulis Olei unciis: & dimidio minus Ceræ quam Olei: & ad Emplastra, æquam portionem: Quod non est perpetuum: sed augetur & minuitur secundum virtutem quæ prætenditur.

Hoc remedii genus medium locum tenere debet, inter Unguentum & Emplastrum: verbi gratiâ, non tam molle quam illud, nec æque durum ac hoc. Atque ideò quia calore non adeo cito liquatur ac Unguentum, parti affectæ admotum; & ne impediat expirationem & exhalationem, obstruendo & comprimendo cutim, & musculos respirationi servientes, & difflationem materiæ ibidem contentæ; quod faceret, si æque durum esset ac Emplastrum.

Tractatus

Tractatus de Ceratis in ſpecie.

Ceratum album Refrigerans. D. Galeni.

℞. *Ceræ albæ lotæ, & non flavæ, unciam unam.*
Olei Roſati Omphacini, uncias tres, aut quatuor.

Liquentur ſimul in vaſe duplici: refrigerato effunde paulatim in mortario, aquæ frigidiſſimæ, quantum abſorbere poterit, ſubigendo & percutiendo. Poſtremò adde Aceti clari & tenuis parum, utpote ʒß. aut circiter.

Non debet hoc Ceratum eouſque ſuper partem affectam manere, dum manifeſtè incaleat, ſed ſubinde aſſidue mutari. Hæc Galen.

Paraphraſis.

HOc Ceratum ſive Unguentum deſcribitur à *Galeno, lib. 1. Simplic. cap. 6.* & *lib. 10. Methodi*: Quod quia ſimplex eſt & parum differt à natura Unguentorũ, poſuimus immediatè poſt ea, & in principio Ceratorum. Nomen habet à colore ſuo, & cognomen à qualitate refrigerante. Qui cupiunt frigidius, loco aquæ frigidæ, lavent illud cum Succis Plantaginis, Solani, Lactucæ, Portulacæ, &c. Et ſi, magis adhuc frigidum, adjiciant Opium. Quod tamen facere non oportet Pharmacopœum, inſciente docto & experto Medico, & niſi diſertè præcipiat.

Præſtat, ut fiat ipſo tempore neceſſitatis, quam ut ſervetur factum in officinis, quoniam tempore virtus refrigerans hîc quæſita, amittitur.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

LIquanda eſt Cera alba in Oleo Roſato Omphacino ſuper aquam calidam, aut calentes cineres: deinde in mortarium injice: & cum refrixerint, agita ea & ſubinde cum aqua frigida lava: & ſub finem adde parum Aceti Roſati.

Uſus ejus ſecundum *Galenum* eſt, illud inducere linteis candidis & ſuper partem nimis calefactam applicare, ſæpius renovando, & non eouſque dum incaleat expectando, ſed in hoc perſiſtendo, dum inflammatio miteſcat: ac tum deſiſtere oportet, ne forte unà cum inflammatione, extinguatur nativus calor partis, ægrorum damno, & applicantium dedecori.

Ceratum Santalinum. D. M.

℞. *Olei Roſati loti (ut ſit præſtantius) lib. unam.*
Ceræ albæ, drachmas triginta.
Pulv. Roſarum rubrarum, drach. duodecim.
Santali rubri, drach. decem.
Santali albi, &
Citrini, utriuſque drach. ſex.
Boli Armenæ, drach. ſeptem.
Spodii, unciæ ſemiſſem.
Caphuræ, drach. duas.

Fiat Ceratum.

Paraphraſis.

HOc Ceratum nomen à Baſi ſua ſumpſit, Tribus Santalis. Oleum & Cera induntur ad corpus addendum: & Caphura pro vehiculo Baſis. Alia imponuntur ad augendam virtutem refrigerantem, & corroborandum viſcera.

De

De Mixtura sive Componendi ratione.

SImul in pulverem redigenda sunt Santala cum aliquot guttulis aquæ Rosarum: & sub finem adjiciendo Rosas. Singula seorsim pulveranda sunt, Bolus, Spodium & Caphura: post, commiscenda cum Santalis & Rosis. Deinde liquari curabis Ceram albam cum Oleo, super aquam calidam, sive calentes cineres: Tum sublatis ab igne, & tepefactis, paulatim adjicies pulveres, ut omnia in olla sua probè obturata, usui recondantur.

Si Oleum Rosatum non sit Omphacinum, vel recens, sed vetus, sæpius per vices lavetur cum aqua tepida, & in eadem semota, liquetur Cera ut dictum est. Quod si Cera non sit alba, sed Citrina, quam avari Pharmacopœi illi præferunt, quod non adeo cara sit, & unguentum sit rubrum, ut tegatur ille color, aut saltem ut lavent sæpius cum aqua tepida, & deinde frigida: ut hac ratione ægri & Medici non frustrentur fructu quem prætendunt. Num Cera alba tam in Unguentis quam Ceratis infrigidantibus, melior est quam flava: è contra in calidis, flava conducit magis quàm alba.

Ceratum Stomachicum. D. M.

℞. *Olei Rosati Completi, lib. unam & semissem.*
Ceræ flavæ & puræ, uncias quatuor.
Pulverem Rosarum, &
Mastiches, utriusque drach. viginti,
Absinthii Pontici majoris, drach. quindecim.
Nardi Indicæ, drach. decem.

Cera & Oleum igni liquata sæpè laventur aqua Rosarum: Iterum liquata laventur æquis partibus vini austeri, & Succi Cydoniorum cum pauco Aceto. Postremo reliqua pulverata misceantur, & fiat Ceratum quod usui reponatur.

Paraphrasis.

MEsue retraxit hoc Ceratum: è *Libro* 8. *Methodi* & *Lib.* 8. *Medicamentorum localium Galeni,* mutando Rosas pro Aloe, & folia Absinthii pro Succo. Nardum Indicam, Oleum & Ceram, pro Unguento Nardino: & augendo dosim Mastiches. Videte quomodo regatur *Mesuæo.* Nomen ei impositum à parte (pro toto) cui est accommodatum. Etenim (propriè loquendo) stomachus est superius orificium ventriculi.

De Mistura sive Componendi ratione.

LIquanda est Cera nova, cum Oleo Rosato Completo: Deinde lavanda sunt sæpe in aqua Rosarum, Post denuò dissolvantur, atque iterum laventur in æquis portionibus Succi Cydoniorum & Vini astringentis, cum pauco Aceto. Quo facto adjicientur illis pulveres, sequentem in modum facti.

Nardus Indica incisa, Absinthium & Rosæ pulverabuntur simul, & Mastiche seorsim. Omnia sic commista, usui reponentur.

Ceratum Oesypatum Galeno ascriptum. D. M.

℞. *Oesypi, drach. 80. sive uncias decem.*
Oleorum Chamæmeli, &
Irini, utriusque uncias sex.
Ceræ flavæ, uncias tres.
Mastiches, &
Terebinthinæ, utriusque unciam unam.
Resinæ, unciam dimidiam.
Spicæ Nardi, drachmas duas & dimidiam.
Croci, drach. unam & semissem.

Si quis addiderit,

Ammoniaci, unciam unam, &
Styracis, unc. semiss.

Efficacius erit ad emolliendum tumores duros, & quæcunque alia, *Pauli & Philagrii,* Pollicentur, præstabit. *Rondelet.*

Paraphrasis.

Mesue refert hoc Ceratum ad *Galenum*, in *Methodo sua*, *lib.* 14. quod nomen sumpsit à Basi sua Oesypo: quam nos locavimus in principio, & Author in fine. Qui volent plus virium illi addere, & ut suppleat defectum ejus quod est *Pauli* & *Philagrii*, adjungant Ammoniacum & Styracem Calamitem.

De Mixtura sive Componendi ratione.

MAstiche, Nardus Indica & Crocus, pulverentur singula seorsim: tunc miscentur. Dein super cineres calidos, liquentur Cera nova puráque & Resina in Oleis. Post, lebete ab igne sublato, dissolvantur Oesypus, cum pistillo ligneo, Terebinthina, & Ammoniacum, prius solutum in Aceto, & coctum ad Mellis consistentiam. Postremò pulveres & Styrax pulverizata per se, movendo continuè, usquequo refrixerint, ut usui recondantur.

Ceratum de Arnoglosso. D. Galeni.

℞. *Poliorum Plantaginis majoris, Panis Synconisti, i. à furfure non omnino purgati, & Lentium contusarum, singul. pares portiones.*

Coquantur in aqua sufficienti. Deinde pistentur in mortario marmoreo, & super cribrum cernantur. Utendi tempore præparandum erit. Avicen. lib. 4. Fen. 3. Tractat. primo. cap. 10. *addit Gallas.* Serapio verò Tract. 5. cap. 22. *non dissentit à* Galeno.

Paraphrasis.

HOc, ut propriè loquamur, non est vel Ceratum vel Emplastrum: utcunque & *Serapio* & *Avicenna* in locis præcitatis illud ita nominarunt. Sed Malagma quoddam vel Cataplasma: tam quòd non ingrediatur Cera, quam quòd non est consistentia dura, quale oportet esse Emplastrum. Quam ob causam non illud locavi in serie Cerotorum, sicut est illud quod sequitur. *Avicenna* adjicit Gallarum, quantum cæterorum. Præparari non debet omnino, nisi quando quis eo uti velit. Quoniam recenter factum, majoris est virtutis, quam vetus: & quod quovis tempore facile parari possit Plantago: quam *Græci* appellant *Aruoglossum*, i. Lingua Agnina, quæ constituit Basim, unde accepit appellationem suam.

Panis *Syncomistus*, sic à *Græcis* dictus, est ille qui factus est de farina trajecta per Cribrum seu Tamisium *largum: & qui medium tenet inter panem candidum & vulgarem, cujus una pars furfuris sublata est. Hujus loci incolæ appellant *Oseram.*

* Rarum.

De Mistura sive Componendi ratione.

LEntes contundendæ sunt, & Plantago concidenda: dein simul coquendæ, in aquæ sufficienti quantitate. Post cum ex dimidia parte cocta sunt, æqualis portio immittatur alterius earum, panis de farina frumenti integra, non omnino de furfure purgata. Omnia perfectè decocta, pistentur in mortario marmoreo, & per cribrum Tamisium inversum trajiciantur spatula, & totum tepidum applicetur Anthracibus sive Carbonibus pestilentibus. Si quis præcipiat adjicere Gallarum, (æquum cum reliquis pondus) contusarum, decoquet eas unà cum Plantagine & reliquis, & tum faciet ut dictum est.

Ceratum de Crusta panis. D. B. Montagnanæ.

℞. *Crustæ panis tostæ & in Aceto maceratæ, uncias duas.*
Oleorum Mastichini, & Cydoniorum, utriusque unciam unam.
Pulveris Mastiches,
Mentæ,
Spodii,
Coralli rubri,
Santali albi & rubri, singul. drach. unam.
Farinæ Hordei quantum sufficit.

Fiat Ceratum, vel Emplastrum, utendi tempore præparandum.

Paraphrasis.

HOcce est ejusdem naturæ, quæ præcedentis, videlicet, neque Ceratum nec Emplastrum, sed merum quoddam Cataplasma, utcunque *Montagnana* ipse, *Capite secundo Antidotarii* sui appellet Emplastrum.

Nomen de Basi sua accepit Crusta panis tosta: cujus astrictio auctior fit à pulveribus. Acetum illis pro vehiculo est: Olea & farinæ ad constituendum eorum corpus. Si adjungatur Ceræ uncia, solidius erit, & facilius ad concinnandos Magdaleones.

De Mixtura sive Componendi ratione.

TOrrenda est super accensos carbones crusta panis, eaque prorsus calida prætermittenda macerari in forti Aceto usque quo tenera sit: tum in mortario contundenda, per Cribrum Tamisium transmittenda, ut in præcedenti diximus: dein liquanda est Cera cum pulveribus, & Hordei farina: quod fiet ad inducendam qualem volumus formam, sive Cerati sive Emplastri.

Sectio 3.

De Emplastris in genere.

EMplastrum inter externa remedia est solidissimum. Nomen à *Græco* deductum ἔμπλαστρον ἀπὸ τῦ ἐμπλάττειν, ac si quis dicat, in massam formare, quocunque vertas, ut ait *Gorrhæus*, obstruendo poros cutis, cui lentore suo adhæret. Posteriores *Græci* adjecerunt literam ρ, (sive r, Latinum,) quam Latini retinuerunt, cum declinatione in Neutro genere, & relicto fœminino, pronunciant ἔμπλαστρον [*Hoc Emplastrum*] & non ἡ ἔμπλαστρ@· [*Hæc Emplastrus.*] Hoc remedii genus, ab antiquis meo judicio excogitatum fuit, ut permaneret diutius non liquatum in parte cui admoveatur, quam vel Unguenta vel Cerata superius dicta: simul etiam ad corroborandum & desiccandum, vel etiam ad emolliendum, consumendum & digerendum humores, qui in parte affecta, retenti erant, ad diutius denique virtutem eorum conservandam. Neoterici consentiunt cum *Paulo Ægineta, lib. 7. cap. 17.* qui illa composuit de omnibus Plantarum partibus, de Mineralibus, de Terris, de Cineribus, de Conchis, sive Testis, de Excrementis, de Animalibus, tam integris quam eorum partibus. Quædam posita sunt ad præstandum corpus magis quam augendum virtutem, sicut Oleum, Cera, Lithargyrus, &c. Atque ideo, dosis eorum sæpè non est expressa, sed relicta experti Apothecarii arbitrio. Alia verò, ad distribuendam virtutem terrestrium longè, seu ad profundum: sicut aqua, vinum, acetum, &c. alia, ad utrumque: ut pulveres, qui corpus addunt, augentque virtutem Emplastri. Omitto & odorem & colorem, adeò ab Authoribus & antiquis & modernis commendatum.

Hic notandum est & observandum, pulveris hîc non ita subtiles esse debere ac in Unguentis.

De Emplastris in specie.

Emplastrum album coctum, seu de Cerussa. Incerti Authoris.

℞. *Olei Rosati Completi, libras duas.* *Cerussæ, lib. unam & semissem.* *Ceræ albæ, uncias quatuor.*

Coque vase stannato vel plumbato terreo, igne lento in massam: Ex qua formentur Magdalia usui necessario.

Paraphrasis.

BAsis Emplastri hujus est Cerussa, unde nomen sumit & colorem. Oleum adhibetur pro materia, & Cera pro corpore, & ut glutinosum sit. *Paulus Ægineta lib. 7. cap. 17.* & *Myrepsus, Sectione decima, cap. 129.* adjiciunt Amylum, Lithargyrum, & Ovorum Albumina: differunt autem in pondere: Quod non oportet Pharmacopœum facere, nisi expressè jubeatur. *Christophorus* & *Ioubertus* consulunt illud cum æquis Olei & Cerussæ portionibus componere, sine Cera, Lithargyro, & alia re quapiam. Ac sic quidem citius coquitur, & candidius est: Non adeo etiam est glutinosum nec ita parti adhæret, & non ita multò post, adeò siccum evadit ut extendi non possit. Ita ut ex *Cordo* transcripsimus, redditur probè consistentia, & præstantissimum ad omnia quæ promittit, adeo ut inducor Pharmacopœis consulere, hanc potius sequi descriptionem, quam aliam quamcunque.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimò, quando Apothecario animus est vel Emplastrum hoc componere, vel Diachylon vel aliud consimile candidum, ex sententia *Galeni, lib. 1. De Medicamentis secundum Genera*, eligere debet aërem clarum & serenum, non pluviosum, caliginosum, seu opacum: Cerussam etiam percandidam & non adulteratam, cum Cera itidem alba: quæ supra cribrum Tamisium inversum in pulverem versa, coquetur cum Oleo Rosarum Completo, & admodum lucido, in stanneo vase, vel terreo vernice polito, supra modicum ignem, continuè movendo in fundo Cerusam, cum spatula satis ampla, ne aduratur, & ut citius coquatur. Quod scitu promptum est, si quis aliquam illius portiunculam super marmor ponat aut aquam, cùm intra digitos attrectetur, & inducta metacarpio non adhæreat, sed levetur pura, tum tempus erit Ceram albam ab omni sorde puram, adjicere, quæ ductilem eam reddet, unde formentur Magdaleones quæ candida papyro obducti serventur.

Signum cognoscendi coctura Emplastrum.

Tela Emplastica, vulgò *Sparadrap.* D. Bauderoni.

℞. *Olei communis & veteris,*
Axungiæ Porci, &
Lithargyri auri, subtiliter pulverati, singul. lib. unam.
Cerussæ,
Ceræ flavæ, &
Picis Navalis, singul. lib. dimidiam.
Adipis Arietis, aut Hædi,
Colophoniæ, &
Resinæ, singul. uncias quatuor.

Sic para Emplastrum. Quatuor priora, simul coquantur super ignem semper spatula movendo ne urantur, donec justam crassitudinem nanciscantur. Reliqua minutim incisa cum Adipe Arietis injiciantur & coquantur in Emplastrum. Huic adhuc calido tela vetustate quodammodo jam attrita demergatur, utrinque imbuta, atque inflata trahitur, extenditur & reponitur usui. Ulcera antiqua blandè detergit & exiccat citra morsum.

Emplastrum

Emplastrum de Minio. D. Joan. Vigonis.

℞. *Olei Rosati, lib. unam & semissem.*
Terebinth. unc. decem.
Axungiæ Porci, unc. septem.
Sebi Castrati & Vaccini, utriusque lib. semiss. seu uncias sex.
Olei Myrtini,
Unguenti Populei, &
Cerussæ, singul. uncias quatuor.
Litharg yri auri, &
Argenti, utriusque uncias tres & semissem.
Minii, uncias tres.
Axungiæ Gallinæ, uncias duas.
Cereæ albæ, quantum sufficit.

Fiat ex arte Emplastrum.

Paraphrasis.

Ioannes de Vigo, tam in *lib. 3. cap. 4.* & *lib. 8. cap. 16.* quam alibi, *suæ magnæ Chirurgiæ*, describit nobis multa Unguenta, Cerata & Emplastra simili nomine quæ non habentur in officinis, sed hoc supra dictum, quod describit *ultimo in capite lib. 5. parvæ suæ, & compendiosæ Chirurgiæ*, sed Unguenti nomine. Nomen cepit à Basi sua Minio, quod coctione colorem amittit suum, & devenit Nigrum, ut ipse Author confitetur.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimum oportet, super ignem nutrire per aliquod tempus, Lithargyrum cum Oleo semper movendo, dein adjicere Cerussam, Minium, Adipes, Oleum Myrtinum & Unguentum Populeum: non augendo ignem, & semper movendo donec perficiatur decoctio. Post sublato ab igne lebete: mox adjicere Ceram albam & Terebinthinam. Cum totum dimidia ex parte refrixerit, formetur in Magdaleones quantæ magnitudinis, qui voluerit, usui reponendos.

Emplastrum pro fracturis & dislocatione Ossium. D. Joannis Vigonis.

℞. *Muccaginis radic. Althææ, libras duas.*
Radicum Fraxini & Foliorum ejus,
Radicis consolidæ major. vel minor. & fol. ejus,
Myrtillorum & foliorum ejus,
Foliorum Salicis, singul. M. unum.
Contundantur & coquantur in æquis partibus Aquæ extinctionis Fabrorum; & Vini rubri austeri ad medias, & colentur. Colatura coquatur cum Muccagine prædicta, &
Oleorum Rosati Omphacini,
Myrtillorum, &
Sebi Hircini, singul. lib. semiss.
Litharg yri auri, &
Argenti, utriusque unc. tribus.
Bolo Armenæ,
Terræ Sigillatæ, &
Terebinth. singul. unc. duabus.
Minii, drach. decem.
Myrrhæ, &
Thuris, utriusque unciæ semiss.
Mastichis, drach. una, &
Cereæ quantitate sufficienti,
In Ceratum aut Emplastrum.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum sive Ceratum nomen sumpsit ab effectu suo. *Joannes Vigo*, Author illius id describit *lib. 8 Chirurgiæ suæ, cap. 16.* qui tale nomen ei imposuit, ut ostenderet Chirurgis minus prudentibus quantum præferendum sit Emplastris Oxycroceo, Ceroneo, quibus consimilem ob causam uti consueverunt, in ægrorum præjudicium. Basis ejus constat ex multis astringentibus magna satis quantitate positis & numerosis tam ad roborandam partem oblæsam & sauciatam, quam ad cohibendum descensum humorem in eandem; Sebum Hircinum inditur ad resolvendum humorem

humorem qui ante admotum auxilium, eodem incubuit. Oleum Myrtinum & Terebinthina addantur, tam ad nervos fortificandos quam ad dolores sedandos. Muccagines Bismalvæ accedunt, & ad remolliendas durities contusionum in partibus contusis, ruptis aut * dislocatis, & ad restauranda ossa confracta & rupta, testibus ipso *Avicenna* & *Ioanne de Vigo*. Lithargyros & Minium unà cum Cera corpus præbent Emplastro.

* *Sive Luxatis.*

De Mistura sive Componendi ratione.

EXtrahere primum oportet libras duas Muccaginis radicum Althææ, easque seponere. Deinde in æqualibus portionibus aquæ ferratæ fabrorum vinique rubri & astringentis, incoquere simul omnes radices, folia & Myrti Baccas supra dictas incisa vel contusa in mortario, ad medietatis consumptionem aquæ & vini; pòst colare & exprimere: Colaturæ injici debent Muccagines, Olea, Sebum Hircinum, & Lithargyros pulverata, ut omnia super ignem coquantur in lebete cupreo capaci, movendo ea semper à fundo longa satis & ampla spatula lignea (ne uratur Lythargyros) donec humiditas ferè sed non prorsus absumpta fuerit. Post Terebinthinam, Bolum, Terram Sigillatam seu Argillam & Minium adjicere oportet.

Denique, Ceræ plus aut minus, prout placuerit, vel Ceratum facere vel Emplastrum lebete sive Aheno ab igne sublato, & cum tepuerit, injicientur pulveres Myrrhæ, Thuris & Mastiches, ut ex omni massa formentur Magdaleones, quanto quis voluerit, usui reponendi.

Dispositi Medicamenta, secundum ordinem quem observare debet Pharmacopœus inter miscendum, non addendo vel minuendo quicquam.

Emplastrum Diaphœnicum frigidum. D. M.

℞. *Dactylorum maturitati propinquorum, unciæ quinque.*
Carnis Cydoniorum in vino austero coctorum, unciam unam & semiss.
Tortellarum de Scenis, i. Panis biscocti, unciam unam.
Styracis Calamitæ,
Mastiches,
Ladani,
Acaciæ,
Succi Agrestæ seu Omphacii,
Labruscæ, i. Florum uvarum agrestium,
Rosarum rubrarum,
Santali Citrini,
Myrrhæ,
Trochiscorum Ramich, &
Xyloaloes, singul. unciæ semissem.
Ceræ, uncias quatuor.
Olei Rosati, uncias quindecim.
Vini austeri, quantum sufficit ad infundendum infundenda. Et compone Emplastrum. Utendi tempore sufficit Xyloaloem addere.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum uti & subsequens nomina acceperunt à Basi sua, Dactylis, positis in principio, & majori in quantitate quam ullum aliud ingrediens. Excellunt ad id quod attribuit illis *Mesue*, & merentur magis in usum & praxim venire quam solent.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimo in loco Cydonia per quadras divisa in quantitate sufficiente Vini crassi & astringentis coquenda sunt. Semicoctis, Dactyli sunt ab ossibus mundati & incisi, adjiciendi. Paulò post panis biscoctus minutim confractus addendus. Deinde totum exprimetur & contusum in mortario marmoreo, per cribrum trajiciatur tamisatum. Quo facto, pulverentur seorsim singula, Styrax, Mastiche, Myrrha & Trochisci de Ramich. Simul in pulverem vertantur Ligna Santalorum & Aloes, Acacia & Rosæ, cum floribus Vitis agrestis, quæ appellatur Oenanthe & Labrusca. Postea,

curandum

curandum est ut Cera alba liquetur in Oleo Rosato & dum calent, liquetur etiam Ladanum crassiusculè pulverizatum, & Mastiche. Tum addatur Succus Agrestæ seu Omphacium, quod trajicietur per cribrum Tamisinum. Postremò pulveres; ut ex toto aptè incorporato, & tepido fingantur Magdaliones qua quis voluerit magnitudine, qui involventur in charta candida, & in usum recondentur. *Mesue* suadet priusquam applicetur hoc Emplastrum cuivis visceri, ut suffiatur Ligno Aloes, idque ut citius reducatur à potentia in actum, atque ut virtus ejus magis in profundum penetret, & grato suo odore recreet ægros & exhilaret.

Emplastrum Diaphœnicon calidum. D. M.

℞. *Oleorum Nardini, &*
Rosati, utriusque uncias quatuor.
Ceræ flavæ, uncias duas.
Fiat Ceratum. Tum

℞. *Dactylorum siccorum, numero quadraginta.*
Tortellarum de Scenis, i. Panis biscocti, drach. quinque.

Biduo macerentur vino odoro: Post (cum Dactylis & pane biscocto) tere permultum. Carnis Cydoniorum in vino coctorum, unciam unam. Deinde misce Ceratum præscriptum: tundendoque in mortario, permisce pulverem sequentem.

℞. *Mastiches,*
Thuris, &
Absinthii Pont. seu Romani. Idem, singulorum drach. duas & semiss.
Ladani puri. drach. duas.
Aloës Hepaticæ,
Ligni Aloës, (hujus penuriâ sume Santalum Citrinum)
Macis,
Calami Aromatici,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Acaciæ nostratis,
Gallæ (*Thomas de Carbo*, mendosè legit, Gallam quercus & non Galliam)
Trochiscorum Ramich, singul. drach. unam.

Fiat pulvis superioribus miscendus, & forma Magdalias. Utendi tempore sufficit Xyloaloem addere, ut præcedenti.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum non differt in appellatione, aut componendi Methodo, à præcedente, sed in sola sua qualitate. Ut igitur componatur, eò recurrat Pharmacopœus, vitandæ prolixitatis gratiâ.

Emplastrum de Betonica. D. N. Præpos.

℞. *Succorum Betonicæ,*
Plantaginis, &
Apii, singul. lib. unam.
Ceræ,
Resinæ, &
Terebinthinæ, singul. lib. dimidiam.
Picis Navalis,

In succis prioribus trita lento igni coquuntur & continenter moventur, ad succorum consumptionem. Postremò Terebinthina mixta, semel aut bis fervefit, & reducuntur in Magdalias.

Paraphrasis.

PRæpositus refert hoc Emplastrum *Nicolao*; quis autem fuerit nequeo divinare, nec novi invenire in *Antidotario* neque *Myrepsi* nec *Salernitani*. Nomen de Basi sua desumpsit, Succo Betonicæ, posito in principio. In usu est pluribus in locis, ita ut transcripsimus è dicto *Præposito*.

De

De Mixtura ſive Componendi ratione.

CEram, Reſinam & Picem nigrum coquere oportet cum ſuccis in magno quodam lebete (ne ſuperfluant) ad earum conſumptionem: Sub finem adjicere Terebinthinam, cui ſufficit una & altera ebullitio. Poſt conſolidandi Magdaleones, uſui recondendi.

Emplaſtrum Gratiæ Dei. D. N. Præpoſ.

℞. *Reſinæ, lib. unam.*
Terebinthinæ, lib. ſemiſſem.
Ceræ, uncias quatuor.
Maſtiches, unciam unam.
Herbarum Betonicæ,
Pimpinellæ, &
Verbenæ recentium, ſingul. M. unum.

Herbæ recentes tuſæ, ex vino albo coquantur ad tertiæ partis conſumptionem: Colentur, Herbarum ſubſtantia abjicitur. In colato jure Cera, Reſina, & Maſtiche coquuntur ad juſtam conſiſtentiam. Auferuntur ab igne & additur Terebinthina, ſpatulâ moventur, & fit Emplaſtrum, in Magdalias reducendum, uſuique reponendum. Ulcera deterget & mundificat.

Paraphraſis.

SIcut Gratia mirificè exhilarat omnes qui eam recipiunt, ſic ægri quotquot utuntur appoſitè & in tempore opportuno hoc Emplaſtro. Mixtura non diſſimilis eſt præcedenti de Betonica, niſi quod tundere oportet herbas, eâſque cum vino albo coquere, ad conſumptionem tertiæ partis, & colaturam loco ſuccorum ſumere, & facere ut dictum eſt.

Emplaſtrum Diachylon Album, ſeu Simplex. D. M.

℞. *Olei communis & veteris* (vel Irini aut Chamæmelini, ut ſit valentius *Meſue Authore*) *lib. tres. Lithargyri Auri, à ſordibus purgati & pulverizati.* (Si lavetur, albius evadet Emplaſtrum) *lib. unam & ſemiſſem. Muccagines radicum Althæa, Fœnugræci, & Lini ſingul. lib. unam.*
Technicè fiat Emplaſtrum.

Paraphraſis.

EMplaſtrum hoc non agnoſcit *Meſuen* Inventorem, longo enim tempore ante eum, deſcripſerunt illud *Serapion*, in *Tractatu ſuo ſeptimo, cap.* 28. & *Avicenna, lib.* 5. *Tract.* 15. & *undecimo in Cap. de Unguentis.* Nomen nactum eſt à Baſi ſua, Mucilaginibus, quas poſteriores *Græci* nominarunt χύλους, *Latini* Succos & Muccilagines. Cognominatur autem Album, Commune & Simplex. Album coloris gratia, Commune, quod vulgus eo ſæpè utitur. Simplex ad differentiam multorum ſequentium ejuſdem nominis, magis compoſitorum. Olei uſus eſt ad materiam, Lithargyrus ad dandum illi corpus.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

VT expeditè fiat hoc Emplaſtrum, & ut evadat album, eligere oportet aerem lucidum & clarum: accuratéque mundare radices & ſemina, eaque contundere in mortario: & immittere minus Fœnugræci quàm Lini, & radicum: deinde in aqua calida infundere, ſpatio diei unius naturalis, coqueréque & colare per fortem quandam telam vel linteum. Una pars Muccaginum, à principio ferveſiet, cum Oleo & Lithargyro in magno & ſpatioſo lebete igne mediocri, & continenter movebitur cum ſpatula lignea ſatis larga: alioqui Lithargyros ubi nutriri deberet cum Oleo,

pondere

De Mixtura sive Componendi ratione.

SImul in pulverem redigenda sunt Santala cum aliquot guttulis aquæ Rosarum: & sub finem adjiciendo Rosas. Singula seorsim pulveranda sunt, Bolus, Spodium & Caphura: post, commiscenda cum Santalis & Rosis. Deinde liquari curabis Ceram albam cum Oleo, super aquam calidam, sive calentes cineres: Tum sublatis ab igne, & tepefactis, paulatim adjicies pulveres, ut omnia in olla sua probè obturata, usui recondantur.

Si Oleum Rosatum non sit Omphacinum, vel recens, sed vetus, sæpius per vices lavetur cum aqua tepida, & in eadem semota, liquetur Cera ut dictum est. Quod si Cera non sit alba, sed Citrina, quam avari Pharmacopœi illi præferunt, quod non adeo cara sit, & unguentum sit rubrum, ut tegatur ille color, aut saltem ut lavent sæpius cum aqua tepida, & deinde frigida: ut hac ratione ægri & Medici non frustrentur fructu quem prætendunt. Num Cera alba tam in Unguentis quam Ceratis infrigidantibus, melior est quam flava: è contra in calidis, flava conducit magis quàm alba.

Ceratum Stomachicum. D. M.

℞. *Olei Rosati Completi, lib. unam & semissem.*
Ceræ flavæ & puræ, uncias quatuor.
Pulverem Rosarum, &
Mastiches, utriusque drach. viginti,
Absinthii Pontici majoris, drach. quindecim.
Nardi Indicæ, drach. decem.

Cera & Oleum igni liquata sæpè laventur aqua Rosarum: Iterum liquata laventur æquis partibus vini austeri, & Succi Cydoniorum cum pauco Aceto. Postremo reliqua pulverata misceantur, & fiat Ceratum quod usui reponatur.

Paraphrasis.

MEsue retraxit hoc Ceratum: è *Libro* 8. *Methodi* & *Lib.* 8. *Medicamentorum localium Galeni*, mutando Rosas pro Aloe, & folia Absinthii pro Succo. Nardum Indicam, Oleum & Ceram, pro Unguento Nardino: & augendo dosim Mastiches. Videte quomodo regatur *Mesuæo*. Nomen ei impositum à parte (pro toto) cui est accommodatum. Etenim (propriè loquendo) stomachus est superius orificium ventriculi.

De Mistura sive Componendi ratione.

LIquanda est Cera nova, cum Oleo Rosato Completo: Deinde lavanda sunt sæpe in aqua Rosarum, Post denuò dissolvantur, atque iterum laventur in æquis portionibus Succi Cydoniorum & Vini astringentis, cum pauco Aceto. Quo facto adjicientur illis pulveres, sequentem in modum facti.

Nardus Indica incisa, Absinthium & Rosæ pulverabuntur simul, & Mastiche seorsim. Omnia sic commista, usui reponentur.

Ceratum Oesypatum Galeno ascriptum. D. M.

℞. *Oesypi, drach.* 80. *sive uncias decem.*
Oleorum Chamæmeli, &
Irini, utriusque uncias sex.
Ceræ flavæ, uncias tres.
Mastiches, &
Terebinthinæ, utriusque unciam unam.
Resinæ, unciam dimidiam.
Spicæ Nardi, drachmas duas & dimidiam.
Croci, drach. unam & semissem.

Si quis addiderit,

Ammoniaci, unciam unam, & Styracis, unc. semiss.

Efficacius erit ad emolliendum tumores duros, & quæcunque alia, *Pauli* & *Philagrii*, Pollicentur, præstabit. *Rondelet.*

Paraphrasis.

Mesue refert hoc Ceratum ad *Galenum*, in *Methodo sua*, *lib.* 14. quod nomen sumpsit à Basi sua Oesypo: quam nos locavimus in principio, & Author in fine. Qui volent plus virium illi addere, & ut suppleat defectum ejus quod est *Pauli* & *Philagrii*, adjungant Ammoniacum & Styracem Calamitem.

De Mixtura sive Componendi ratione.

Mastiche, Nardus Indica & Crocus, pulverentur singula seorsim: tunc miscentur. Dein super cineres calidos, liquentur Cera nova puráque & Resina in Oleis. Post, lebete ab igne sublato, dissolvantur Oesypus, cum pistillo ligneo, Terebinthina, & Ammoniacum, prius solutum in Aceto, & coctum ad Mellis consistentiam. Postremò pulveres & Styrax pulverizata per se, movendo continuè, usquequo refrixerint, ut usui recondantur.

Ceratum de Arnoglosso. D. Galeni.

℞. Foliorum Plantaginis majoris, Panis Syncomisti, i. à furfure non omnino purgati, & Lentium contusarum, singul. partis portiones.

Coquantur in aqua sufficienti. Deinde pistentur in mortario marmoreo, & super cribrum cernantur. Utendi tempore præparandum erit. Avicen. lib. 4. Fen. 3. Tractat. primo. cap. 10. *addit Gallas.* Serapio verò Tract. 5. cap. 22. *non dissentit à* Galeno.

Paraphrasis.

Hoc, ut propriè loquamur, non est vel Ceratum vel Emplastrum: utcunque *Serapio* & *Avicenna* in locis præcitatis illud ita nominarunt. Sed Malagma quoddam vel Cataplasma: tam quod non ingrediatur Cera, quam quod non est consistentia dura, quale oportet esse Emplastrum. Quam ob causam non illud locavi in serie Cerotorum, sicut est illud quod sequitur. *Avicenna* adjicit Gallarum, quantum cæterorum. Præparari non debet omnino, nisi quando quis eo uti velit. Quoniam recenter factum, majoris est virtutis, quam vetus: & quod quovis tempore facile parari possit Plantago: quam *Græci* appellant *Arnoglossum*, i. Lingua Agnina, quæ constituit Basim, unde accepit appellationem suam.

Panis *Syncomistus*, sic à *Græcis* dictus, est ille qui factus est de farina trajecta per Cribrum seu Tamisium *largum: & qui medium tenet inter panem candidum & vulgarem, cujus una pars furfuris sublata est. Hujus loci incolæ appellant *Oserum*.

* Rarum.

De Mistura sive Componendi ratione.

Lentes contundendæ sunt, & Plantago concidenda: dein simul coquendæ, in aquæ sufficienti quantitate. Post cum ex dimidia parte cocta sunt, æqualis portio immittatur alterius earum, panis de farina frumenti integra, non omnino de furfure purgata. Omnia perfectè decocta, pistentur in mortario marmoreo, & per cribrum Tamisium inversum trajiciantur spatula, & totum tepidum applicetur Anthracibus sive Carbonibus pestilentibus. Si quis præcipiat adjicere Gallarum, (æquum cum reliquis pondus) contusarum, decoquet eas unà cum Plantagine & reliquis, & tum faciet ut dictum est.

Ceratum

Ceratum de Crusta panis. D. B. Montagnanæ.

℞. *Crustæ panis tostæ & in Aceto maceratæ, uncias duas.*
Oleorum Mastichini, & Cydoniorum, utrinsque unciam unam.
Pulveris Mastiches,
Mentæ,
Spodii,
Coralli rubri,
Santali albi & rubri, singul. drach. unam.
Farinæ Hordei quantum sufficit.

Fiat Ceratum, vel Emplastrum, utendi tempore præparandum.

Paraphrasis.

HOcce est ejusdem naturæ, quæ præcedentis, videlicet, neque Ceratum nec Emplastrum, sed merum quoddam Cataplasma, utcunque *Montagnana* ipse, *Capite secundo Antidotarii* sui appellet Emplastrum.

Nomen de Basi sua accepit Crusta panis tosta: cujus astrictio auctior fit à pulveribus. Acetum illis pro vehiculo est: Olea & farinæ ad constituendum eorum corpus. Si adjungatur Ceræ uncia, solidius erit, & facilius ad concinnandos Magdaleones.

De Mixtura sive Componendi ratione.

TOrrenda est super accensos carbones crusta panis, eaque prorsus calida prætermittenda macerari in forti Aceto usque quo tenera sit: tum in mortario contundenda, per Cribrum Tamisium transmittenda, ut in præcedenti diximus: dein liquanda est Cera cum pulveribus, & Hordei farina: quod fiet ad inducendam qualem volumus formam, sive Cerati sive Emplastri.

Sectio 3.

De Emplastris in genere.

EMplastrum inter externa remedia est solidissimum. Nomen à *Græco* deductum ἔμπλαστον ἀπὸ τῦ ἐμπλάττειν, ac si quis dicat, in massam formare, quocunque vertas, ut ait *Gorrhæus*, obstruendo poros cutis, cui lentore suo adhæret. Posteriores *Græci* adjecerunt literam ρ, (sive *r*, Latinum,) quam Latini retinuerunt, cum declinatione in Neutro genere, & relicto fœminino, pronunciant ἔμπλαστρον [*Hoc Emplastrum*] & non ἡ ἔμπλαστρ☉· [*Hæc Emplastrus.*] Hoc remedii genus, ab antiquis meo judicio excogitatum fuit, ut permaneret diutius non liquatum in parte cui admoveatur, quam vel Unguenta vel Cerata superius dicta: simul etiam ad corroborandum & desiccandum, vel etiam ad emolliendum, consumendum & digerendum humores, qui in parte affecta, retenti erant, ad diutius denique virtutem eorum conservandam. Neoterici consentiunt cum *Paulo Ægineta, lib. 7. cap. 17.* qui illa composuit de omnibus Plantarum partibus, de Mineralibus, de Terris, de Cineribus, de Conchis, sive Testis, de Excrementis, de Animalibus, tam integris quam eorum partibus. Quædam posita sunt ad præstandum corpus magis quam augendum virtutem, sicut Oleum, Cera, Lithargyrus, &c. Atque ideo, dosis eorum sæpè non est expressa, sed relicta experti Apothecarii arbitrio. Alia verò, ad distribuendam virtutem terrestrium longè, seu ad profundum: sicut aqua, vinum, acetum, &c. alia, ad utrumque: ut pulveres, qui corpus addunt, augentque virtutem Emplastri. Omitto & odorem & colorem, adeò ab Authoribus & antiquis & modernis commendatum.

Hic notandum est & observandum, pulveris hîc non ita subtiles esse debere ac in Unguentis.

De Emplastris in specie.

Emplastrum album coctum, seu de Cerussa. Incerti Authoris.

℞. *Olei Rosati Completi, libras duas.* *Cerussæ, lib. unam & semissem.* *Ceræ albæ, uncias quatuor.*

Coque vase stannato vel plumbato terreo, igne lento in massam: Ex qua formentur Magdalia usui necessario.

Paraphrasis.

BAsis Emplastri hujus est Cerussa, unde nomen sumit & colorem. Oleum adhibetur pro materia, & Cera pro corpore, & ut glutinosum sit. *Paulus Ægineta lib. 7. cap. 17.* & *Myrepsus, Sectione decima, cap. 129.* adjiciunt Amylum, Lithargyrum, & Ovorum Albumina: differunt autem in pondere: Quod non oportet Pharmacopœum facere, nisi expressè jubeatur. *Christophorus* & *Ioubertus* consulunt illud cum æquis Olei & Cerussæ portionibus componere, sine Cera, Lithargyro, & alia re quapiam. Ac sic quidem citius coquitur, & candidius est: Non adeo etiam est glutinosum nec ita parti adhæret, & non ita multò post, adeò siccum evadit ut extendi non possit. Ita ut ex *Cordo* transcripsimus, redditur probè consistentia, & præstantissimum ad omnia quæ promittit, adeo ut inducor Pharmacopœis consulere, hanc potius sequi descriptionem, quam aliam quamcunque.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimò, quando Apothecario animus est vel Emplastrum hoc componere, vel Diachylon vel aliud consimile candidum, ex sententia *Galeni, lib. 1. De Medicamentis secundum Genera,* eligere debet aërem clarum & serenum, non pluviosum, caliginosum, seu opacum: Cerussam etiam percandidam & non adulteratam, cum Cera itidem alba: quæ supra cribrum Tamisium inversum in pulverem versa, coquetur cum Oleo Rosarum Completo, & admodum lucido, in stanneo vase, vel terreo vernice polito, supra modicum ignem, continuè movendo in fundo Cerusam, cum spatula satis ampla, ne aduratur, & ut citius coquatur. Quod scitu promptum est, si quis aliquam illius portiunculam super marmor ponat aut aquam, cùm intra digitos attrectetur, & inducta metacarpio non adhæreat, sed levetur pura, tum tempus erit Ceram albam ab omni sorde puram, adjicere, quæ ductilem eam reddet, unde formentur Magdaleones quæ candida papyro obducti serventur.

Signum cognoscendi coctionem Emplastrorum.

Tela Emplastica, vulgò *Sparadrap.* D. Bauderoni.

℞. *Olei communis & veteris,* *Axungiæ Porci, &* *Lithargyri auri, subtiliter pulverati, singul. lib. unam.* *Cerussæ,* *Ceræ flavæ, &* *Picis Navalis, singul. lib. dimidiam.* *Adipis Arietis, aut Hædi,* *Colophoniæ, &* *Resinæ, singul. uncias quatuor.*

Sic para Emplastrum. Quatuor priora, simul coquantur super ignem semper spatula movendo ne urantur, donec justam crassitudinem nanciscantur. Reliqua minutim incisa cum Adipe Arietis injiciantur & coquantur in Emplastrum. Huic adhuc calido tela vetustate quodammodo jam attrita demergatur, utrinque imbuta, atque infecta retrahitur, extenditur & reponitur usui. Ulcera antiqua blandè deterget & exiccat citra morsum.

Emplastrum

Emplastrum de Minio. D. Joan. Vigonis.

℞. *Olei Rosati, lib. unam & semissem.*
Terebinth. unc. decem.
Axungiæ Porci, unc. septem.
Sebi Castrati & Vaccini, utriusque lib. semiss. seu uncias sex.
Olei Myrtini,
Unguenti Populei, &
Cerussæ, singul. uncias quatuor.
Litharg yri auri, &
Argenti, utriusque uncias tres & semissem.
Minii, uncias tres.
Axungiæ Gallinæ, uncias duas.
Ceræ albæ, quantum sufficit.

Fiat ex arte Emplastrum.

Paraphrasis.

Joannes de Vigo, tam in *lib. 3. cap. 4.* & *lib. 8. cap. 16.* quam alibi, *suæ magnæ Chirurgiæ*, describit nobis multa Unguenta, Cerata & Emplastra simili nomine quæ non habentur in officinis, sed hoc supra dictum, quod describit *ultimo in capite lib. 5. parvæ suæ, & compendiosæ Chirurgiæ*, sed Unguenti nomine. Nomen cepit à Basi sua Minio, quod coctione colorem amittit suum, & devenit Nigrum, ut ipse Author confitetur.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimum oportet, super ignem nutrire per aliquod tempus, Lithargyrum cum Oleo semper movendo, dein adjicere Cerussam, Minium, Adipes, Oleum Myrtinum & Unguentum Populeum: non augendo ignem, & semper movendo donec perficiatur decoctio. Post sublato ab igne lebete: mox adjicere Ceram albam & Terebinthinam. Cum totum dimidia ex parte refrixerit, formetur in Magdaleones quantæ magnitudinis, qui voluerit, usui reponendos.

Emplastrum pro fracturis & dislocatione Ossium. D. Joannis Vigonis.

℞. *Muccaginis radic. Althææ, libras duas.*
Radicum Fraxini & Foliorum ejus,
Radicis consolidæ major. vel minor. & fol. ejus,
Myrtillorum & foliorum ejus,
Foliorum Salicis, singul. M. unum.
Contundantur & coquantur in æquis partibus Aquæ extinctionis Fabrorum; & Vini rubri austeri ad medias, & colentur. Colatura coquatur cum Muccagine prædicta, &
Oleorum Rosati Omphacini,
Myrtillorum, &
Sebi Hircini, singul. lib. semiss.
Litharg yri auri, &
Argenti, utriusque unc. tribus.
Boli Armenæ,
Terræ Sigillatæ, &
Terebinth. singul. unc. duabus.
Minii, drach. decem.
Myrrhæ, &
Thuris, utriusque unciæ semiss.
Mastichis, drach. una, &
Ceræ quantitate sufficienti,
In Ceratum aut Emplastrum.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum sive Ceratum nomen sumpsit ab effectu suo. *Joannes Vigo*, Author illius id describit *lib. 8. Chirurgiæ suæ, cap. 16.* qui tale nomen ei imposuit, ut ostenderet Chirurgis minus prudentibus quantum præferendum sit Emplastris Oxycroceo, Ceroneo, quibus consimilem ob causam uti consueverunt, in ægrorum præjudicium. Basis ejus constat ex multis astringentibus magna satis quantitate positis & numerosis tam ad roborandam partem oblæsam & sauciatam, quam ad cohibendum descensum humorem in eandem; Sebum Hircinum inditur ad resolvendum humorem

humorem qui ante admotum auxilium, eodem incubuit. Oleum Myrtinum & Terebinthina addantur, tam ad nervos fortificandos quam ad dolores sedandos. Muccagines Bismalvæ accedunt, & ad remolliendas durities contusionum in partibus
* *Sive Luxatis.* contusis, ruptis aut * dislocatis, & ad restauranda ossa confracta & rupta, testibus ipso *Avicenna* & *Ioanne de Vigo*. Lithargyros & Minium unà cum Cera corpus præbent Emplastro.

De Mistura sive Componendi ratione.

EXtrahere primum oportet libras duas Muccaginis radicum Althææ, easque seponere. Deinde in æqualibus portionibus aquæ ferratæ fabrorum vinique rubri & astringentis, incoquere simul omnes radices, folia & Myrti Baccas supra dictas incisa vel contusa in mortario, ad medietatis consumptionem aquæ & vini; pòst colare & exprimere: Colaturæ injici debent Muccagines, Olea, Sebum Hircinum, & Lithargyros pulverata, ut omnia super ignem coquantur in lebete cupreo capaci, movendo ea semper à fundo longa satis & ampla spatula lignea (ne uratur Lythargyros) donec humiditas ferè sed non prorsus absumpta fuerit. Post Terebinthinam, Bolum, Terram Sigillatam seu Argillam & Minium adjicere oportet.

Denique, Ceræ plus aut minus, prout placuerit, vel Ceratum facere vel Emplastrum lebete sive Aheno ab igne sublato, & cum tepuerit, injicientur pulveres Myrrhæ, Thuris & Mastiches, ut ex omni massa formentur Magdaleones, quanto quis voluerit, usui reponendi.

Dispositi Medicamenta, secundum ordinem quem observare debet Pharmacopœus inter miscendum, non addendo vel minuendo quicquam.

Emplastrum Diaphœnicum frigidum. D. M.

℞. *Dactylorum maturitati propinquorum, unciæ quinque.*
Carnis Cydoniorum in vino austero ecti, unciam unam & semiss.
Tortellarum de Scenis, i. Panis biscocti, unciam unam.
Styracis Calamitæ,
Mastiches,
Ladani,
Acaciæ,
Succi Agrestæ seu Omphacii,
Labruscæ, i. Florum uvarum agrestium,
Rosarum rubrarum,
Santali Citrini,
Myrrhæ,
Trochiscorum Ramich, &
Xyloaloes, singul. unciæ semissem.
Ceræ, uncias quatuor.
Olei Rosati, uncias quindecim.
Vini austeri, quantum sufficit ad infundendum infundenda. Et compone Emplastrum. Utendi tempore sufficit Xyloaloem addere.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum uti & subsequens nomina acceperunt à Basi sua, Dactylis, positis in principio, & majori in quantitate quam ullum aliud ingrediens. Excellunt ad id quod attribuit illis *Mesue*, & merentur magis in usum & praxim venire quam solent.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimo in loco Cydonia per quadras divisa in quantitate sufficiente Vini crassi & astringentis coquenda sunt. Semicoctis, Dactyli sunt ab ossibus mundati & incisi, adjiciendi. Paulò post panis biscoctus minutim confractus addendus. Deinde totum exprimetur & contusum in mortario marmoreo, per cribrum trajiciatur tamisatum. Quo facto, pulverentur seorsim singula, Styrax, Mastiche, Myrrha & Trochisci de Ramich. Simul in pulverem vertantur Ligna Santalorum & Aloes, Acacia & Rosæ, cum floribus Vitis agrestis, quæ appellatur Oenanthe & Labrusca. Postea, curandum

curandum est ut Cera alba liquetur in Oleo Rosato & dum calent, liquetur etiam Ladanum crassiusculè pulverizatum, & Mastiche. Tum addatur Succus Agrestæ seu Omphacium, quod trajicietur per cribrum Tamisinum. Postremò pulveres: ut ex toto aptè incorporato, & tepido fingantur Magdaliones qua quis voluerit magnitudine, qui involventur in charta candida, & in usum recondentur. *Mesue* suadet priusquam applicetur hoc Emplastrum cuivis visceri, ut suffiatur Ligno Aloes, idque ut citius reducatur à potentia in actum, atque ut virtus ejus magis in profundum penetret, & grato suo odore recreet ægros & exhilaret.

Emplastrum Diaphœnicon calidum. D. M.

℞. *Oleorum Nardini, &*
Rosati, utriusque uncias quatuor.
Ceræ flavæ, uncias duas.
Fiat Ceratum. Tum

℞. *Dactylorum siccorum, numero quadraginta.*
Tortellarum de Scenis, i. Panis biscotti, drach. quinque.

Biduo macerentur vino odoro: Post (cum Dactylis & pane biscotto) tere permultum. Carnis Cydoniorum in vino coctorum, unciam unam. Deinde misce Ceratum præscriptum: tundendoque in mortario, permisce pulverem sequentem.

℞. *Mastiches,*
Thuris, &
Absinthii Pont. seu Romani. Idem, singulorum drach. duas & semiss.
Ladani puri. drach. duas.
Aloës Hepaticæ,
Ligni Aloës, (hujus penuriâ sume Santalum Citrinum)
Macis,
Calami Aromatici,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Acaciæ nostratis,
Galliæ (Thomas de Carbo, mendosè legit, Gallam quercus & non Galliam)
Trochiscorum Ramich, singul. drach. unam.

Fiat pulvis superioribus miscendus, & forma Magdalias. Utendi tempore sufficit Xyloaloem addere, ut præcedenti.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum non differt in appellatione, aut componendi Methodo, à præcedente, sed in sola sua qualitate. Ut igitur componatur, eò recurrat Pharmacopœus, vitandæ prolixitatis gratiâ.

Emplastrum de Betonica. D. N. Præpos.

℞. *Succorum Betonicæ,*
Plantaginis, &
Apii, singul. lib. unam.
Ceræ,
Resinæ, &
Terebinthinæ, singul. lib. dimidiam.
Picis Navalis,

In succis prioribus trita lento igni coquuntur & continenter moventur, ad succorum consumptionem. Postremò Terebinthina mixta, semel aut bis ferveſit, & reducuntur in Magdalias.

Paraphrasis.

PRæpositus refert hoc Emplastrum *Nicolao*, quis autem fuerit nequeo divinare, nec novi invenire in *Antidotario* neque *Myrepsi* nec *Salernitani*. Nomen de Basi sua desumpsit, Succo Betonicæ, posito in principio. In usu est pluribus in locis, ita ut transcripsimus è dicto *Præpositi*.

De

De Mixtura ſive Componendi ratione.

CEram, Reſinam & Picem nigrum coquere oportet cum ſuccis in magno quodam lebete (ne ſuperfluant) ad earum conſumptionem: Sub finem adjicere Terebinthinam, cui ſufficit una & altera ebullitio. Poſt conſolidandi Magdaleones, uſui recondendi.

Emplaſtrum Gratiæ Dei. D. N. Præpoſ.

℞. *Reſinæ, lib. unam.*
Terebinthinæ, lib. ſemiſſem.
Ceræ, uncias quatuor.
Maſtiches, unciam unam.
Herbarum Betonicæ,
Pimpinellæ, &
Verbenæ recentium, ſingul. M. unum.

Herbæ recentes tuſæ, ex vino albo coquuntur ad tertiæ partis conſumptionem: Colentur, Herbarum ſubſtantia abjicitur. In colato jure Cera, Reſina, & Maſtiche coquuntur ad juſtam conſiſtentiam. Auferuntur ab igne & additur Terebinthina, ſpatulâ moventur, & fit Emplaſtrum, in Magdalias reducendum, uſuique reponendum. Ulcera deterget & mundificat.

Paraphraſis.

SIcut Gratia mirificè exhilarat omnes qui eam recipiunt, ſic ægri quotquot utuntur appoſitè & in tempore opportuno hoc Emplaſtro. Mixtura non diſſimilis eſt præcedenti de Betonica, niſi quod tundere oportet herbas, eáſque cum vino albo coquere, ad conſumptionem tertiæ partis, & colaturam loco ſuccorum ſumere, & facere ut dictum eſt.

Emplaſtrum Diachylon Album, ſeu Simplex. D. M.

℞. *Olei communis & veteris* (vel Irini aut Chamæmelini, ut ſit valentius *Meſue Authore*) *lib. tres. Lithargyri Auri, à ſordibus purgati & pulverizati.* (Si lavetur, albius evadet Emplaſtrum) *lib. unam & ſemiſſem. Muccagines radicum Althæa, Fœnugræci, & Lini ſingul. lib. unam.*
Technicè fiat Emplaſtrum.

Paraphraſis.

EMplaſtrum hoc non agnoſcit *Meſuen* Inventorem, longo enim tempore ante eum, deſcripſerunt illud *Serapion*, in *Tractatu ſuo ſeptimo, cap.* 28. & *Avicenna, lib.* 5. *Tract.* 15. & *undecimo in Cap. de Unguentis.* Nomen nactum eſt à Baſi ſua, Mucilaginibus, quas poſteriores *Græci* nominarunt χύλους, *Latini* Succos & Muccilagines. Cognominatur autem Album, Commune & Simplex. Album coloris gratia, Commune, quod vulgus eo ſæpè utitur. Simplex ad differentiam multorum ſequentium ejuſdem nominis, magis compoſitorum. Olei uſus eſt ad materiam, Lithargyrus ad dandum illi corpus.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

VT expeditè fiat hoc Emplaſtrum, & ut evadat album, eligere oportet aerem lucidum & clarum: accuratéque mundare radices & ſemina, eaque contundere in mortario: & immittere minus Fœnugræci quàm Lini, & radicum: deinde in aqua calida infundere, ſpatio diei unius naturalis, coqueréque & colare per ſortem quandam telam vel linteum. Una pars Muccaginum, à principio ferveſiet, cum Oleo & Lithargyro in magno & ſpatioſo lebete igne mediocri, & continenter movebitur cum ſpatula lignea ſatis larga: alioqui Lithargyros ubi nutriri deberet cum Oleo,

pondere

pondere suo peteret fundum & adureretur. Commodum quod provenit, injiciendi à principio, unam partem Mucaginum vel omnes, hoc est, quod Lithargyrum sursum evehant, nec permittant ut ignis oleum adurat, faciatque Emplastrum magis coctum & candidum. Mucilaginibus tantum non consumptis, residuum impones, quod curabis, paulatim consumi. Hoc quod multos Pharmacopœos decipit, ut cum facerent illud album, nigrum efficiant, est; quod intentiorem justo ignem faciunt, cum Mucilagines fere consumptæ sunt, & in principio nimis remissum. Emplastrum enim quo diutius super ignem moretur, eo magis lebes cupreus ille denigrat.

Hoc cùm ita sit, præstat paulum quid Mucilaginum supersesse, quam expectare donec quicquid est consumatur, & ut minus restet, augere ignem ab initio & non sub finem, quod illi faciunt. Signum quo noscatur quando coctum sit in *Emplastro de Cerussa* declaravimus.

Totum quando tepuerit reducetur in Magdaliones, involvendos candidâ papyro, & recondendos.

Emplastrum Diachylon Ireatum. D. M.

℞. *Massæ Emplastri præscripti, adhuc calidæ, lib. unam.* *Pulveris Iridis Florentinæ, unciam unam.*

Forma Magdaleas & repone.

Paraphrasis.

COgnomen hujus Emplastri differre illud facit à Præcedente. Nam si cocto jam & adhuc calenti, (lebete ab igne sublato) adjiciatur cuique ejusdem Emplastri libræ, uncia una pulveris Iridis *Florentinæ*, fiet Diachylon Ireatum, quod virtute, simplex & commune superat.

Emplastrum Diachylon Magnum. D. M.

℞. *Lithargyri auri subtilissimè pulverati, lib. unam.*
Olcorum Irini,
Chamæmelini, &
Anethini, singul. uncias octo.
Terebinthinæ, uncias tres.
Resinæ Pini, &
Ceræ fluvæ, utriusque uncias duas.
Muccaginis Seminum Lini, &
Fœnugræci,
Ficuum recentium ac pinguium,
Uvarum passarum,
Glutinis Alkanach, i. Ichthyocollæ,
Succorum Iridis, &
Scillæ aut Pancratii, &
Oesypi humidæ, singul. drach. duodecim & semiss.

Technicè paretur Emplastrum, usui recondendum.

Paraphrasis.

COgnomen hujus Emplastri hic ponitur ob ingentem ipsius virtutem, & majorem medicamentorum numerum quem admittit, præ simplici præscripto, à quo differt.

De Mixtura sive Componendi ratione.

IN principio, nutrire super ignem oportet, Olea, Lithargyrum, & omnes Mucilagines Lini & Fœnugræci. Tum illis consumptis, adjicies illas Ficuum & Uvarum passarum, continenter eas movendo, ut in præcedenti diximus, eousque dum fere coctæ sint & consumptæ. Postea addere Gluten piscium, cum Succo Iridis liquatum: Paulò post Oesypum cum Succo Scillarum dissolutam. Postremò Ceram Resinam, & Terebinthinam. Postremò ex tota massa cum tepuerit, formabis Magdaleones, usui servandos.

Emplastrum Diachylon Gummatum. Christophori.

℞. *Massam Emplastri Diachyl. magni integram, superius scriptam: cui dissolutæ adde,*
Gummium Ammoniaci,
Galbani vel Serapini, &
Bdellii, vino dissolutorum, & ad mellis crassitudinem coctorum, singul. unciam unam.
Forma Magdaliæ, usui necessario.

Paraphrasis.

GUmmia Ammoniaci, Galbani & Bdellii (liquata cum Vino, colata & cocta ad spissitudinem Mellis, & dissoluta in Emplastro præcedente, cocto jam & adhuc calenti) ponunt differentiam, & indunt illi cognomen, Gummatum.

Emplastrum de Muccaginibus. D. B. Textoris.

℞. *Muccaginum Radicis Althææ,*
Lini,
Fœnugræci, &
Ficuum, singul. uncias quatuor.
Terebinthinæ, uncias tres.
Olorum Chamæmeli, &
Liliorum.
Resinæ Pini,
Medullæ cruris Vituli aut Bovis, &
Butyri recentis insulsi, singul. uncias duas.
Ceræ citrinæ, uncias viginti, aut quantum sufficit.
Fiat Emplastrum in Magdalias.

Emplastrum de Muccaginibus Gummatum. Ejusdem Textoris.

℞. *Prædictam massam, cui adde*
Gummium Ammoniaci, uncias duas.
Bdellii & Sagapeni, Vino solutorum & coctorum, utriusque unciam unam.
Forma Magdaliæ, papyro obductos, & usui repone.

Paraphrasis.

TExtor texuit hoc Emplastrum de præcedente & subsequente, quod refert *Mesue* ad filium *Zachariæ* cognomine *Rhasis*: quo nos hic *Mascone*, fœlici successu sæpe utimur: Quapropter bonum mihi visum fuit hic in ista Categoria illud inserere: ut unusquisque loco præcedentis & subsequentis eo uti possit.

De Mixtura sive Componendi ratione.

CUrandum est, ut super ignem mediocrem Mucilagines cum Oleis, Butyro & Medulla continenter movendo consumantur. Dein adjiciantur Cera & Resina: Tandem Terebinthina, lebete ab igne sublato. Postea ex tota massa jam tepida, refingantur Magdaleones, papyro obducendi & recondendi. Ut magis evadat compositũ & Gummatius: dissolvere oportet Gummia vel Liquores Ammoniaci, Bdellii, & Sagapeni, cum Vino: post colari & coqui ad spissitudinem mellis, & adjici Emplastro cocto & adhuc super ignem, post, Terebinthina, ex quo reformabis, ut dictum est, Magdaleones. Pharmacopœus servare debet & unum & alterum seorsim, quibus uti licet loco sequentis & præcedentium, à *Mesue* descriptorum. Attamen ut satis illis fiat, qui delectantur magis hoc quam illo, & ne hoc opus nostrum minus completum reddatur, hujusmodi erit quod subsequitur.

Emplastrum

Emplastrum Filii Zachariæ. D. M.

℞. *Ceræ Citrinæ,*
Medullæ cruris Vaccæ,
Adipis Anatis, &
Gallinæ,
Muccag. Seminum Lini,
Fœnugræci, &
Radicis Althææ,
Oesypi humidæ, &
Glutinis piscium, singul. unc. tres.
Olei Lini, vel (hujus loco) Leucoii
lutei, Vulgò Cheirini, vel utriusque,
q. s.

Fiat Emplastrum, in Magdalias reducendum, usui necessarie.

Paraphrasis.

QUemnam per *Filium Zachariæ* intellexerit *Mesue*, superius declaravimus, in *Confectionem Hamech.*

De Mixtura sive Componendi ratione.

FErvefieri oportet Mucilagines, cum Oleis, Adipibus & Medulla, donec consumptæ fuerint, assiduè movendo, cum pistillo vel spatula lignea: post adjici Oesypum macceratam cum Ichthyocolla, seorsim liquatam: Tandem & Ceram ut ex omnibus simul formentur, ut dictum est Magdaleones Omitto duo Emplastra, unum Diachylon compositum, alterum de Muccaginibus, de quorum Authore nobis non constat: simul etiam quòd superius dicta, eorum defectum supplere possint, & consimiles habeant virtutes.

Emplastrum Tripharmacum. D. M.

℞. *Lithargyri auri subtilissimè tritæ, &*
Aceti Vini rubri acerrimi, utriusque
lib. unam.
Olei communis antiqui, libras
duas.
Coque in Emplastrum.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum describitur à *Mesue*, in *Distinctione* 11. sub nomine Unguenti. Quod nomen sumpsit à numero medicamentorum, quæ illud componunt.

De Mistura sive Componendi ratione.

MIxtura facilis est: Nam initio nutrire oportet Lithargyrum cum Oleo super lentum ignem: qui repentè simul & semel augebitur: Ac tum adjicietur Acetum quàm parari potest acerrimum, quod simul cum igne addet illi colorem satis rubrum sine ulla confusa mixtura, additione æruginis, coctum & tepefactum reducetur in Magdaleones reponendos.

Emplastrum Palmeum: seu Diachalciteos. D. Galeni.

℞. *Chalcitidis*, aut in ejus penuria Vitrioli Romani, *unc. quatuor.*
Axungiæ Suillæ veteris, lib. duas.
Lithargyri auri & Olei veteris, utriusque lib. tres.

Coque lento igne: assiduè movendo spatula, ex ramo Palmæ recenti, vel hujus penuria, Arundinis vel Quercus, vel Pruni sylvestris, vel Mespili vel alterius arboris astringentis, ea lege ut extrema pars sæpe abradatur & rescindatur, aut novus ramus supponatur, donec justam crassitudinem conquirat. Tum in Magdalias formetur Massa.

Vitriolum aut Chalcitis in medio Emplastri addendum, ut acrimoniam deponat: si ustum sit, sine coctionis injice.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum à *Galeno* descriptum est, in *Lib. primo Medicamentorum secundum genera*: cui sumpsit nomen à Chalcitide quæ ingreditur illum: Cujus loco Pharmacopœi nostri accipiunt Calcanthum seu Vitriolum quod paratu facile est. Quapropter, oportuit potius appellari, Diachalcanteos, sive Diacalcanthi, quam Diachalciteos. Quidam illud nominant *Palmeum*, ob spatulam Palmæ recentem, qua inter coquendum movetur. In locis ubi non reperitur Palma recens, illius vicem supplere quis poterit ramo Ligustri, vel Cannæ sive Arundinis, vel Quercus, vel Pruni Sylvestris, vel Mespili, vel etiam cujusvis arboris astringentis: ea lege, ut durante coctione, ter aut quater rescindatur extrema pars illius ad majorem illi acquirendam astrictionem, nisi cui magis libeat, plures habere hujusmodi spatulas. Vitriolum Romanum vice Chalcitidis, imponi debet (Lithargyro jam satis in oleo & axungia nutrita) & non citius, ut coctione deponat acrimoniam suam, & sit magis deiccans & minus dolorificum. Ob deciduum in coquendo, dupla dosis sumenda est, nisi calcinetur seorsim: pòst pulverandum est & ponderandum, ac sic in Emplastrum ponendum cum perfecte decoctum est. Postea formentur Magdaleones recondendi.

Quidam infundi antè curant flores Ligustri in Oleo & Axungia, adjungentes parum succi Cannarum, & fervefieri simul faciunt: exprimunt & coquunt unà Lithargyrum suum, cum spatula ut dictum est. Alii alio tempore, loco florum macerant novellos surculos & folia Arundinum concisa cum succo extracto è radicibus Arundinum cum Oleis & Axungia, & reguntur præterea, ut dictum est. Methodus hæc non repugnat menti Authoris sui.

Emplastrum de Baccis Lauri. D. M.

℞. *Baccarum Lauri, uncias duas.*
Mastiches,
Thuris, &
Myrrhæ, singul. unciam unam.
Cyperi & Costi, utriusque unc. dimid.
Mellis despumati, quantum sufficit.

Fiat Emplastrum.

Annotat Mesue futurum efficacius ad Hydropem, si pondus Cyperi triplicetur, & Stercus Capræ aut Vaccæ siccum, ad pondus omnium misceatur. Sed præstat simplicia habere: Alia enim usus tempore facilè adjicientur.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum nomen accepit à Basi sua, Baccis Lauri, positis in principio & majori in dosi, quam aliud quodcunque. Mel conservat species: corpore auget Emplastrum, & defectum supplet alterius materiæ. Pulveranda simul sunt Cyperus, Costus & Lauri Baccæ. Singula seorsim, Thus, Myrrha, & Mastiche: tum omnia simul concutienda cum melle despumato: ut formentur Magdaleones: vel pasta servabitur in olla fictili vernice polita, & obturetur. Sic minus deficcabitur, quam in Magdaleonibus, & diutius durabit. Dosis Cyperi non triplicetur, nec Stercus Caprinum aut Vaccinum adjiciatur, nisi dedita opera, ab aliquo Medico præcipiatur.

Emplastrum de Sulphure. Incerti Authoris.

℞. *Picis Navalis,*
Resinæ,
Ceræ flavæ, singul. uncias duodecim.
Sulphuris tenuissimè triti, &
Olei Chamæmeli, utriusque unc. quatuor.
Terebinthinæ,
Pulveris Ireos, &
Cymini, singul. unc. unam & semissem.

Ex arte paretur Emplastrum in Magdalias.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

DE Authore hujus Emplastri, mihi non constat: quod tamen quia quibusdam usu receptum est, nolui à tergo relinquere. Nomen accepit à Basi sua Sulphure. Resolvit delapsas in musculos Thoracis materias, & ibidem detentas.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimum pulverare oportet simul Radicem Iridis & Cuminum: Sulphur autem per se, & ea permiscere. Dein liquare Ceram, Resinam & Picem nigram, dissectas in minutos morsulos, cum Oleo Chamæmeli. Pòst, (& extra ignem) adjicies Terebinthinam. Postremò pulveres, ut ex massa formentur Magdaleones, quantos volueris. Qui papyro candida obtecti, serventur usui.

Emplastrum de Meliloto. D.M.

℞. *Rad. Ireos,*
Cyperi, &
Spicæ Nardi,
Cassiæ Lignea,
Sem. Ameos,
Apii,
Anisi cum Nicol. Præposito,
Carui, i. Cordumeni, singul. drach. unam & semiss.
Florum Chamæmeli,
Comæ Absinthii Pontici,
Sampsuchi,
Fœnugræci,
Baccarum Lauri excorticarum, &
Rad. Althæa, singul. drach. tres.
Styracis Calamites, &
Bdellii, utriusque drach. quinque.
Ammoniaci, drach. decem.
Terebinthinæ, unc. unam & semissem.
Ficus pingues, num. duodecim.
Sebi Caprini, &
Resinæ, utriusque unc. duas & semiss.
Ceræ, &
Meliloti, utriusque uncias sex.
Oleorum Sampsuchini, &
Nardini, utriusque quantum sufficit.

Fiat ex arte Emplastrum, in Magdaleas formandum. Dissolve Gummi Ammoniacum & Bdellium in Aceto: quoniam in decocto Meliloti, Chamæmeli & Fœnugræci ægrè solvuntur, & non minus efficax erit.

Paraphrasis.

MEsue composuit hoc Emplastrum, præter ea consimili nomine descripta à *Galeno:* in *Libro de Compositione Medicamentorum localium*: quod sumpsit nomen de Basi sua Meliloto posita in principio ab Authore, & à nobis sub finem: quia incipimus à minore, desinimus in majore dosi, exemplum imitantes *Damocratis.*

De Mixtura sive Componendi ratione.

IN primâ triturandi serie, ponentur Radices & Canella: in secunda, Semina: in tertia, Herbæ & Flores. Seorsim pulveranda est Styrax: deinde permiscenda sunt promiscuè. Si ficus sint Novellæ, tundere eas oportet seorsim in marmoreo mortario, & per cribrum tamisinum trajicere cum spatula. Sin verò vetulæ & duræ, minutim inciſæ cum aliis medicamentis pulverabuntur. Ammoniacum & Bdellium liquanda sunt cum Aceto, (quod inserviet pro vehiculo) post colanda & coquenda ad Mellis consistentiam: cui adjicietur Terebinthina. Quo facto, solvenda sunt in sufficiente quantitate Oleorum Nardini & Sampsuchini, Cera, Resina, & Adipes, deinde adjicientur ficus trajectæ: Tum Gummia & Terebinthina: Postremò pulveres, lebete ab igne sublato, & jam tepido. Post hæc fingantur Magdaleones recondentli. *Præpositus* ad hæc & suprà, adjicit Anisi & Apii æquum pondus: ineptè prorsus & sine causa. *Magister Ioannes Renodæus*, Medicus alioqui doctissimus, in censura patris mei in Commentario quod ille composuit in hoc Emplastrum descriptum in *quinto*

Consilium de Ficubus.

quinto libro ſui Antidotarii, cap. 4. dicendo quod nimium poſuerit Olei, & tali cum quantitate, facere potuerit Unguentum potius quam Emplaſtrum, falſus eſt: Pater enim meus nunquam in animo habuit imponere libram unam, ſive duodecim uncias Olei, ſed diſertè poſuit [*quantum ſatis*] relinquens hoc arbitrio Pharmacopœi. Videte igitur quantum ille in præjudicium ejus famæ aſperſerit. Quod, ut mihi videtur, non oportuit eum feciſſe vel ſtrictim vel obiter: cum multa ex opera & labore dicti patris mei, ad ſtruendum & ornandum opus ſuum mutuatus ſit.

Emplaſtrum de Meliloto. D. Bened. Textoris.

℞. *Nardi Celticæ,*
Chamæmeli,
Rad. Cyperi, &
Althææ,
Croci, ſingul. unciam dimidiam.
Fœnugreci,
Iridis,
Myrrhæ, &
Ammoniaci, ſingul. unciam unam.
Meliloti, drach. viginti quinque.
Terebinthinæ claræ, drachmas quinquaginta.
Ceræ flavæ, drach. centum.
Olei Liliacei & Aceti, quantum ſufficit.

Fiat Emplaſtrum in Magdalias.

Paraphraſis.

Textor attexuit hoc Emplaſtrum præcedenti, cui in virtute & omni eo quod præ ſe fert *Meſue*, nequaquam cedit: & facile factu eſt, minuſque compoſitum.

Emplaſtrum Divinum. D. N. Præpoſiti.

℞. *Opopanacis,*
Maſtiches,
Ariſtolochiæ longæ, &
Æruginis, ſingul. unciam unam.
Olibani, i. Thuris, unc. 1. drach. unam.
Galbani, &
Myrrhæ, utriuſque drach. decem.
Bdellii, uncias duas.
Ammoniaci, uncias tres, drach. tres.
Lap. Heraclii, i. Magnetis, uncias tres.
Ceræ flavæ, uncias octo.
Lithargyri auri, &
Olei communis, utriuſque lib. unam & ſemiſſem.

Sic para Emplaſtrum. Lithargyrum cum Oleo coquendum. Tum Cera minutim conciſa addenda: ea liquata auferendo, adduntur que, Gummi & Bdellium ex Aceto, vel Vino diſſoluta: colata & cocta. Deinde pulveres triti, Myrrhæ ſcilicet, Thuris, Maſtiches, Ariſtolochiæ, & Magnetis. Poſtremo Ærugo, ne diutius cocta Emplaſtrum rubrum evadat.

Paraphraſis.

Repoſitus refert hoc Emplaſtrum acceptum *Nicolao*. Verùm quiſnam ille fuerit, nequaquam poſſum ego divinare, cùm in *Antidotariis Myrepſi* & *Salernitani* reperire non potuerim. Quod nihilominùs, ob raras virtutes ſuas, in curandis veteribus ulceribus, meruit nomen (*Divinum.*) Color advenit illi ab ærugine cocta vel non cocta. Cocta enim rubrum facit: non cocta, viride. Præſtat cocta, quam cruda.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

PRimò pulveranda ſunt ſeorſim ſingula, Lithargyrum, Magnes, Myrrha & Bdellium, ſi ſiccum ſit, Thus, Maſtiche, Ariſtolochia & Ærugo. Simul liquanda ſunt, cum Aceto, vel Vino, Galbanum, Opopanax, Ammoniacum & Bdellium, ſi molle ſit & recens. Poſt, colanda ſunt & coquenda ad ſpiſſitudinem Mellis. Quod cum factum ſit, Lithargyrum cum Oleo in lebete agitandum eſt: Poſt, coquendum aſſiduè movendo, ne aduratur. Cui intendere debet Pharmacopœus, quòd parum Olei ingrediatur. Deinde, adjicienda eſt Cera minutim inciſa. Qua ſoluta, & lebete

jam

jam ab igne remoto, imponentur Gummia. Paulò pòst, Pulveres Aristolochiæ, Magnetis, Myrrhæ, Mastiches & Thuris: Tandem Ærugo. Qui rubrum esse volunt, adjicient eam paulò ante Ceram. Cum totum quasi refrixerit, reducetur in Magdaleones, quantos quis voluerit.

Emplastrum de Mastiche. Incerti Authoris.

℞. *Mastiches,*
Terebinthinæ,
Picis Navalis,
Oleorum Mastichini, &
Nardini, singul. lib. dimidiam.
Resinæ, &
Ceræ, utriusque libras duas & semissem.

His liquatis, extra ignem, adde pulverem sequentem.

℞. *Ladani puri, &*
Thuris, utriusque uncias quinque.
Fol. Lentisci, vel alterius arboris astringentis, *&*
Myrtillorum, utriusque uncias quatuor.
Sumach,
Berberis,
Hypocistidis,
Acatiæ,
Rosarum rubrarum,
Santali rubri,
Coralli rubri,
Boli Armenæ, &
Terræ Sigillatæ, sing. unc. duas.
Galangæ,
Cyperi,
Mentæ siccæ,
Coriandri præparati,
Ligni Aloes, &
Cinnamomi, singul. unciam unam & semissem.
Cymini, ex Aceto prius infusi & torrefacti,
Absinthii Pontici, majoris, seu Rustici,
Sampsuchi,
Florum Rorismarini,
Trochisc. Galliæ Moschatæ, singul. unc. semiss.

Forma Magdaleas.

Paraphrasis.

QUis Author sit Emplastri hujus incertum nobis est: nomen cepit à Basi sua Mastiche in principio posita. Cujus astrictio augetur per unam partem medicamentorum ingredientium. Altera pars inditur viscerum gratiâ. Reliqua ad formam inducendam. Hanc descriptionem mutuatus sum ego è Pharmacopœa *Jouberti.*

De Mixtura sive Componendi ratione.

IN primo trituræ ordine imponentur Ligna, Radices, & Canella: In secundo Acacia, Hypocistis incisa & semina omnia. In tertio herbæ & flores Rorismarini. Singula per se in pulverem reducentur, Ladanum, Thus, Mastiche, Corallum, Bolus, Terra Sigillata, & Trochisci. Quibus non est Lentiscus, sumant folia Myrtillorum vel cujusque arboris alterius astringentis. Priusquam pulveratur Cuminum, infundi oportet per noctem unam in Aceto, dein torreri in Sartagine sive Batillo calido. Deinde liquari oportet Ceram, Resinam & Picem nigram, (cognomento Navalem, quoniam illâ liquatâ Naves, & Marina alia Navigia, ut Lintres, Cymbæ, &c. inungantur) cum Oleis. Pòst adjicietur Terebinthina. Lebete ab igne sublato, dissolventur Ladanum & Mastiche. Paulò pòst alii pulveres leniter movendo, dum probè incorporentur, ut non in grumos concrescant. Tum demum formentur grandiusculi Magdaleones, qui involuti papyro candida usui recondentur. Hoc Emplastrum supplere poterit defectum insequentium *pro Stomacho & Matrice, & de Ladano.*

Emplastrum

Emplastrum pro Stomacho. D. M.

℞. *Agallochi seu Ligni Aloes,*
Absinthii Romani, seu Pontici majoris.
Idem.
Gummi Arabici,
Mastiches,
Cyperi,
Costi, &
Zinziberis, singul. unc. semiss.
Calami Aromatici officinarum, pro vero,
Thuris, &
Aloes Hepaticæ, singul. drach. tres.
Caryophyllorum,
Macis,
Cinnamomi,
Spicæ Nardi,
Nucis Moschatæ,
Gallæ Moschatæ,
Schœnanthi, singul. drach. unam & semiss.

Excipe Miva Composita (Cydoniorum) seu Aromatica: & utendi tempore cum panno intenderis, suffies Ligno Aloes.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum nomen induit, à virtute sua corroborante ventriculum seu stomachum frigidum. Hic Miva imponitur, ad corpus addendum & formam Emplastro, à nobis in *Sectione nostra secunda.* Et à *Mesue* in *sexta dessinctione sua Grabadini.* Mixtura facilis est ei qui observat ordinem in tritura, descriptum in præcedente: & ut pulveres subigantur in sufficiente quantitate Gelatinæ, sive Mivæ Cydoniorum Aromaticæ: ut inde formentur Magdaleones recondendi.

Aliud Emplastrum pro stomacho. D. M. Bened. Textoris.

℞. *Corallirubri,*
Aloes lotæ,
Menthæ siccæ,
Absinthii Pontici,
Cinnamomi,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Galangæ,
Calami Aromatici,
Mastiches,
Mannæ Thuris,
Styracis Calamites, &
Benjuini, singul. drach. tres.
Caryophyllorum, &
Rosarum rubrarum, singul. drach. sex.
Ladani puri, &
Terebinthinæ, utriusque uncias octo.
Ceræ novæ, lib. unam & semissem.

Forma Emplastrum. Hoc Matisconi *præparatur.*

Paraphrasis.

QUidam ad differentiam ponendam hujus à præcedente, hoc Emplastrum cognominant de Ladano. Tanquam ab eo quod in majore quantitate ingreditur quam ullum aliud. Quam appellationem retinuimus nos, quæ suum demonstrat effectum.

Mixtura non dissimilis illi de Mastiche, nisi in hoc, quod nihil Olei intret. Terebinthinæ quantitas defectum supplet, redditque Emplastrum magis glutinosum & adhærens.

Emplastrum pro Matrice. D. B. Textoris.

℞. *Ceræ flavæ,*
Picis Navalis, &
Terebinthinæ, singul. uncias quatuor.
Mastiches, &
Thuris, utriusque uncias duas.
Ladani, unciam unam.
Styracis Calamites,
Calaminthæ,
Origani, &
Nucis Moschatæ, singul. unciæ semissem.
Calami Aromatici, seu Acori veri,

Rad.

Rad. Nardi Indicæ,
Phu, i. Valerianæ majoris,
Bistortæ, &
Caryophyllorum, singul. drach. duas.
Trochisc. Aliptæ Moschatæ,
Galliæ Moschatæ, utriusque drach. unam.
Moschi optimi, scrup. semiss.
Olei Nardini, quantum sufficit.

Fiat Emplastrum.

Hanc descriptionem retinendam, & cæteris hujus nominis anteponendam censeo: quod ex selectioribus medicamentis titulo enunciatis, sit composita, & miro artificio concinnata. Veruntamen si cuipiam, *Nicolai Præpositi* magis placuerit, parabit ut sequitur.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum sumpsit nomen à parte (affecta) cujus gratia præcipuè compositum fuit, quod cum eleganti quodam & concinno artificio componatur & ex medicamentis selectis & matrici accommodatis, suaderem ut præferatur illi quod *Præpositus* describit. Ut unusquisque sano qui judicio est conferendo hoc cum illo cognoscere poterit. Si qui tamen magis afficiantur uno quam altero, præparare poterint in hunc qui sequitur modum.

De Mixtura sive Componendi ratione.

SImul in pulverem redigi debent Radices, Caryophylli, Nuces Moschatæ & Herbæ, Per se singula, Mastiche, Thus, Styrax, Ladanum, Moschus & Trochisci: pòst omnia simul permisceri. Tum cura fit, ut simul solvantur, Cera & Pix cum duabus circiter unciis Olei Nardini, dein adjiciatur Terebinthina. Quo facto & lebete ab igne sublato, paulatim addantur pulveres continenter movendo, ut non concrescant in grumos: & de tota massa fingantur Magdaleones, qui usui serventur.

Emplastrum pro Matrice. D. N. Præpositi.

℞. *Ladani puri, lib. quatuor.*
Picis Navalis, lib. quatuor.
Ceræ flavæ, lib. unam & semiss.
Terebinthinæ, lib. semiss.

Liquatis omnibus injice pulverem sequentem.

℞. *Radicis Bistortæ, lib. unam.*
Lignorum Aloes, &
Santali Citrini,
Nucis Moschatæ,
Berberis, &
Antheræ, singul. unc. unam.
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Schœnanthi,
Florum Chamæmeli, singul. unc. semiss.
Masticbes,
Thuris,
Trochisc. Aliptæ Moschatæ, &
Galliæ Moschatæ,
Styracis Calamites, &
Styracis rubræ singul. drach. tres.
Moschi optimi, drach. semiss.

Fiat Emplastrum in Magdalias, usui reponendum.

Scholia.

Anthera *nomen est Compositionis, ad oris gingivarumque ulcera,* Dioscoridi, Galeno, Celso, Paulo, Myrepso *usitata, quæ nunc exolevit. At* Præpositus *nullam Compositionem hîc intellexit; sed apices & granula illa lutea, quæ Rosarum capillis innitent: quæque siccata nigricant: & falsò ab eo & à reliquis sui temporis Proceribus Medicis nuncupantur* Anthera. *Hæc vox videtur deturbata, ex Græco nomine* ἄνθος, *&* ῥόδον, *i. Flos Rosæ.*

De Miſtura ſive Componendi ratione.

SImul pulverare oportet, Ligna, Radices, Canellam, Caryophyllos, Semina & Flores: Seorſim ſingula, Maſtichen, Thus, Trochiſcos. Styracem rubram & Calamiten, & Moſchum, dein miſceri. Ladanum tanta in quantitate liquari debet in Mortario & Piſtillo perquam calidis. Deinde adjici Cera & Pix nigra liquatæ per ſe in quadam Authepſa. Probè jam incorporatis, imponetur Terebinthina, & tandem pulveres. Conſulerem ego, ut adjiciatur parum quid Olei Nardini, ob tantam quantitatem pulverum, ut reddatur Emplaſtrum mollius & tractabilius, & ne citius æquo deſiccetur, atque diutius conſervetur.

Emplaſtrum Oxycroceum. D. N. Myrepſi.

℞. *Croci optimi,*
Picis Navalis,
Colophoniæ, &
Ceræ, ſingul. unc. quatuor.
Terebinthinæ,
Galbani,
Ammoniaci,
Myrrhæ,
Thuris, &
Maſtiches, ſing. unc. unam, drach. tres.

Galbanum & Ammoniacum, macerentur in Aceto nocte una. Igne liquata & colata coquantur ad Aceti conſumptionem. Simul liquantur Pix Navalis, Cera & Colophonia. Tum additur Terebinthina cum Gummis. Poſt emò, Pulvis Maſtiches, Myrrhæ & Thuris, ſemper movendo ſpatula. Ubi refrixerit, ſuper marmor Oleo inunctum, funditur. & Crocus pulveratus inſpergitur, ac ſubigitur in Magdalias, & reponitur Emplaſtrum.

Paraphraſis.

MYrepſus cognominatus *Alexandrinus*, deſcribit hoc Emplaſtrum, in *Sectione* 10. *cap.* 14. *Antidotorum*, quod nomen ſumit tam ab Aceto in quo Gummia infunduntur, quam à Croco, qui in magna quantitate ingreditur, & unde carius venditur. Quapropter Apothecarii quidam ut quæſtum majorem faciant, & plus à Chirurgis lucrentur, immittunt vnã duntaxat unciã, quæ mihi videtur ſufficere, cum non multum adaugeat Emplaſtri virtutem. Ejus autem loco, nonnulli injiciunt æquum pondus pulveris aſtringentis: ut magis accommodum ſit fracturis & diſlocationibus: eoque tum utuntur vice Cerati deſcripti à *Vigone lib.* 8. *cap.* 16. *Magnæ Chirurgiæ ſuæ* & à nobis ſuperius, idque fœlici cum ſucceſſu. Quod quidem probabile eſſet, ſi Gummia calida & attractiva, nempe Galbanum & Ammoniacum ſubducta eſſent & ſublata.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

SEorſim pulverizanda ſunt, Crocus, Thus, Myrrha & Maſtiche: Tum liquanda Cera, Pix nigra & Colophonia, cum duabus unciis Olei Maſtichini: Quod cum factum eſt, adjicientur Galbanum & Ammoniacum (infuſa prius in Aceto una nocte, & cocta uſque ad conſumptionem ipſius) & Terebinthina, lebete ſive authepſa ab igne ſublata, continuè movendo cum ſpatula. Paulò poſt, & cum tantum non refrixerit, injicientur pulveres Thuris, Myrrhæ & Maſtiches. Poſtremò cum prorſus refrixerit, ſubigetur maſſa ſuper marmor Oleo inunctum, vel in magno mortario cum Croco, ac tum demum formentur Magdaleones, uſui recondendi. Qui habituri ſunt hoc Emplaſtrum in officinis ſuis, omittere ſubſequens poterint: & vice verſa, quia parum facultate differant.

Emplaſtrum

Emplastrum Ceroneum. D. N. Salernitæ.

℞. *Ceræ Citrinæ, &*
Picis Navalis bene colatæ, utriusque uncias duas & drach. tres.
Sagapeni, unc. duas.
Ammoniaci,
Terebinthinæ,
Colophoniæ, &
Croci, singul. unc. unam, drach. tres.
Aloes Hepaticæ,
Thuris, &
Myrrhæ, singul. unciam unam.
Opopanacis,
Galbani, &
Styracis Calamitæ,
Mastiches,
Aluminis,
Fœnugræci, singul. drach. sex.
Consitæ, i. Styracis rub. &
Bdellii, utriusque drach. tres.
Lithargyri, drac. unciam & semissem.

Gummi in Vino per noctem macerentur, tum coquantur ad Vini consumptionem. Deinde his adde Terebinthinam.

Postea liqua Ceram, Picem & Colophoniam: Tum dissolve Gummi. Paulò pòst reliqua pulverata, exceptis Aloë & Croco, quæ super marmor Oleo Laurino inunctum subiguntur manibus eodem Oleo inunctis, & reducuntur in Magdalias.

Paraphrasis.

HUic Emplastro nomen inditum est à Cera, quod in *Antidotario Nicolai Salernitani* describitur. Facultas ejus parum differt à Præcedenti: Adeo ut qui alterum habet omittere possit alterum.

De Mixtura sive Componendi ratione.

SIngula quæque reducenda sunt seorsim in pulverem, videlicet Crocus, Aloe, Thus, Myrrha, Mastiche, Styrax ruber & Calamita, Alumen, Fœnugræcum, Lithargyros & Bdellium si sit siccum, sin minus, infundendum est cum Gummis, Galbano, Sagapeno, Opopanace & Ammoniaco, in Vino rubro, concisis. Sequenti die liquata, super ignem, colari debent, & coque ad consumptionem ejusdem Vini, quibus adjiciatur Terebinthina. Deinde curandum est, ut Cera, Pix nitida & Colophonia super parvum ignem liquentur. Postea sublatis ab igne, addentur Gummia & Terebinthina commista, continuè movendo cum spatula. Paulò pòst, injicientur Lithargyros, Fœnugræcum, Alumen, Myrrha, Thus, Styrax, Mastiche & Bdellium pulveratum, si siccum sit: Cum omnia refrixerint, & posita super marmor inunctum Oleo Laurino, subigentur cum Aloe & Croco, manibus Oleo Laurino dicto inunctis. Unde formentur postea Magdaleones, usui servandi.

Emplastrum Joannis Vigonis, *seu de Ranis.*

℞. *Vini rubri optimi, lib. duas.*
Axungiæ Porci, &
Vituli, utriusque lib. unam.
Ranas viventes, numero sex.
Lumbricorum vino lotorum, uncias tres & semiss.
Axungiæ Viperæ, uncias duas & semiss.
Succorum radic. Ebuli,
Inulæ Campanæ,
Oleorum Chamæmeli,
Ol. Anethi,
Spicæ nostratis, &
Liliorum, singul. uncias duas.
Laurini, unciam unam & semissem.
De Croco, unciam unam.
Thuris, drach. decem.
Euphorbii, drach. quinque.
Schœnanthi,
Stœchadis Arab. &
Matricariæ, singul. M. i.

Bulliant omnia simul ad Vini fermè consumptionem. Colaturæ adde,
Lithargyri auri, lib. unam.
Terebinthinæ claræ, uncias duas.

Ceræ Citrinæ potius quam albæ, quantum sufficit.

Adde sub finem, Styracis liquidæ, unciam unam & semissem.

Tum ab igne depone, & ubi refrixerit, misce Argenti vivi, Salivâ hominis jejuni vel potius adipe Suillæ extincti, uncias quatuor. Nonnulli hoc duplicant, alii triplicant & quadruplicant, ut sit efficacius in Syphilide morbo, seu Neapolitano curando.

Paraphrasis.

Ioannes de Vigo, hujus Emplastri Author id describit *in libro quinto cap. 2. suæ Chirurgiæ* agens de Curatione *Mali Neapolitani* sive *Morbi Gallici*, Nomen capit à Ranis quæ ingrediuntur illud. Nonnulli se torquent circa hoc, cum Author diserte & distinctè non nominet Ranas, num quæ in paludibus & stagnis degunt, an quæ versantur in vepretis, & saltitant per frutices in æstate, quasnam ex his debeant sumere. Nam hæ quidem, veneno plenæ sunt si credimus hoc quod *Plinius*, diversis in locis nobis scriptum tradidit, pluresque præter eum eruditi Scriptores: cum illis vescamur impunè & sine nocumento & ubique magnaque in copia inveniantur. Libenter vellem ut in rebus magni momenti & non hic scrupulosi essent. Non enim multum refert de quibus sumat Pharmacopœus, accipiat (dummodò majusculas seu pinguiores & vivas ut Author præcipit) sive sint paludstres, sive sylvestres è frutetis: quandoquidem remedium est externum, & non internum.

De Mistura sive Componendi ratione.

PRimum coquere oportet Ranas viventes & Lumbricos in Vino lotos, cum Porci & Vituli pinguedinibus & Vino requisito ad tertiæ partis illius consumptionem, tum adjicere Matricariam, Stæchadem & Schœnanthum: Paulo post apponere Succos & Olea Anethi, Chamæmeli, Liliorum & Laurinum, cum Axungia Viperæ (vel * Serpentis mense Julio capti) si quis illam parare non possit, usque ad medietatis humoris aquei consumptionem; qui restat inserviet ad coctionem Lithargyri. Deinde totum fortiter exprimetur, inque Colatura coquetur Lithargyros super ignem mediocrem continenter movendo spatula, ut non uratur, sicut ante dictum est, tum indatur Cera: qua liquata, tolletur lebes ab igne, ut addantur Olea de Spica & Croco (*Descriptionis Mesuæi in Antidotario sui Distinctione 12.*) Euphorbium & Thus pulverata. Postremò, Styrax liquida & Terebinthina. Cum refrixerit, super marmor Oleo inunctum, subigetur Argentum vivum, prius extinctum, cum portiuncula Axungiæ Porci, vel Terebinthinæ, potius quam cum Saliva, utcunque Author ita præceperit, ut è tota massa formentur Magdaleones recondendi.

* *Colubri.*

Emplastrum ad Herniam. D. N. Præpositi.

℞. *Lithargyri auri,*
Ceræ rubræ,
Colophoniæ,
Galbani,
Ammoniaci, &
Terebinthinæ, singul. uncias duas.
Picis Navalis, &
Aloes, utriusque uncias tres.
Bdoli Armeni,
Symphyti majoris, &
Minoris,
Aristolochiæ longæ, &
Rotundæ,
Gypsi,
Lumbricorum terræ, &
Gallarum, singul. uncias quatuor.
Baccarum Visci Querni, aut alterius arboris astringentis,
Myrrhæ, &
Thuris, singul. unc. sex.
Sanguinis humani vel Suilli sicci, lib. unam.

Pellis à Vervece, mox ubi abluta est cum sua lana coquatur in aqua, ad ejus dissolutionem. Deinde expressa pelle, & rejectâ lanâ Baccas Visci Querni, in eo jure decoque & cola. Colaturæ injice Lithargyrum: Paulò post, Colophoniam, Ceram & Picem, semper movendo ne uratur. Decocto prope consumpto, Galbanum & Ammoniacum Vino soluta, colata, & ad mellis crassitiem cocta, & Terebinthina extra ignem, injicienda erunt:

erunt : & Lumbrici Vino purgati, & in recenti ad eorum solutionem cocti, per se, vel cum pelle Arietis : Postremo reliqua pulverata. Tempore nimis duresci, ni addatur Oleum Myrtinum, aut Mastichinum ad uncias octo : vel Terebinthinæ dosis augeatur ad uncias sex aut octo : & Forma Magdaliæ.

Paraphrasis.

HOc Emplastrum nomen cepit ab effectu suo : Quod quidam cognominant, de Pelle Arietina quæ id ingreditur. Quoniam Viscum Quernum est rarum ; in compositione hujus Emplastri, potius quam sumatur lignum id quod Pharmacopœi nostri ab Herbariis emunt, suadeo ut accipiant Baccas alterius Visci sive sit Pyri sylvestris aut alterius arboris astringentis, tempore vindemiæ, quæ sunt glutinantes & astringentes, & quæ facile in bulliendo liquantur, & reddant Emplastrum multo mollius, quam talia ligna. Quod ad Sanguinem humanum attinet, non sumendus est ille qui detrahitur hominibus Cacochymis, sed Plethoricis in vere ad præcautionem, qui siccari debet & pulverizari : (nam crudus facit Emplastrum rancescere, & quantitas quæsita parari non potest) vel æquale pondus Sanguinis Porcini desiccati, paratu facilis, & qui consimilem virtutem habet, Sanguini humano.

De Mixtura sive Componendi ratione.

SImul pulverari possunt radices Aristolochiæ longæ & rotundæ : majoris itidem & minoris Symphyti. Per se singula, Lithargyros, Aloe, Bolus, Gypsum, Myrrha, Sanguis humanus, Thus & Gallæ, quæ recondi oportet. Quo facto, sumenda est Pellis Arietis juvenculi & pinguiusculi, eademque recens : quæ concisa simul cum lana fervefiet in aquæ sufficiente quantitate dum tota liquetur, restante lanâ tantum : dein exprimatur per fortem telam vel pannum lineum. Interea, fervefieri possint Vermes terræ loti & perpurgati, in ea quantitate Vini qua possint bulliendo liquari ac solvi, si quis non malit, ut bulliant, cum Pelle arietina ut levetur opera sua & labore. In Vino Clareto, solvantur Gummia, dein colentur ad spissitudinem mellis, quibus adjicietur Terebinthina. In Colatura Pellis arietinæ coqui curabis Baccas Visci, sive sint de Quercu seu alia arbore astringente, donec resolvantur, post per eandem telã seu pannum colentur. Huic Colaturæ injiciatur altera illa Lumbricorum, (si seorsim liquati fuerint,) & Lithargyros, cum libra dimidia Olei Myrtini, vel Lentiscini, vel etiam Mastichini, quæ curabis simul decoqui movendo jugiter cum spatula, ne uratur, quousque humor superfluus ferè consumptus sit. Postea adjicientur Cera, Pix, & Colophonia : Postea tollatur ab igne lebes & immittantur Gummia & Terebinthina. Postremo Pulveres, ut cum omnino refrixerint, formentur Magdaleones ad tempus necessitatis recondendi. Hæc descriptio recepta est, & omnibus aliis ejusdem nominis præfertur.

Emplastrum Apostolicum. D. N. Salernitani.

℞. *Lithargyri auri, unc. sex.*
Ceræ rubræ, &
Colophoniæ, utriusque unc. duas.
Propoleos, &
Visci Quercini, utriusque unc. unam.
Ammoniaci, &
Cadmiæ seu Lapidis Calaminaris, utriusque drach. sex : legendum potius quam uncias sex.
Mastiches,
Thuris, &
Mummiæ, singul. unc. dimidiam.
Terebinthinæ,
Bdellii,
Galbani,
Opopanacis,
Myrrhæ,
Sarcocollæ,
Æris usti,
Squammæ æris, vel Lapidis calcis,
Ærugivis loco Prassii viridis,
Dictamni Cretici, &
Aristolochiæ rotundæ, singul. drach. tres.
Olei veteris, quantum sufficit.

Fiat Emplastrum rubrum.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

Salernitanus composuit hoc Emplastrum super illud quod describit *Myrepsus*, cognomine *Alexandrinus*, in *Decima Sectione Antidotorum, cap.* 1. alterans dosim, & augens medicamentorum numerum. Quod, accepit nomen non ex numero *Apostolorum*, sed ex admirabili & approbata efficacia sua. Propolis, *Dioscoride* Authore, cerosa, odorata, quæ reperitur in foraminibus alvearum apum: Cujus loco Pharmacopœo sumere licet Ceram hanc quæ vulgari nomine dicitur *Virginea*, grati admodum odoris. Scio enim, nolle eum insumere operam in scrutandis & palpandis alveis illis seu foraminibus pro vera Propoli, hic & alibi memorata.

De Mixtura sive Componendi ratione.

Simul pulverandæ sunt radices Dictamni & Aristolochiæ: Alia verò per se singula nempe Lithargyros, Cadmia sive Lapis Calaminaris, Thus, Mastiche, Mummia, Myrrha, Sarcocolla, Æs [ustum] Squama ejusdem, sive Calx viva, Ærugo, & Bdellium si sit siccum, Ammoniacum, Galbanum, Opopanax, liquanda sunt simul in Vino rubro, colanda & coquenda: quibus adjicietur Terebinthina. Tum coqui oportet Lithargyron pulveratum, in libra una veteris Olei super ignem mediocrem movendo continenter, usquequo probè nutriatur & semicocta sit: tum adjicientur Baccæ Visci, sive Quercini, sive alterius arboris astringentis. Paulò post injicietur Ærugo, Spuma æris, sive Calx viva, & Æs ustum, quæ in bulliendo præbeant colorem rubrum. Postea immittetur Cera rubra & virginea, propter Propolin & Colophoniam. Quibus liquatis, addentur Gummia & Terebinthina: Postremo pulveres, lebete jam ab igne sublato; & ex dimidia parte refrigerato. Post formabis Magdaleones, manibus inunctis Oleo Laurino, qui obvoluti papyro candida, recondantur. Quibus non placet hoc Emplastrum ut sit rubrum, licet illis imponere Æruginem, Æs ustum & ejusdem Spumam sub finem, sicut & alios pulveres, & non permittant coqui, & tum erit viride.

Emplastrum Nicotianæ ἄδυλον.

℞. *Succi Nicotianæ majoris, lib. semiss.*
Succi Absinthii Pontici majoris, uncias tres.
Oleorum Hyperici, &
Irini vel Sambuci, ana unciam unam & semiss.
Foliorum Absinthii Pontici majoris,
Prunellæ vel Symphyti minoris, &
Scrophulariæ majoris Matthioli, *ana manipulum unum.*
Vini albi, unciam unam & semissem.

Bulliant omnia simul, ad Vini & Succorum fere consumptionem, in vase æneo semper movendo cum spatula lignea, ne urantur. Deinde torculari exprimantur; Tum liqua,

Ceræ flavæ, uncias quatuor.
Adipis Hirci, &
Terebinthinæ, ana unc. duas.
Pulverum Thuris,
Mastiches, &
Myrrhæ, ana unciam unam.

Fiat Emplastrum in Magdalias reponendum. Strumas & quosvis humores duros, ab humore frigido, potenter remollit, ac resolvit.

Paraphrasis.

Emplastri hujus excellentia fecit id pro secreto haberi ad tempus præsens. Authorem ejus mihi est incognitus. Id habui à contemporaneo & æquali meo, *Magistro Ioanne de Puy*, Rei medicæ Doctore, residente *Mersiguæ*, qui me participem ejus fecit, sciens quod animo designaveram hasce præsentes Additiones. Basis est Succus Magnæ Nicotianæ, vulgò appellatæ *Petum*, & ab *Hispanis*, *Tabaco*, positæ in principio, & majore in dosi quam quodvis aliud Ingrediens, adeóque inde nomen accepit suum.

suum. Calore suo & siccitate, digerit, resolvit & absorbet materias frigidas, humidas crassas & viscosas scrophularum & aliorum tumorum durorum, ab humoribus frigidis ortorum. Quorum durities remollitur Oleo Irini & Hyperici, Gummis etiam, Terebinthina & Adipe Hircino, quæ omnia sicut Basis, hanc insuper vim habent dissipandi, attenuandi, digerendi, coquendi, removendi, aperiendi, detergendi & agglutinandi cum opus est. Calor ejus & siccitas humiditatum consumptiva accrescit ultra supradicta, per Succum Absinthii & Vinum album, quæ tenuitate suarum partium penetrationem aliorum juvat. * Prunella imponitur partim ad agglutinandum cum Thure, partim ut frigiditate sua contemperet calorem totius compositionis. Scrophularia adjicitur ob substantiæ similitudinem & proprietatem occultam quam habet, æquè ac Basis, cum Scrophulis sive Strumis, Hæmmorrhoidibus, Scirrhis, cunctisque humoribus duris, à causa frigida exortis: sicut etiam ad opem ferendam aliis calore suo, & facultate digerente resolvente, attenuante & consimilibus. Ceræ nullus est usus, nisi ad corpus addendum Emplastro.

* *Sive Brunella.*

De Mixtura sive Componendi ratione.

SIngula seorsim in pulverem reducenda sunt Thus, Mastiche & Myrrha. Dein curandum ut bulliant herbæ recentes cum Succis, Vino albo & Oleis, in æneo lebete: quæ continuè movebis in fundo, cum spatula lignea, ne urantur: neque expectandum est dum tota humiditas consumatur. Omnibus torculari expressis liquari oportet & solvi in Colatura, Ceram, Adipem Hirci sive Hœdi: extraque ignem Terebinthinam. Cunctis, cum fermè refrixerint, adjicientur pulveres, ut cum omnino refrixerint, formentur Magdaleones, ad usum recondendi.

Emplastrum Paracelsi.

℞. *Olei Communis, lib. duas.*
Lithargyri auri, lib. unam.
Ceræ flavæ, lib. semissem.
Terebinthinæ claræ, uncias quatuor.
Gummium Ammoniaci, &
Elemi, ana uncias duas.
Olei Laurini, unciam unam & semiss.
Gummium Bdellii,
Opopanacis, &
Galbani,
Pulverum radicis Aristolochiæ rotundæ,
Lapidis Calaminaris,
Mastiches,
Myrrhæ,
Thuris, &
Aloes, ana unciam unam.

Fiat Emplastrum.

Paraphrasis.

LIbenter hîc volui hoc Emplastrum inserere, ut satis cuique facerem: quod sciam multos Chirurgos & alios plurimi illud facere in vulneribus, seu cruentis plagis sanandis. Verum quoniam Authoris sui doctrina, ejusque Sectatorum nullum omnino habeat sympathiam nec conformitatem cum professione nostra Dogmatica, non pluris habeo hanc descriptionem, quam cætera scripta sua. Satis igitur mihi fuerit docere tantum mixturam illius, ut morem geram & prosim iis qui uti eo voluerint.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimo in loco in pulverẽ vertenda sunt seorsim, radices Aristolochiæ rotundæ, Lapis Calaminaris (quæ Cadmia est fossilis seu naturalis, qua utuntur Artifices ad reddendum Cuprum flavum, quod sua natura rubrum est) Mastiche, Thus, Aloe & Myrrha: Tum opus est ut incidantur minutim & liquentur Gummi Elemi, Bdelliũ, Ammoniacũ, Galbanũ & Opopanax in Aceto: ut colentur & coquantur, usq; ad consistentiam Mellis: Lithargyros subtiliter pulverata & lota coquetur (ut supra diximus ad Diachylum) continenter movendo ad fundum, cum ampla spatula lignea, Alioqui, Lithargyros ureretur, nec cum Oleis nutriretur. Quod cum factum est, lebete

ab

ab igne ſublato, liquetur Cera flava: Deinde imponatur Terebinthina: Paulò poſt, pulveres, & cum omnia tantum non refrixerint, indetur Thus, ne ex calore in grumos concreſcat. Ex hujuſmodi paſta, formentur Magdaleones, uſui recondendi.

Emplaſtrum Epiſpaſticum ſeu Veſicatorium Incerti Authoris.

℞. *Sinapi,*
Euphorbii, &
Piperis longi, ana drach. unam & ſemiſſem.
Staphidis agriæ, &
Pyrethri, ana drach. duas.
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Bdellii, &
Sagapeni, ana drach. tres.
Cantharidum, drach. quinque.
Picis Navalis,
Reſinæ, &
Ceræ Citrinæ, ana drach. ſex.
Terebinthinæ, q. ſ.
Fiat Emplaſtrum uſui reponendum.

Paraphraſis.

QUis Author ſit hujus Emplaſtri neſcio: Tam repentini verò & ſubiti effectus quod id vidi producere cum medicinæ darem operam *Monſpelii. Anno* 1605. ansam mihi præbuerunt hîc illud inſerendi in uſum & commodum publicum. Cognomen habet Veſicatorium, quod veſicas in corio & cute excitat: quandoquidem elevat bullulas ſeu veſiculas in cute partis illius cui applicatur. Antiquiores hoc genus remedii appellarunt, Pyrotica, Metaſyncritica, & Phenigmos. Nos autem communem denominationem retinentes, ab effectu nominamus Veſicatorium. Baſim conſtituunt Cantharides quarum vis Pyrotica ſeu Rubrificans, intenditur Euphorbio, Pyrethro, Sinapi, Pipere longo & Stapide Agria, ſeu Herba Pediculari. Gummia & Reſinæ hîc induntur ad trahendum à centro ad circumferentiam, & reddendam aliorum actionem vegetiorem. Cera ad formam & corpus inducendum Emplaſtro.

De Miſtura ſive Componendi ratione.

PUlverizandum eſt per ſe Euphorbium, cum una & altera Olei gutta, ne forte emittat halitum & lædat eum qui id contundit. Alia poterint ſimul pulverari. Gummia ſimul, & coquenda cum forti Aceto, ut antea ſæpius diximus. Cera, Reſina & Pix nigra, liquanda cum uncia una aut ſeſcuncia Terebinthinæ claræ: dein adjicienda Gummia cocta, Poſtremò extra ignem, Pulveres. Paſta in Magdaleones formata recondetur, donec uſus poſtulet Conſulo hîc, ex mente *Galeni lib.* 11 *Simplicium Medicamentorum*, ut accipiantur Cantharides integræ, non ſublatis capite, pedibus & alis, ut placet *Hippocrati* 4°. *De victu acutorum. Particula* 122.

Emplaſtrum de Linamento. D. Rambardi.

℞. *Linamenti minutim inciſi, lib. ſemiſſem.*
Olei communis, lib. duas.
Ceruſſæ, lib. unam.
Ceræ Citrinæ, lib. ſemiſſ.
Olibani ſubtil. triti, uncias quatuor.
Fiat Emplaſtrum uſui in Magdalias condendum.

Paraphraſis.

AUthor hujus Emplaſtri eſt *M. Nicolaus Rambard*, qui fœliciter exercet Chirurgiam in *Fouenay Comte*, urbe *Piſtoriæ*, qui nomen ei dedit de Linamento. Quidam adjiciunt ei alia medicamenta, ſecundum varias indicationes, quas ſumunt de malo ipſo & natura partis affectæ. Ego hanc retinui deſcriptionem, velut ſimpliciorem & faciliorem.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

IN magno aliquo & amplo lebete, ſub camino quodam, diu bullire facias Oleum, cum Linamento minutim conciſo, ut liquetur prorſus, ut omnino diſpareat. Cui adjicies Ceruſſam & aquæ paululum, ut citius concoquatur: Poſt Ceram. Tandem cum lebes quaſi media ex parte refrixerit, injicies Thus in pulverem reductum. E maſſa fiant Magdaleones uſui neceſſario.

APPENDIX
AD
Bauderoni Pharmacopœam.

In qua formulæ aliquot remediorum, quæ in communi usu veniunt, describuntur: quibus carere non debet Pharmacopœi officina.

ADjunximus hîc quasi per Appendicem, aliquot descriptiones communes & usitatas (quas in promptu esse oportet in officina Pharmacopœi) quoniam non erat locus alius in hoc libro collocandi eas aptus præterquâ hic. Initium ergo faciamus à Decoctionibus ordinariis Medicis: deinde describemus aliquot principales aquas & compositas, quæ conveniunt morbis tam internis quam externis, tam per os sumptis quam extra adhibitis. Postremò remedia quædam domestica. Imposituri finem huic operi, summario quodam Tractatu de Ponderibus & Mensuris suprà usitatis, verba facturi sumus.

Decoctio Communis Medicinæ.

℞. *Hordei mundati, Pugillum unum.*
Prunorum paria sex.
Passularum mundatarum, &
Glycyrrhizæ, ana unciam semissem.
Seminum Anisi, &
Fœniculi, ana drach. duas, si hyems fuerit: Si vero Æstas, substitues Seminum quatuor frigidorum majorum, ana drach. duas.
Florum trium cordialium, Pugill. unum.
Coque ex arte in aqua sufficienti, ad medias: Dein cola usui.

Decoctio Pectoralis.

℞. *Hordei integri, pugillum unum.*
Caricarum Pinguium,
Jujubarum vel Sebestен, &
Dactylorum, ana paria tria.
Passularum mundatarum ab acinis, &
Glycyrrhizæ, ana unciæ semiss.
Hyssopi mediocriter siccæ, manipul. semissem.
Bulliant in aquæ sufficienti quantitate, & Colatura servetur usui.

Decoctio communis Clysteris.

℞. *Herbarum quatuor emollientium, &*
Mercurialis, ana manipul. unum.
Seminis Fœniculi. unciæ semissem. Si Hyems sit: Si Æstas fuerit, Seminum quatuor frigidorum majorum, unciam unam.
Coque ex arte, in aquæ sufficienti quantitate, & Colatura utere.

Aqua Cinnamomi. D. Matthioli.

℞. *Aquæ Rosar. optimi odoris, lib. quatuor.*
Cinnamomi selecti & contusi, lib. unam.
Vini albi recentis, & optimi, lib. semiss. seu uncias sex.
Infundantur simul super cineres calidos, spatio viginti quatuor horarum, in vase vitreo aut vitrato, angustissimi oris, operculato.
Sequenti vero die reponantur in Alembico vitreo & destillentur in Balneo Mariæ, usibus necessariis.

Aqua Theriacalis. D. Bauderoni.

℞. *Theriacæ mediæ ætatis probatæ, unc. 3.*
Radicum Tormentillæ,
Angelicæ,
Scurſoneræ,
Dictamni Cretici, &
Ligni Saſſafras, ana uncias duas.
Boli Orientalis, unciam unam.
Seminum Juniperi,
Citrii mundati,
Cardui Benedicti,
Acetoſæ, &
Portulacæ, ana unciæ ſemiſſem.
Herbarum Betonicæ,
Calthæ ſeu Calendulæ,
Meliſſophylli, i. Citraginis ſeu Meliſſæ,
Scordii, &
Borraginis vel Bugloſſi, ana manipulum unum.
Cinnamomi, &
Macis, ana drach. duas.

Incidenda & contundenda, incidantur contundanturque: & ſimul biduò macerentur, ſuper cineres calidos, in vaſe vitreo obturato, in Aceti Roſati, ex Vino albo optimo parati lib. duas.

Succi Limonum vel Citrii mali, & *Omphacii, ana lib. ſemiſſ. ſeu unc. ſex.*

Deinde deſtillentur in Balneo Mariæ: & Aqua defluens ſervetur uſui.

Doſis ad præcautionem eſt uncia una: & ad curationem unciæ duæ.

Paraphraſis.

IN *Anno milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo ſexto,* Peſtis devaſtatio tanta fuit, ut cum contagionibus venenoſiſſimis, comparari poſſet, quæ ubique nunquam ab omni hominum memoria fuiſſent. Quo quidem tempore mors mortales adeò demeſſuit, ut falce ſua repentinum mundi reditum in præcipitium ſui primi Chaos minitari videretur. Quod Magiſtrum *Bricium* Patrem meum coegit hanc Aquam componere, quam cognominavit Theriacalem, ob Theriacam Baſin ſuam in principio poſitam & majori in doſi quam aliud quodcunque ingrediens. Cujus virtus Alexiteria à tota reliqua compoſitione augetur, quæ non aliò tendit quam ad reſiſtendum veneni malitiæ, & cardiaca facultate ſua tutandum cor partéſque vitales ejuſdem. Uſus illius fœlix ſatis fuit durante illa lætali lue cum multorum mortalium commodo, quorum bona pars etiamnum ſuperſtes hodiè vivit in rei teſtimonium. Hac uti quis poterit, hyeme atque æſtate (moderate tamen pro ratione accidentium quæ poſſunt poſthac advenire, idque ex conſilio doctorum Magiſtrorum & probè expertorum Medicorum qui tum futuri ſunt, non autem inſcientium. Si utendum ea ſit ut Prophylactico, matutino id fiat tempore, ad unius unciæ pondus. Quamprimum autem quis ſentiat leviter correptum ſe ea eſſe, ad duarum unciarum. Nam ſi jam radices egerit altius, non tantum ægro utilitatis accedet. Hoc dico, ne quis temerè vitio vertat remedio ipſo ex ſe bono & ſalutari, ſi opportunè &, ut decet, adminiſtretur.

De Mixtura ſive Componendi ratione.

RAdices, Saſſafras, Semina & Cortices, contundi debent: & Herbæ recentes incidi. Pòſt, cum Theriaca & Bolo Orientali omnino infundi in Succis & Omphacio ſuper cineres calidos per biduum in vitreo vaſe probè obturato, ne virtus exhalet. Sequenti die in Alembico vitreo probè lutato, in Balneo Mariæ, omnia deſtillentur, & Aqua quæ defluit recondetur uſui neceſſario.

Clareta Simplex.

℞. *Aquæ vitæ optimæ, lib. ſemiſſ. ſeu uncias ſex.*
Aquæ Roſarum, uncias quatuor.
Succhari albi, uncias tres.
Cinnamomi interioris & ſelecti, unciam unam.

Infundantur ſimul in vaſe vitreo ſtricti oris, bene operculato: ſpatio 24 horarum. Deinde bis aut ter colentur per Manicam Hippocratis dictam: & ſerva uſui. Cor &

partes

partes principales reficere & recreare; calorem nativum fovere & flatus discutere potens est. Dosis uncia una, mane tantum jejuno ventriculo.

Clareta Composita.

℞. *Radicum Paoniæ Lunæ decrescente collectæ, &*
Visci Quercini, ana uncias duas.
Lignorum Lentisci vel Terebinthi, &
Lauri, ana unciæ semissem.
Florum Betonicæ,
Rorismarini, &
Salviæ, ana pugillos duos.
Macerentur simul, ut dixi suprà, in Vini albi optimi libra una & semisse.
Aquæ Melissæ, lib. semisse.
Saccheri albi, unciis quinque.
Cinnamomi interioris, uncia dimidia.
Destillentur omnia simul in duplici vase; & serventur usui.

Paraphrasis.

HÆ Aquæ cognominatæ Claretæ, sunt Modernorum Inventionis, multúmq; usitatæ à Dominibus Aulicis, sæpè nullo commodo, sed illarum præjudicio & detrimento. Quare consulerem illis consilio Medici sui uti priusquam illis utantur. Utraque facilis mistura est, modò Pharmacopœus probè in arte sua versatus sit. Composita præcellit adversus Epilepsiam aliásque frigidas ægritudines, tam Cerebri quam Nervorum, si jejuno stomacho sumatur, pondere unciæ unius, vel quantitate duorum aut trium Cochlearum. Eadem ratione componi possint aliæ, diversis morbis, ægris & temporibus accommodatæ.

Aqua contra Calculum. D. Renodæi.

℞. *Radicum Eringii,*
Ononidis, seu Restæ Bovis,
Raphani sylvestris, &
Apii, ana uncias duas.
Siliquarum Fabarũ recentium, nuc. tres.
Herbarum Saxifragiæ,
Pimpinellæ,
Betonicæ,
Cretæ marinæ, quæ Gallis *Bacilles* dicitur,
Sisymbrii aquatici, Gallice *Cresson.*
Ameos, vel Seminis ejusdem, &
Summitatum Althææ, ana manipulei duos.
Mala Citria in orbiculos secta numero iria.
Baccarũ Halicacabi, vulgò *Alkekengi,*
Cicerum rubrorum, &
Seminis Lithospermi, i. Milii Solis, ana unciæ duas.
Macerentur per diem integram in Vino albo tenui. Deinde, destillentur in Alembico vitreo, & Aqua servetur usui.

Dosis esto unciæ duæ, plus minúsve pro indicatione varia, & laborantis palato. Utendi tempore, si in singulas doses, addideris Olei Vitrioli, guttam unam aut alteram, vires habebit efficaciores.

Paraphrasis.

HAnc Descriptionem mutuatus sum ex Antidotario *M. Ioannis Renodæi*, Medici *Parisiensis*, *Descrip.* 8. *Append. lib.* 6. quod censuerim dignam hac paraphrasi, & ei quod Inscriptio sua promittit accommodam. Nomen huic Aquæ est ab effectu suo, cum componatur è medicamentis ei congruentibus. Mixtura facilis est, & hoc respicit quod suprà diximus, ut non opus sit hìc repetere.

Aqua Cœlestis. D. Joannis Vigonis.

℞. *Radicum Hermodactylorum,*
Mechoacani,
Turbith,
Rhabarbari selecti, &
Agarici ex Aqua vitæ Trochiscati,
Sennæ Orientalis mundatæ, &
Aloes Socotorinæ, *ana uncias duas.*
Radicum Tormentillæ, vel Angelicæ,
Zinziberis,
Nardi Indicæ,
Zedoariæ, &
Galangæ veræ, ex *China* delatæ,

Corticis Mali Citrii ſicci,
Calami Aromatici Officinarum, ſeu Acori veri,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Caryophyllorum,
Cardamomi,
Piperis longi, &
Nigri,
Cubebarum,
Thuris,
Xyloaloes vel Santali Citrini,
Baccarum Lauri, &
Juniperi,
Seminum Ocymi, i. Baſiliconis,
Ebuli,
Aniſi,
Fœniculi,
Apii, &
Acetoſæ,
Herbarum Chamædryos,
Chamæpityos,
Salviæ,
Mentæ,
Majoranæ,
Pulegii Cervini, aut Regalis,
Rutæ,
Euphraſiæ,
Agrimoniæ,
Scabioſæ,
Lunariæ minoris,
Fumariæ,
Pimpinellæ,
Capilli Veneris, aut Polytrichi,
Hieracii, ſeu Dentis Leonis,
Florum Roriſmarini,
Stœchadis Arabicæ,
Centaurii minoris,
Roſarum Rubrarum vel Moſchatellarum.
Sambuci, &
Matricariæ,
Santali Citrini vel Ligni Rhodii,
Fructuum Ficuum *recentium,*
Uvarum Damaſcenarum mundatarum.
Nucleorum Pini recentium, &
Amygdalarum dulcium, ana unciam unam.
Radicum Gentianæ,
Cyclaminis, &
Bryoniæ, &
Seminis Melanthii, vulgò, *Gith, &*
Abſinthii Pontici majoris ſeu vulgaris, ana unciæ ſemiſſem.

Recentia minutim incidantur, reliqua contundantur, & in omnium pari pondere Aqua vitæ ex optimo vino deſtillatæ, omnia ſimul infundantur, in Cucurbita vitrea diligenter obturata (ne quid exſpiret) ſpatio quindecim dierum in aqua calida, aut ſepulta in cineribus calidis: deinde appoſito Capitello, cum ſuo recipiente probè lutatis deſtillentur in Balneo Mariæ, lento igne ab initio ſenſim aucto. Ubi aqua colorem mutaverit, aliud recipiens ſupponatur, & utraque aqua ſeparata, ſervetur uſui. Si pro divitibus paretur; adde

Margaritarum tritarum, unc. ſemiſſ.
Ambaris Cineritii optimi, drach. duas.
Bracteas auri numero centum.
Dulcoretur Saccharo quantum ſatis.

Paraphraſis.

INſerui hîc præſentem Compoſitionem, quorundam precibus ſollicitatus, quamvis ea non tanti æſtimetur. Deſumpſi eam ex Antidotario *Joannis de Vigo, Capite ultimo,* cui ille adjicit multum Omphacii, ut eam magis accommodaret, ei quod ipſe promittit: Egò verò ei adjeci ampliùs Radices Mechoacan, Turbith, Agaricum & Sennam: mutavique pondera malè aptata, ad efficiendum quod ille dicit. Mixtura fiet ſicut ante expreſſimus.

Laudanum Spagyricorum.

℞. *Extracti Catapotiorum de Cynogloſſa, drach. duas.*
Extracti Philonii Romani, &
Theriacæ recentis, ana drach. unam.
Ambaris Cineritii,
Moſchi optimi, &
Croci, ana ſcrupuli ſemiſſem.
Lapidis Bezoardici,
Cornu Monocerotis, ſi haberi poteſt, vel Oſſis de Corde Cervi aut Bovis (ſunt ejuſdem facultatis) *ana grana ſex.*
Olei Caryophyllorum, quantum ſatis.
Fiat Laudanum, uſui reponendum.

Paraphraſis.

Paraphrasis.

CHymici imposuerunt hoc illi nomen, à laudandis viribus. Alii peritiores appellarunt id *Nepenthes*, ac si dicam Latinè, *Dolorem omnem & tristitiam virtute sua narcoticâ tollens.* Idem scilicet, quod faceret Diacodium, Philonium Romanum, vel Pilulæ de Cynoglosso, vel Theriaca recens facta. Quare, qui in officinis habent hujusmodi compositiones omittere poterint hoc Laudanum, idémque istis Agyrtis & Impostoribus transmittere, qui nullum aliud in ore habent remedium (ad omnes morbos) multisque aliis quique verbosa garrulitate sua decipiunt vulgus nimis credulum & proclive ad suum illis argentum donandum. Ex centum haud facile reperias duos inter se consentientes: & tamen suam quemque videas venditare Receptam tanquam optimam, advectam, (si Diis placet) ex Oriente & aliunde, & nescio quas admirabiles curationes eâdem perfeciſſe: De quibus, satis, si non plus satis.

Aqua Aluminosa.

℞. *Succorum Plantaginis,*
Portulacæ, &
Agrestæ, &
Aluminis Rupani, ana lib. unam.
Albumina Ovorum Gallinarum aut Anserum, numero duodecim.

Agitentur simul fortiter baculo, deinde destillentur in Alembico, & usui servetur, quæ stillabit aqua.

Lac Virginale. D. B. Bauderoni.

℞. *Lithargyri auri, subtilissimè triti, unc. duas.*
Aceti vini albi acerrimi, vel destillati, si potentius, lib. semissem.

Agitentur simul diu in Phiala: dein per filtrum seu pannum densum destillentur: & serveturusui aqua in dicta Phiala; Cera diligenter obducta.

℞. *Camphoræ, drach. semissem.*
Aluminis Rupani,
Cerussæ, ana drach. duas.
Salis Ammoniaci, drach. sex, aut si mitius requiris, unc. semiss.
Aquæ florum Fabarum, aut Vitis Viniferæ, quæ post ejus amputationem defluit mense *Martio,* vel in harum penuria Aquæ Rosarum, lib. semiss.

Pulveres mixti diu agitentur in altera Phiala: dein subsideant: Tum guttatim destillentur ut prior, & aqua similiter reponatur.

Si utendi tempore, hæ duæ aquæ mensura æquali misceantur, Lactis colorem præ se ferent, unde illis inditum est nomen.

Plurimum valent Rubori faciei herpetibus, & cutis asperitatem deterget.

Aqua Vulneraria. D. B. Bauderoni.

℞. *Radicum Symphyti majoris, uncias quatuor.*
Pyrolæ, à Pyri folio, dictæ,
Ari vel Serpentariæ majoris,
Cyclaminis,
Angelicæ sylvestris, &
Aristolochiæ rotundæ, ana uncias duas.
Herbar. Symphyti medii, vulgò *Buglæ.*
Symphyti parvi, vulgò *Prunellæ.*
Diapensiæ, vulgò *Saniculæ,*
Alchimillæ, vulgò *Pedis Leonis,*
Scrophulariæ majoris Matthioli,
Virgæ aureæ,
Herbæ Roberti (quæ est quarta Geranii species, *Matthioli*) &
Sambuci, ana manipulum unum.
Astacorum aut Cancrorum fluviatilium, Lunâ plenâ captorum, & in clibano post detractum panem assorum, numero decem aut octo.
Mumiæ, (Sanguinem concretum dissolvit,) *unc. semiss.*

Contusis omnibus recentibus, cum Mumia pulverata, Infundantur omnia simul in æquis partibus Aquæ & Vini albi libris quatuor, in fictili vitrato, aut vitreo vase, stricti oris, operculato, super cineres calidos horis 24. Tum, in eodem vase parum bulliant, & exprimantur usui.

Paraphrasis.

Paraphrasis.

DEscripsi ego antè Balsamum quoddam, compositum ab eodem Authore. *M. Bricio Bauderono* patre meo accommodum omni hæmorrhagiæ provenienti à causa externa, ad plagas recentes & ulcera sine fractura ossis. Nunc describit ille, Decoctionem sive Aquam, ad Solutiones continui, tam internas quam externas, ubi est fractura ossis: sive ex Sclopo, seu ex alio tormento aut instrumento bellico: de qua bibat laborans singulis matutinis quatuor circiter uncias, si non adsit febris, & à meridie duabus circiter horis, tantundem. Eâdem decoctione Chirurgus poterit lavare plagam vel ulcus; & si sit interior plaga vel ulcus, injiciet intro per Syringem quotiescunque curaturus est ægrum suum. Quod si sit Dynasta quis, vel Delicatus adeò, ut non possit aut nolit tali uti decoctione, destillet in Balneo Mariæ, per Alembicum vitreum unam ejus partem, ut præbeat illi bibendam mane & duabus circiter horis à meridie, quantitatem eam quam diximus, diutiùs hoc continuando. Nec prohibetur quo minus injiciat Sacchari plus aut minus, ut grata sit palato hæc potio, permitteréque parum Canellæ integræ non contusæ in ea infundi: si stomachus sit crudus & frigidus. Altera verò parte Decoctionis, utatur Chirurgus uti dictum est.

Hæc Aqua sive Decoctio, dissolvit Sanguinem concretum, si quis est, extrahit, eximitque squamas ex ossibus confractis, & ulcera consolidat, tam qualitatibus suis manifestis quam proprietate occulta, & similitudine substantiæ. Si æger sit cacochymicus, & tentetur febre, accersere ad se debet Medicum aliquem expertum, qui præcipiat remedia necessaria, neque existimet hanc aquam sufficere posse hoc opus præstare, quandiu subsistat febris. Mixtura illius est facilis, & percipi seu intelligi poterit ex iis quæ supra dicta sunt.

Author hujus Paraphrasis hanc compositionem præsentem concinnavit, & in usum atque experimentum reduxit, fœlici cum successu, ad restitutionem & restaurationem, plurium Sauciatorũ, qui propter invaletudinem corporis è bello in Nosocomia se receperant, illud præcipuè Civitatis *Masconi*, cui tunc temporis præfuit dictus pater meus, (sicut & hodiè præest) regnante fœlicis memoriæ *Henrico* illo *Magno* ejus nominis quarto. Quod impulit me hoc ipsum hìc inserere, ut Colophonem huic operi, hoc perquam utili auxilio, ad miserorum Sauciorum curationem adderem.

Aqua ad Suffusionem. D. Bauderoni.

℞. *Herbarum Chelidonii majoris,* *Euphrasiæ, ana manipul. unum.*
Fœniculi, *Rutæ, manipul. semissem.*
Verbenæ, &
Omnia recentia minutim incisa aspergantur Vino Malvatico *vel* Apiano, *aut alio optimo, & cum*
Seminum Rutæ, *Florum Rotismarini, Pugillo uno.*
Sileris Montani, & *Fellis Perdicum, aut alterius animalis*
Seseleos Massilienfis, ana drach. tribus. *ejusdem naturæ, uncia una & semisse,*
Destillentur in Alembico vitreo, ut dictum sæpè: Aqua servetur usui.

Paraphrasis.

NOmen sumpsit sibi hæc Aqua ab effectu suo, qua uti quis poterit, in principio Catarractarum, ad detergendam materiam viscosam, retentam inter membranam adnatam & uveam, prope Pupillam & humorem Crystallinum, qui impedit quo minus spiritus visibiles possint liberè transire: ad discernenda & distinguenda objecta quæ offeruntur. Quod si talis materia illic subsistat diutiùs, adeò induratur & rigescit, ut necessariò deveniendum sit ad Chirurgicam & manualem operationem. Hujus Aquæ nullus est usus ad *Guttam serenam*, quoniam hoc vitium in nervo consistit optico, quò virtus ejus penetrare non valet ad eam amovendam.

Hydromel

Hydromel Vinosum. ἄδυλον.

℞. *Aquæ fluviatilis vel fontanæ, lib. viginti.* *Mellis* Galliæ Narbonensis, *libram unam.*

Coquantur simul, donec Ovum crudum injectum innatet. Tunc remove ab igne, & macera simul in Sole ardente vel Hypocausto, spatio unius mensis, cum Baccarum Oxyacanthæ Arabum, vulgò Berberis, recentium uncia una. Colatum servetur usui.

Paraphrasis.

HOc Hydromel cognominatum est Vinosum ob jucundum halitum quem spirat instar Vini. Si probe conficiatur ut supra dictum est, accommodum erit morbis frigidis, & expurgandæ materiæ frigidæ contentæ in Pulmonibus, fortificando ventriculo, corrigendis ejus cruditatibus, promovendæ concoctioni, excitandæ orexi seu appetitui, dissipandis flatibus, sedando cholico dolori ex pituita, & ciendæ urinæ. Qui sumunt aquam fluviatilem ad hujus Hydromelitis compositionem, permittant eum aliquot dies residere ut antea, & sedimentum deponere ac separare. Sine hoc commodum non fuerit.

Pruna Solutiva. D. B. Bauderoni.

℞. *Seminis Anisi, unc. semiss.* *Prunorum dulcium, &*
Polypodii Querni contusi, & *Mannæ* Calabræ, *ana unc. octo.*
Sennæ mundatæ, ana uncias tres. *Caryophyllorum integrorũ paria quatuor.*

Coquantur ex arte, in aquæ lib. duabus, & serventur usui.

Paraphrasis.

COmposuit hoc remedium Pater meus in gratiam vetulorum, delicatiorum & facilè solubilium: quoniam benignè movet alvum purgátque sine violentia tres humores. Hoc in loco illud descripsi, quasi remedium familiare & domesticum, quod malè affectus quisque & valetudinarius apud se habere debet. Communis dosis Syrupi erit, trium aut quatuor Cochlearium, Prunorum verò sex aut octo, matutinis solùm, sine custodia, ut dicitur.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimum mediocriter in aqua bullire curabis Polypodium contusum, cum Anisi Semine: Dein Sennam probè à suis recrementis & sordibus repurgatam: quam semel sufficiet fervefacere cum Caryophyllis integris, omniâque contegere, & permittere aliquot horis infundi, & post exprimere. Colatura pro completa depuratione, bis aut ter trajicienda erit super pannum laneum candidum: & decoquenda cum Prunis Damascenis nigris & dulcibus: & Manna in Syrupum cocta ut possit servari ut non rancescat. Ne Syrupus autem hic candescat ut dicitur & obdurescat, sumere oportet quatuor uncias Mannæ, & totidem Sacchari.

Pulvis contra Lumbricos. D. Bauderoni.

℞. *Seminum contra Vermes.* *Rasuræ Eboris, &*
Acetosæ, *Rhabarbari optimi, ana unciæ semissem.*
Portulacæ, & *Radicum Filicis, &*
Caulium, *Dictamni,*
Cornu Cervi usti, *Seminis Citrii mali mundati, &*
Coralinæ, *Lupinorum, ana drach. duas.*

Fiat Pulvis, usui reponendus.

Glandes

Glandes sive Balani solutivæ. D. Bauderoni.

℞. *Saponis* Genuensis, *lib. tres.*
Granorum Colocynthidis, uncias tres.
Pulveris Hieræ Picræ, Galeni,
Radicum Veratri albi, i. Ellebori, vel ejus loco Turpethi.
Hermodactylorum,
Esulæ præparatæ in Aceto, ana uncias duas.
Salis Gemmei, unciam unam.
Succi Mercurialis, quantum sufficit.

Fiat pasta, ex qua concinnentur Balani, seu Suppositoria, instar Glandis quercinæ, quæ siccatæ, serventur usui.

Cauterium ὁλοσηρικὸν. D. Ambrosii Parei.

℞. *Cineris Paleæ, cum siliquis Fabarum,*
&
Cineris Quercus, ana lib. tres.
Calcis vivæ, lib. tres.

Macerentur in situla Aquæ biduo, ut dicam mox, & fiat Pasta: de qua formentur Globuli, Lenticulæ instar aut Pisi, usui in cauteria reponendi.

Paraphrasis.

CAuterii hujus descriptionem, seu Ruptorii potentialis, mutuatus sum, è *Lib.* 25. *Chirurgiæ Ambrosii Parei, cap.* 32. ubi describit illud sub nomine Cauterii *Villuti* sive *Holoserici*. Ego nominavi id de *Græco* vocabulo ὁλοσηρικὸν, quod etiam significat *Villutum*, quoniam tales globuli mites sunt & lenes, sicut *Holosericum* in operatione, nec appositi dolorem ullum creent. Adde quod Author ea comparavit pro Serico & recitat jucundam admodum historiam & facetam, ad recreandum illum qui volet ad locum illum prælegatum se conferre.

De Mixtura sive Componendi ratione.

PRimùm oportet imponere cineres factas de palea fabarum unà cum siliquis suis, & illas etiam de Ligno Querno, in situlam aquæ fluvialis positas in Lebete æneo, quæ agitentur simul. Deinde restinguere Calcem vivam, & omnia denuò agitare sæpiùs cum bacillo sive rudicula, eaque permittere macerari simul per duos integros dies. Post colari bis vel ter super pannum lineum densum & spissum, usquedum aqua deveniat clara. Aqua sic colata coquetur super magnum ignem è carbonibus in æneo Lebete, seu vase fictili plumbato, continenter movendo cum bacillo, donec humiditas aquosa sit fere consumpta, sed non omnino. Ex qua formentur Cauteria instar pisi, Ciceris, aut alterius formæ pro libito: eáque serventur usui, in Phiala vitrea, Cera bene obducta & aluta: quæ reponentur in loco sicco: alioqui si aer subintret, resolventur in aquam, fientque inutiles.

SVM-

Summarium
SIVE
SVCCINCTVS TRACTATVS
DE
Ponderibus & Mensuris antehac usitatis.

MUlti, Majores nostri & Antecessores nostri adeò eruditè de Ponderibus & Mensuris scripserunt, ut (quod ad meipsum) operam & oleum, tempus scilicet atramentum & chartam hoc in argumento *frustra insumerem*, nisi quod Pharmacopœos nostros Gallicos, parum in Linguis peregrinis versatos labore levare mihi animus sit, & ne defectum & imperfectum hac in parte hoc opus relinquerem, illosque ad aliunde emendicandum impellerem, ut addiscant illud quod ignorare non debeant, eosque ab inveterato quodam errore vindicarem reducerémque in ipsorum dedecus & incommodum ægrotum cedere. Quod quam fieri poterit brevissimè pro virili faciam, exordium sumens à minutissimo pondere, & progressurus ad libram usque Romanam, & non ulterius.

Granum est minimum quod ubique est pondus: Basis sive fundamentum & materies aliorum: quod ob exiguitatem, Græci dixerunt λεπτὸν. Hodie hoc agitur & quæritur, quonam de grano hoc ponduscúlum constitui debeat: verbi gratia, num ex æreis, per omnes orbis terrarum gentes receptis & approbatis, & quæ nullam admittunt alterationem: & quibus Monetarii, Aurifices & Mercatores ad suorum ponderum constructionem utuntur ad ponderandum aurum & argentum, metalla, adeò requisita & necessaria commerciis. An ex *frumento, Hordeo, Eruo, Lentibus, Lupinis, ea quæ Græci inter quos medicina plurimum fidei accrevit, uno solum vocabulo nominarunt σῖτον, nomine communi & generali granis omnibus panificio accommodis. Quod quibusdam occasionem præbuit ad constitutionem suorum ponderum, accipiendi grana *Frumenti: aliis Hordei, aliis Orobi seu Erui, alii Lentium, alii vero Lupinorum. Atque ita tot capita, tot variæ sententiæ. Unde sequutum est peccatum quoddam, non parvi momenti, nempe quod eorum pondera semper fuerunt incerta, magis aut minus pendentia, pro soli bonitate & cœli clementia, unde talia provenerunt grana. Nam si Cœlum esset pluviosum, solúmque accommodum & aptum meliúsque stercoratione redditum, grana erant melius nutrita, pinguiora, & consequenter magis ponderosa & gravia: e contrà vero leviora, si tempus Cœlumque siccius esset: solum etiam macrum, & minus cultum: minúsque Lætamine pinguefactum.

Granum.

**Tritico.*

** Tritici.*

Porrò alium errorem non minorem committunt multi Pharmacopœi qui pondera sua de Plumbo faciunt, quod facile sordes contrahit, super mensis suis, plerumque squalidis & sordidis: in quibus tergendis & mundandis semper fricando diminuantur, adeò ut pondus eorum non sibi constet integrum.

Ad certam igitur statuendam doctrinam, per omnia orbis terrarum climata observandam, & ad vitanda hujusmodi incommoda erroréque: consulerem ego & sentio cum Domino *Fernelio* viro docto expertoque, si quis alius quem per hos mille annos *Europa* produxit, ut pondera fiant ex Aurichalco aut Cupro, aut alio metallo solido, non autem de Plumbo: & ut grana sua sint non de Tritico, Hordeo aut alio consimili) sed ex Cupro (quibus, omnibus in rebus publicis, Monetarum magistri & Aurifices utuntur in constitutione suorum ponderum, ad pendendum Aurum & Argentum,) & quæ non admittunt alterationem, (sicut Plumbum in fricando & detergendo) & quæ pura permanent, & facilius mundantur.

De quibus Granis conficere oportet Pondera Medica.

Suaderem etiam ut characteres nostri è medio tollantur, & eorum loco pondera nostra perscribantur per primas eorum literas, puncto subsequenti, ne ansa detur & occasio Typographis & novitiis Tyronibus parum adhuc in eorum cognitione versatis tales culpas committere, quod aliquoties advenit, in ægrorum detrimentum.

Chalcus. Æreolus. Alterum pondus post granum, Græcis appellatum erat Chalcus, id est, *Æreolus*, inter eos usitatius quam hodie, qui duo grana continebat.

Siliqua. Siliqua *Græcis* dicta est *Ceration*, & *Arabibus Kirat*, quæ duos Chalcos pendebat, seu quatuor grana. Quidam faciunt illud paulò minus.

Davich. *Davich* nomen est alterius cujusdam ponderis, *Arabibus* tantum in usu, & non *Græcis*, ne *Latinis*, quod duas Siliquas seu octo grana comprehendit.

Obolus. *Obolus* nomen est alterius cujusdam ponderis, *Arabicis* dictus *Onoloſat*, & veteribus & modernis sive Neotericis, tam Medicis quam Monetariis, Aurificibus & Mercatoribus plurimum usitatus: quoniam continet tres Siliquas seu sex Chalcos: sive duodecim grana, seu Denarii semissem, vel semiscrupulum: signantque primis ejusdem literis, punctulo subsequente, hoc modo [*Ob.*] *Nicolaus Salernitanus*, *Saladinus*, *Nicolaus Præpositus*, & plerique nostrorum Pharmacopœorum, Carminibus suis adeò celebratis constituunt hoc pondus è decem granis, & non duodecim.

Scrupulus. *Scrupulus* sive *Scrupulum*, aut *Scriptulus* & *Scriptulum*, idem est quod Mercatores & Aurifices appellant Denarium: *Græci* autem *Gramma*, quasi primum ponderis elementum, quoniam illud componerent de tot granis quot sunt in eorum Alphabeto, Literæ, nempe numero viginti quatuor. Signatur autem per primas literas, sic *Scrup.* seu ℈. Atque hinc colligere licet errorem quem multi committunt (opinionem sequentes inveteratam, & freti authoritate dictorum *Salernitani*, *Saladini* & *Prepositi*) constituendo Scrupulum è viginti solum granis, & non de viginti quatuor. Secundum doctrinam ipsam *Græcorum*, usumque approbatum, per omnia mundi regna tam Mercatorum & Aurificum, quam Monetariorum. Quorum omnium in opinione præstat acquiescere, quam Authorum quorumlibet istorum & inscientium, seu impotentium & refractariorum Pharmacopœorum quibus non est animus, è cœno ignorantiæ exeundi. Quod si videtur hiis, illos sequi in scrupulo & drachma, quidni sequantur eos similiter uncia, eamque è novem drachmis componere, sicut edocti sunt ex eorum carminibus ipsis? & non ex octo, ut *Græci* præcipiunt?

Constitutio & divisio, libræ medicæ. Quam ob causam, suadeo ego illis ut nostram sequantur opinionem, meliore nixam fundamento quam illorum: & ne tantum laboris operæque insumant, & ut expediant spiritus suos in tantis & tot negotiis, certosque faciant Medicos de eo quod præscripturi sunt pro ægrotis, accipere oportet duodecim unciarum *pondo de Marca*, quod in majori parte Regni *Franciæ* usitatum pondus est, pro una libra medica: & trium unciarum non quatuor pro quartario libræ. Nam tria sunt quarta pars duodecim sicut quatuor sexdecim. Singula uncia *pondo de Marca*, continet octo drachmas: quæque drachma tres Scrupulos, sive Denarios: & unusquisque Scrupulus, duos Obolos seu 24 grana, secundum eos qui numerant 72 grana, pro quaque drachma. Sic faciendo multum reficientur, & animus eorum quietior: Medicique ipsi certiores de eo quod præscripturi sint.

Drachma. *Drachma*, *Græcis* appellatur *Holce*. Octava videlicet, pars unciæ, & non nona, sicut placet *Salernitano* & omnibus illis qui sequuti sunt & sequuntur ejus opinionem: eaque hoc modo signatur, *Drach.* sive ʒ.

Denarius. *Denarius* Medicorum, ponderosior est quam ille Aurificum. Aurificum enim est quem Medici appellant *Scrupulum*, qui continet grana 24. Medicorum autem 72 continet, & duas septimas grani: adeo ut 72 Denarii, valent unciam unam. Vulgus *Romæ* Galeni tempore, confuderunt Drachmam cum Denario, ob tantillam quæ erat differentiam, præsertim in re pauxilli momenti. Sicut colligere licet ex eo ipso, in *Libro octavo de Medicamentis localibus*, dicente *Romanum* Denarium esse *Græcorum* Drachmam. Signatur autem, per asteriscum sic [*] vel hunc in modum [*Den.*]

Aureus. Exagium. Sextula. Solidum. *Aureus*, *Exagium*, *Sextula* & *Solidum* non differunt valore, sed nomine duntaxat. Pendunt enim sextam partem unciæ, videlicet quatuor scrupulos juxta nostram supputationem fundatam super *Græcorum* doctrinam, ratione scilicet octo drachmarum,

pro

pro singulis unciis: vel ana drachmam & semissem, ex doctrina *Salernitani*, qui suam unciam è novem drachmis constituit: signantur primis literis, hoc modo. *Aur. Exag. Sex. Sol.*

Assarius, sive *Sicilicus*, est nomen ponderis, quod nos vulgò appellamus, *quartarium unciæ*, quæ sunt duæ drachmæ. Quod nomen hodie non est in usu apud Medicos. Denotat enim drachmarum numerum, quas in Præscriptis suis imponendas esse volunt. *Assarius.*

Duella nomen est alterius ponderis antiquitùs in usu, quod tertiam partem unciæ continebat, videlicet, octo scrupulos: & signata fuit primis literis, *Duel.* *Duella.*

Dupondium est nostra semuncia, & notatur sic [ℨ ß] sive [*Unc. semis.*] *Dupondium.*

Uncia est duodecima pars, *lib.* medicinalis, tam *Latinis* quam *Græcis*: continetque octo drachmas sive septem denarios, seu 24 scrupulos, vel. 576 grana. Quæ sunt 36 granis plura, quam illa *Salernitani*: qui suam unciam constituit ex novem drachmis, & quamque drachmam de 60 granis. Quæ sunt 96 granis plura, pro singulis unciis, quam quæ nostrorum est Pharmacopœorum, qui constituunt suam unciam ex octo drachmis, & unamquamque drachmam ex 60 granis: & scrupulum suum ex 20 granis. Quæ 96 grana valent, eorum computatione, sesquidrachmam & sex grana, nostrâ verò quatuor scrupulos. Ecce quanto levior est eorum uncia, quam illa suorum Authorum, & carminum apud eos tam celebratorum, & quam illa veterum *Græcorum*. Hæc autem uncia, signatur hoc modo, *unc.* seu ℨ. *Uncia.*

Sextans	continet	duas uncias.
Triens		tres uncias.
Quadrans		quatuor uncias.
Quincunx		quinque uncias.

Semis significat medietatem ponderis nominati, sive sit Granum, Obolus, Scrupulus, Drachma, Uncia, Libra. Et eodem modo de omnibus aliis Ponderibus & Mensuris. Signatur autem primis literis sic, *Sem.* vel ß.

Septunx	continet	7 uncias.
Bes seu *Octunx*		8 uncias.
Dodrans		9 uncias.
Dextans		10 uncias.
Deunx		11 uncias.

Libra Medicinalis, de numero unciarum quas continet, appellatur (*As*) Latinis, aliquoties *Pondo* (sine additione) & *Libra*. *Pondo* enim cum additione, non capitur pro libra, sed pro pondere, & est indeclinabile. Videlicet *Pondo* Grani, Oboli, Scrupuli, Drachmæ, Denarii, Unciæ, Libræ unius vel plurium: & signatur primis literis, puncto subsequenti, sic, *As, Pondo, Lib.* Ex hoc quod supradictum est, colligi potest, Libram Medicinalem, tam *Græcis* quam *Romanis*, continere 6912 grana. Illam autem, *Salernitani, Saladini* & *Præpositi*, 6480: quæ minor est, 432 granis: Nostrorum autem Apothecariorum, constituentium suam libram de 12 unciis, & quamque unciam de 8 drachmis, & singulas drachmas ex 60 granis. Eorum libram inquam non redit, nisi ad 5760 grana. Quæ minor est illa suorum Authorum quorum authoritate niti videntur velle, 720 granis, quæ valent ipsorum computo, sescunciam: & tam *Græcorum* quam *Latinorum* antiquorum 1152 granis quæ justas efficiunt, duas uncias, attribuendo (scilicet) singulis drachmis grana 72. Libenter volui hæc omnia ad calculos revocare, ut planè demonstrem, quatenus decipiantur in ratione ponderum suorum: & ut in posterum cautiores sint, sicut antehac non fuerunt: neve adeo Authoribus suis antedictis & carminibus innitantur; ut solent: sed operam dent opinionem sequi unam ratione fundatam & authoritate antiquorum. Libra mercatoria *Francorum* non est omnino ubique una. Ut plurimum 16 uncias continet: Medicorum verò, Aurificum, & Monetariorum, 8 uncias: & quæque uncia octo drachmas: Singulæ drachmæ, tres denarios, quos appellamus nos Scrupulos: & quisque denarius sive scrupulus 24 grana & non 20. *Mna* sive *Mina* est Libra *Attici* *Libra. As. Pondo.* *Mina & Mna.*

Regni ab *Athenienſibus* gubernati quæ continet centum drachmas, quæ eſt ſemuncia major quam aliorum *Græcorum* & *Romanorum*, quam nos velut clarius perſpicientes ſequuti ſumus & ſecui debemus.

De Menſuris.

QUi miſeriam hujus mundi conſiderare velit, inveniet nihil in eo conſtans eſſe & perpetuum, & conſequenter ne obſtupeſcat, quod plura pondera & menſuræ, rerum tam ſolidarum quam liquidarum, antiquitus maximo in uſu, jam non conſtent. Nam & aliud tempus veniet, quando multæ menſuræ quæ jam uſitatæ ſunt, non amplius perſiſtent, & in earum locum aliæ ſuccedent: ſicut de vocabulis dixit * Poeta *Horatius*. Ad conſtituendum igitur certum quid & ratum in futurum, referre ſeu reducere oportet menſuras antiquas, illas præſertim quæ memorantur in compoſitionibus veterum antè Paraphraſticè expoſitis, in commodum junioris & parum verſati in linguis peregrinis Apothecarii *Franci*, & quam fieri poteſt proximè accedentes ad noſtra pondera, & non ad noſtras menſuras quæ (ut minimũ dicam) adeò ſunt à ſe invicem differentes, ac ipſæ Provinciæ in hoc Regno, utcunque ab uno Monarcha regantur *Henrico Magno* ejus nominis quarto 1610. Hoc ut aſſequamur, cogitandum imprimis eſt & conſiderandum, quod Menſuræ accommodentur rebus liquidis ſicut pondera ſolidis ſeu aridis: & quòd liquidæ, plus aut minus pendant, ad rationem & naturam liquoris quem quis metiri velit. Exempli gratiâ, Oleum quod naturâ ſit aërea & levi; * novena parte levius eſt quam vinum mediocris ſubſtantiæ: Contrà verò, Mel quod natura ſit terrena & gravi, dimidio ponderoſius eſt, Oleo. Hoc poſito, facile fuerit Pharmacopœo, quocunque in climate vitam degat, comparare Antiquorum Menſuras cum illis ſuæ patriæ, vel ſuis cum ponderibus; dummodo animadvertat id quod ſequitur. Cum egimus de Ponderibus ordinem obſervavimus, * componendi, hîc vero [De Menſuris] * reſolvendi. Ut ſcribamus de Sextario & Hemina, quorum mentio facta eſt in Compoſitionibus, Paraphraſticè ſupra expoſitis Antiquorum, incipiendum eſt ab eo, unde illæ deſcenderunt, videlicet Congio.

Congius, ſive *Chus* menſura erat uſitata, tam in Regno *Attico*, quam *Romæ*: qui *Athenis* pendebat novem libras, *Romæ* decem.

Sextarius. *Sextarius* Latinis, & *Chiſt* Arabibus, ita dictus eſt, quod caperet ſextam partem Congii: in *Græcia* ſeſquilibram: & *Romæ* viginti uncias: quæ valent libram unam & octo uncias.

Hemina. Cotula. *Cotyla* ſeu *Hemina*, dimidium eſt Sextarii, quæ in *Græcia* ad novem uncias, *Romæ* ad decem redit. Sicut ex *Galeni* ſcriptis colligere nobis licet: tam in *Libro primo Medicamentorum ſecundum genera*, quam alibi etiam. Cum dicit (ad compoſitiones *Andromachi* & Hieræ) Sextarium 18 uncias, & Heminam decem continere: Is qui natione *Græcus* erat, & *Romæ* habitabat, nunc ad patriam ſuam, nunc ad locum ubi commoratus eſt, ſe accommodavit: in re præſertim parvi momenti, & quæ non multum lædere potuit, videlicet Oleo, Aqua, Succo, Vino aut Melle. Exempli cauſâ hujus quod ſupra dictum eſt, ſecundum *Paulum Æginetam*.

Congius. *Congius* continet, olei novem libras: vini, decem: & mellis, 13 libras & ſemiſſem.

Sextarius. *Sextarium* capit, olei 18 uncias: vini, 20: & mellis 27: quæ valent duas libras, & quartarium unum, ſive quartam partem.

Hemina. *Hemina* continet, 9 uncias olei, decem vini mediocris ſubſtantiæ, & 13 uncias, cum dimidia mellis.

Myſtrum magnum. *Miſtrum magnum*, continet olei tres uncias: vini tres uncias & octo ſcrupulos, & mellis quatuor uncias & dimidiam.

Acetabulum capit olei drach. 18. vini duas uncias & 12 ſcrupulos. Mellis tres uncias, & 9 ſcrupulos.

Cyathus. *Cyathus*, (menſura ſic appellata ob ſimilitudinem vaſculi vitrei, continet olei drachmas 12 & vini ſeſcunciam & ſcrupulos 4. Mellis duas uncias, & drach. duas.

Myſtrum parvum. *Myſtrum parvum*, capit olei drachmas ſex: vini ſcrupulos 20, & mellis drachmas novem.

Atque hæc ſummatim de Menſuris, quæ Authoribus præcedentium compoſitionum,

* *Multa renaſcentur quæ jam recidere, cadentque Quæ nunc ſunt in honore vocabula ſi volet uſus. De Arte Poetica.*

* *Seu nona.*

* *Sive ξέσιον.*

* *Sive ἀνάλυσιν*

num, tam *Græcis* quam *Latinis* & *Arabibus* usui fuerunt: quas, Pharmacopœus industrius, & rerum earum satagens quas in arte sua se scire convenit, facile poterit illis quæ suæ sunt patriæ accommodare.

Sequitur nunc de aliis Mensuris pro rebus siccis, quæ ut plurimum non penduntur, ut sæpè à nobis magis usitatæ quam præcedentes.

De Mensuris Herbarum & Florum.

PRimò initium sumemus à *Fasciculo*, tanquam maximo, qui continet quicquid brachia in ambitum plicata comprehendere possunt, & primis literis, puncto subsequenti, signatur, sic, [*Fasc.*] *Fasciculus.*

Utimur eo communiter cum metiri volumus herbas recentes, ad compositionem Balneorum Artificialium.

Manipulus continet quod manus in se contracta includere valet, & notatur, hunc in modum primâ literâ [*M.*] *Manipulus.*

Pugillus continet id omne quod inter tres digitos justa ratione, & sine excessu comprehendi potest, & signatur itidem prima litera hoc modo [*P.*] *Pugillus.*

Restat *Semis*, quod medietatem illius mensuræ significat, quæ præcedit, & ita signatur [*S*] seu [ß.]

Multa alia Pondera & Mensuras omitto, quibus veteres usi sunt: quoniam Authores superiorum compositionum, non omnium faciant mentionem. Si cui libet plus scire, legere licet quod eruditè scripserunt *Celsus*, *Scribonius Largus*, *Plinius*, *Galenus*, *Paulus Ægineta* posteraque ætate, *Sylvius* & *Fernelius*: è quibus addiscet quod satis illi faciat.

Supereſt jam Precari Deum, ut in futurum hanc mihi gratiam largiatur, possim ut quicquam facere, quod in suam gloriam & proximi mei salutem cedat. Amen.

Anagramma Auctori.

Brevius id curabis.

Bricius Bauderius.

Vel

Bricius Bauderonus.

Viros abunde curabis.

NVNCupationum quarundam absolutè Scriptarum

Explanatio.

Quinque Rad. aperientes
- Ruſci,
- Asparagi,
- Fœniculi vel Petroselini,
- Apii,
- Graminis.

Herbæ quatuor emollientes
- Malva,
- Althæa, i. Bismalva,
- Viola nigra,
- Acanthus, i. Branca ursina.

Aliàs
- Mercurialis,
- Sicla seu Beta,
- Parietaria,
- Atriplex.

Herbæ


Herbæ quinque Capillares
Polytrichum,
Capillus Veneris,
Adiantum vulgare,
Salvia vita,
Asplenium, seu Ceterach.
Flores Cordiales
Frigidi
Violarum vel Rosarum,
Bugloſſi,
Boraginis.
Calidi
Chamæmeli,
Meliloti,
Anethi, aliàs Liliorum.
Quinque Fragmenta pretioſa
Sapphyri,
Granati,
Smaragdi,
Hyacinthi, &
Sardii.
Quatuor Semina
Frigida
Majora
Melonum,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Citruli,
Minora
Lactucæ,
Portulacæ,
Intybi, i. Endiviæ,
Cichorii,
Calida
Majora
Aniſi,
Fœniculi,
Cymini,
Carui.
Minora
Ameos,
Amomi,
Apii,
Dauci.
Quatuor Aquæ Cordiales
Endiviæ,
Cichorii,
Bugloſſi vel Boraginis,
Scabioſæ.
Quatuor Unguenta
Calida
Althææ,
Aregon,
Agrippæ,
Martiatum.
Frigida
Album,
Roſaceum,
Citrinum,
Populeum.

TRA-

Tractatus de Aquis destillatis, quas Pharmacopœus in officina sua paratas habere debet. Qui commodè & utiliter adjungi poterit Pharmacopœæ Domini seu Magistri *Bauderoni*. Per *Laurentium Catellanum*, Magistrum Apothecarium, de *Monte Pessulano*.

NIhil est in tota Pharmaceutice, [Magistri,] quod reformari magis desiderat, quam ratio quæ hodiè in Officinis tenetur destillandi Aquas, quandoquidem in hoc opere, utantur fere quibusdam vasculis, quæ cum eas præstare deberent pulchras, claras, gratas, & sanandis ægris accommodas: contrario prorsus modo hinc turbidæ fiunt gustatu injucundæ, utentibus noxiæ, sicut deinceps perspicuum particulatim faciam. Ne quid dicam neminem quod sciam etiam dum operam dedisse plenè huic malo occurrere ac subvenire, quasi de industria velit quis damnum quod inde insequi solet nihili facere aut negligere. * *Nondum unus integre, de liquoribus vi caloris exhalantibus, ac per destillatoria vascula mirifico opere elicitis, definivit.* Nam è plurimis quæ hodie inter nos visuntur Pharmacopœis, haud invenias tamen in ulla quod pro dignitate stillatitiarum earum aquarum supradictarum expetiveris. Quod si *Matthiolus*, *Wecherus*, *Liebaurus*, *Sylvius* & aliquot alii Medici in suis Libris & Antidotariis dixisse aliquid videantur, comperio nihilominus, nihil statuisse eos ac definivisse pro merito rei subjectæ, & ut me hoc in loco facturum spero. Quamobrem non absre putavi fore, in publicum bonum, hoc consilium meum in medium proferre, quod ad intellectum hujus rei quam in manibus habemus, tres necessarias res complectetur. Prima erit Catalogus Aquarum quas Pharmacopœum in officina sua apud se habere oportet. Secunda, quibus vasibus utendum ei sit, (quod hodie perperâ fit) in eis extrahendis. Ultimo in loco, verus & legitimus modus eliciendi dictas aquas, ut qualitatem requisitam habeant, videlicet, unà cum odore, saporem & proprietatem sive virtutem, quales inveniuntur in materiis ipsis ex quibus extrahuntur: ita ut in dictis aquis, non percipiatur, ullum Empyreuma, vel aliena qualitas & injucunda, sicut illis necessariò advenit quæ malè distillantur. Non dicam hoc in loco, qua ratione & à quibus, Destillatio inventa fuerit: nec differam de quæstione illa quam subinde agitari volunt, in excutiendo & definiendo, Numnam antiquiores *Græci* & *Arabes* noverunt destillationem, & aquis destillatis usi fuerunt? dum quidã affirmant *Græcos* sciviſſe quiddã, *Arabes* verò videri adjeciſſe aliquid ad hujus scientiæ perfectionem: alii autem prorsus denegant; in hoc quod asserant, neque hos nec illos versatos unquam fuisse nisi in decoctionibus probè depuratis, nullatenus verò in aquis, quæ nunc dierum destillantur: Sicut *Monardus* in parva quadam dissertatione quam composuit de *Dosibus Persicis*, confirmat hiis verbis. *Usurpabant enim antiqui* (inquit) *pro aquis, non has sublimationes, sed ex herbis succos extrahebant, & post levem fervorem excolabant. Et sedimine facto, supremam ac defœcatam partem secernebant, & illa utebantur pro aquis.*

* Cronemburgius *de Aquis destillatis.*

Tria in ratione destillandi consideranda.

Inventio destillandi Aquas.

Baptista Porta *de Destillatione.*

Ad cujus decisionem, quomodo se res habere debeat, remittam curiosos ad *Liebautum* & alios qui fusius hoc tractarunt, nec amplius hic insistam, quoniam non suscepi (ut dixi) hoc in loco Tractatum ullum facere, nisi de accurata & exacta ratione destillandi Aquas quibus Apothecario quotidie utendum est, cum arbitratus sim auctuarii, si quid addatur, hoc nomine prorsus inutile: supplicans curiosulis, si qui sunt, me excusatum habere si in hoc Argumento illis non satisfecerim prout expetunt & subjectum hoc meretur. Ut igitur hoc agam seriò quod in me suscepi, dico, Has aquas nostras destillatas, dividendas esse, in Simplices & Compositas. Illas nimirum

Divisio Aquarum stillatitiarum.

rum ex una sola materia elicitas, has autem è pluribus simul mixtis. Priores bifariam distingui possunt: vel in Aquas frigidas ut Nenupharis & consimilium, & in calidas, ficut Absinthii, seu aliorum ejusdem naturæ. Non me latet quod dividere etiam eas licet, vel secundum partes plantarum è quibus eliciuntur, velut in aquas de radicibus, de fructibus, de foliis, floribus & consimilibus: vel in Aquas Verni temporis, Æstatis & Autumni. Sed ut accommodentur ad usum vulgarem & communem, prima divisio quam impræsentiarum sequar, erit aquarum simplicium, frigidarum & calidarum quæ sequuntur.

Aqua
1 Absinthii,
2 Acetosæ,
3 Agrimoniæ,
4 Arthemisiæ,
5 Betonicæ,
6 Borraginis,
7 Buglossi,
8 Cardui Benedicti,
9 Chelidonii,
10 Cichorii,
11 Endiviæ,
12 Euphrasiæ,
13 Fœniculi,
14 Fumariæ,

Aqua
15 Graminis,
16 Hyssopi,
17 Lactucæ,
18 Liliorum,
19 Matrisylvæ,
20 Matricariæ,
21 Melissæ,
22 Papaveris rubri,
23 Pimpinellæ,
24 Plantaginis,
25 Portulacæ,
26 Rosarum,
27 Scabiosæ,
28 Tussilaginis.

Non ponam hoc in primo Catalogo, tres Aquas Pharmacopœo necessarias, Simplices quamvis sint & non Compositæ, sc. *Aquam mellis, Aquam vitæ, & Acetum destillatum:* quia ejusmodi aquæ, modis particularibus destillari debent, ut deinceps demonstrabo, postquam dixero de Aquis Compositis: quarum *Rotula* quas in officina servare debet, hunc in modum sequitur.

Aqua
Cinnamomi, *Matthioli*,
Imperialis, *Varandæi*,
Cœlestis, *Joannis de Vigo*,
Theriacalis, *Rondeletii*,
Aluminosa, *Liebaudii*.

Quinque genera vasorum seu Alembicorum.
1 Refrigeratorium.

Atque hæc de prima re quam pollicitus sum. Jam ergo transeundum est ad secundam, de vasis quibus hodie utuntur licet ineptis ad eas extrahendas. Circa quod hoc observari, quod nunc dierum utuntur quinque generibus vasorum, sive ut vocant Alembicorum. Primum est magnum quoddam vas æneum, quod dicitur Refrigeratorium, quod in summitate sua gerit aliud vasculum ex eadem materia ad continendam aquam frigidam quæ condensat spiritus (quos dicunt) qui perveniunt ad summitatem dictam, & facit eas aquas postea meliores: Quo in opere hunc in modum procedunt. Conterunt & concidunt herbas tam calidas quam frigidas promiscuè & aquæ communis injiciunt illis satis bonam quantitatem: tum probè obturant Cucurbitam & dictum Capitellum, imponuntque Refrigeratorium illud, tripedi, vel in furnulo seu clibano qui cratem habeat ferream ad illud sustinendum, & illic cum igne satis succulento calefaciunt dictum vas quod immediatè contingat, (vel parum ut absit) flammam ipsam vel prunas candentes, & curiosè tenendo aquam dicti capitelli frigidam multis vicibus mutando, ita destillant aquas uno in die majori in quantitate facilius & expeditius quam totâ septimanâ per alterius generis vas quodcunque. Quod si quærat quis, quare hoc vas ex cupro seu ære factum sit potius quam ex ulla materia alia, respondeo illius reddi posse tres rationes. Prima est, quod cognitio æris seu cupri tractandi & operandi multo est quam ferri antiquior.

Plinius.

——— "Posterius ferri est æriscque reperta:
"Sed prius æris erat quam ferri cognitus usus.

Secunda

Secundo quod æs pulchrius est & gratius aspectu, quorum ob causam, rotæ curruum, earumque Vieti & commissuræ factæ sunt ex ære, ipsique equi hac eadem materia magnificè antiquitus armari & calceari soliti sunt, unde profectum est, ut appellentur *Chalcopodes*: utcunque putet quis hanc vocem [*Chalcos*] æquè aliquoties respondere ferro, ac æri dicto. Denique existimo metallum hoc præstantius judicatum fuisse, propterea quod tale tantumque vas è ferro factum, ponderosum esset nimis & mire incommodum, ruptuque periculosum. Ferrum enim cum sit multò fragilius & gravius, non extenditur in laminas adeo minutas ac tenues ut non comminuatur, sicut æs. Quid quod parvo in temporis spatio ferrum vi ignis multum retrimenti & scoriæ emittere soleat atque hac ratione diminui. Nam si observes fabricas Ferrariorum, & alias ubi æs exercetur, videre est quod in illis magnam retrimenti & scoriæ copiam: in hiis autem parum reperias. Et revera durationis ejus & stabilitatis ratione, *Romani* ad faciendas statuas, symbola, nummos, & tabulas in quibus leges & statuta sua insculpta & cælata in perpetuum posteritati testimonium servarunt, æs prætulerunt. Sed jam videamus secundum Alembicum quo nunc dierum utuntur, cui nomen *Rosarium*, ob receptum morem, destillandi *Rhodostagmatis*, vel Aquæ Rosarum: quod est clibanus quidam quod portat cupam quandam æream, obtectam grandi quodam & acuminato pileo, Capitello seu galea de plumbo: intra illam vero cupam imponunt herbas contusas vel crassiusculè concisas, hac circumstantia adhibita secundum nonnullos qui immediatè sub materia destillanda, in patella seu cupa poni volunt parum sabuli; ad crassitudinem transversi digiti vel circiter: hoc consilio, ut ignis qui immediatè calefacit vas in quo herbæ dictæ, & similia sunt nullo modo ea adurunt, quod vitari potest ratione dicti sabuli quod est inter ignem & herbas supra dictas. Atque illud quidem vas seu organum potuit in usum venire, primum & deinceps, ad hunc usque diem pluris haberi quam alia, quatuor has ob rationes primo aspectu probabiles. Quarum prima est, quod tales aquæ parum aut nihil omninò Empyreumatis retinent, transeuntes per hoc metallum, quod plumbum retinet perparum ardoris & acuitatis igneæ, quod mollius est, & mitiore levioréque calore liquetur, quam alia metalla, sicut *Matthiolus* videtur consideraſſe. 2. *Rosarium.*

Inde est quod Spagyrici & Destillatores in omnibus suis extractionibus substantiarum, in quibus metus est ab adustione, utuntur Balneis ex plumbo, quoniam reddit calorem longè moderatiorem & æquabilem, quod nesciunt facere terrum, æs & terra coctilis, quæ diu impressionem ignis validam & moderantem retinent. Secunda quod Capitellum plumbi intendit frigus in herbis & aquis frigidis: corrigit autem calorem earum quæ sunt calidæ, redduntque eadem ratione meliores & magis exquisitas: quod procedit à qualitate sua refrigeranti. Videtis ne, quare appositum in forma laminæ super renes, virtutem habet reprimendi calorem hominis in venerem plus æquo proclivioris. Sicut clarus ille Orator *Calvus* teste *Plinio*, hoc modo à pollutionibus nocturnis & importunis securum se præstitit, quæ sæpe eum distraxerunt, quo minus studiis vacaret suis. *Adalligatis Lumborum & renum parti laminis frigidiore natura inhibere impetus veneris: visaque in quiete venerea sponte naturæ, erumpentia usque in morbi genus, his laminis* Calvus *Orator, cohibuisse traditur, viresque corporis, studiorum labori custodisse.* Et revera utimur nos mortariis & pistillis ex hoc metallo, ad promovendum & augendum frigus materierum, quæ illorum ope teruntur. Tertio in loco allegari poterit, quod aquæ tales quæ transeunt per plumbeum Capitellum virtutem quandam corroborantem acquirant, quam hoc metallum illis imprimit, qua particulariter præditum & dotatum est: juxta illud, quod teste *Plinio*, de *Nerone* Imperatore traditur, qui laminam plumbeam super pectus gestare solebat, ut hac ratione fortificaret vocem suam, sub qua lamina, cantabat validius cantica lasciva sua, quod sine illa non feciſſet. *Nero Princeps* (inquit Plinius) *lamina plumbi pectori imposita, sub ea cantica exclamans, alacribus vocibus demonstravit rationem.* Denique dicunt hii tales aquas hiis Capitellis seu Campanulis destillatas, acquirere raram quandam proprietatem quæ in plumbo perspicitur, nimirum præservandi à corruptione & putredine. Videlicet hanc ob causam hoc metallo utuntur ad loculos seu sandapilas *Plin. lib. 34. cap. 18.* *Plin. lib. 34. cap. 18.*

conficiendas, mortuorum cadaveribus condendis, quibus ea videmus diu conservari incorrupta: & præterea apponi solet lumina plumbea ventri infantium adpræcavendum illis à vermibus & curandum eos: cujus rei causa ejusmodi Alembica cunctis aliis præferuntur. Sed relictis duobus hiisce supradictis speciebus, invenio quod alii utantur Cucurbitis & Capitellis ex ære probe intus stannatis: quorum Capitellorum canali fistulam seu cannam anfractam ex Aurichalco candido *Serpentinam* dictam apponunt quæ pertransit doliolum pertusum frigida plenum: ut spiritus herbarum transeuntes per dictum canalem citius condensentur: Vasa autem ex ære dicta imponuntur tripodi, vel intra caminum seu fornaces, ubi sunt Crates ferreæ ad ea sustinenda: atque ibi luculento igne suppositò, arbitrantur hunc modum operandi præferendum esse: pro certo affirmantes, quod stannandi ratio intra Cucurbitam dictam & Capitellum, impedit perfectè quò minus dictæ aquæ attrahant alienum quicquam ab ære atque tales aquæ sint præstantissimæ. Alii etiam imponunt herbas in Cucurbitas de terra vernice polita, quas contegunt Capitellis sive Galeis vitreis: pòst adaptant eas supra crates, in parvis fornacibus sicut præcedentes: & sic urgent pertinaciter suas aquas, aliis anteponendas esse: quia de terra vernice lita, & Galea vitrea, nihil alienum profeciſſe potuit. Postremo, alii nihil pendentes omnes antedictas procedendi rationes, huic tantum incumbunt, in destillandis aquis expetitis: nempe in hoc negotio utentes Cucurbitis & Galeis vitreis, quas propriè adaptant patellæ ferreæ seu æneæ impletæ cineribus: sub qua patella fit fornax quædam igni faciendo: atque ita constanter pro certo affirmant, quòd hæc destillandi ratio perfectior est: nam de vitro ne minimum quidem alieni contrahi aut communicari potest.

3. *Alembicum ex ære transiens per dolium sive cadum pertusum.*

4. *Cucurbita de terra & Capitellum de vitro.*

5. *Alembicum in cineribus.*

Verumenimverò *Magistri*, contra hos omnes supradictos operandi modos, non possum non cum animi dolore, hoc publicè hodiè profiteri & conqueri: quod stupor me ingens invasit, ob negligentiam & incuriam eorum qui hunc in modum e plantis & aliis rebus exquisitis aquas eliciunt & destillant. Nam in universa Pharmaciæ ratione, nihil est confusum magis nihil alienius, & quod reddit tetriores & ingratiores liquores quod hæc Alembicorum & vasorum genera: quod in olfaciendo, & gustando hujusmodi aquas destillatas, deprehendentur omnes indiscriminatim pro certo, multo Empyreumate oppletæ: & quod deterius est, tantum abest ut eas proprietates habeant quæ expetuntur, ut è contra, è frigidis deveniant calidæ, è calidis frigidæ: & tam calidæ quam frigidæ acquirant qualitates alienas & admodum noxias: unde fit ut & Medici & ægri, hujusmodi aquis utentes ad syrupos suos, cum intendant Julepos refrigerantes & jucundos componere, omnino se comperiunt spe sua frustratos: dum ille nihil commodi agnoscat ratione talis remedii, & hic sentiens se plus calefactum quam antè, molestéque ferens sese hausisse ingratam potionem, quoniam pravus sapor & nescio quid vapidum & odiosum quod resipit, excitat creatque necessariò nauseas & fastidium, stomachi dolorem, aliaque incommoda quæ multò magis molestiæ faceſſunt, quam si sumpsisset decoctionem aliquam herbarum rerúmque aliarum ex arte confectam & in apozematis forma defœcatam. Jam verò si quis refractarius & temerarius rationes hasce omnes despicere velit, quorum nimis multos facilè credo invenias, necessarium hoc in loco putavi argumentis eum urgere & adigere, ut suam ignorantiam confitetur, particulatim ei demonstrando unde proveniant hæ offensæ aquis, in vasis seu organis supradictis destillatis, ut mutata demum sententia & methodo sua, deinceps in futurum, vero & legitimo utatur modo in destillandis aquis exquisitissimis & perfectissimis.

Vide Matthiolum.

Contra vas Refrigeratorium.

Primo igitur in loco, dicturus contra Refrigeratorium superius allegatum, graviter peccari dico, in herbis hoc Alembicorum genere destillatis, idque ob tres validissimas rationes. 1. Quod in hoc faciendo non cogitur quis infundere in illud quantitatem aquæ communis, ut supra dictum est, ad impediendum ne dictæ herbæ adurantur, quod proculdubiò adveniret, unde sic faciendo insequeretur, quod aqua quæ defluit justè exæquet (vel parum deficiat) aquam illam communem: aqua vero ex propria substantia dictarum herbarum parum aut nihil destillet: quoniam aqua

communis

communis quæ superfusa fuit, & supernatat has materias tanquam aptior sursum ferri & elevari citius destillata reperitur, antequam liquor & humiditas dictarum plantarum laxetur & solvatur, quod nihilominus ab illis requiritur. 2. Altera est ratio quod cuprum imprimit necessariò, hiis herbis teneris & ad liquores stillatitias aptioribus, quò tenuiores sint, acuitatem quandam manifestam, & quæ non poterit non esse admodum nociva, rerum ratione earum quæ ex hoc metallo procedunt: sicut Viride æris & alia quæ nocere illis plurimum possint qui per os ea sumunt. Atque hoc illud est quare Antiquitùs *Ægyptii*, non diu perstiterunt, *Herodoto* teste, bibentes è Calicibus ex ære, ob religionem & aliam quandam pravam qualitatem quam in potando perceperunt. Huc accedit, ad damnandum hoc genus Alembicorum, quod tales Destillatores, ut promptius pararent aquas dictas, utque tempus lucrentur, & expeditiùs negotium conficiant, coacti sunt talem subtus & adeo luculentum facere ignem, cum flamma aut prunis ardentibus, ut diceres (si videas) torrere eos velle bovem *Milonis* illius *Crotoniatæ*, de quo loquitur *Cicero*, *in Libro suo de senectute*. Absumentur hoc modo virtutes herbarum tenerarum: sicut *Monardus* in loco præcitato exclamans contra illud dicit. *Maximè hoc evenit nostris partibus, quibus causa majoris lucri, tanta incendia subduntur ut non tantum vires ac facultates teneratum herbarum consumant, sed* Milonis *Taurum decoquerent.* Quod me facit huc descendere, ut rejiciam ejusmodi quoddam genus vasis. Nunquam enim talia inventa fuerunt vasa ad eliciendam aquam, è floribus aut herbis teneriusculis, sed olea solummodo, (ut ego arbitror,) è lignis, corticibus, floribus, seminibus & aliis rebus calidis, nempe, Canella, Salvia, Roremarino, Cortice Aurantii, Anisо, Fœniculo, & consimilibus. Quibus de Oleis & essentiis non dicam impræsentiarum: cùm, quod velim meipsum in subjecto particulari continere: tum etiam quod *Liebautius* & *Baptista Porta*, describant veras methodos extrahendi ea, ad quos harum rerum studiosi & curiosi, poterint si ipsis videtur, se recipere. *Lib. 18. cap. 18.*

Ut igitur persequar, quod dicendum mihi est, de secundo Alembico (dicto *Rosario*) obtecto Capitello sive Campana plumbea, ut demonstrem illud rejiciendum esse æquè ac illud alterum: quanquam videantur rationes supradictæ aliquid ponderis præ se ferre, ut æstimentur, quas facile evincam, & magno sine artificio. Ad primum contra illam quæ respicit mollitiem & teneritudinem plumbi, quæ inhibere possit, ne dictæ aquæ respirant quicquam caloris ignei, quod aliæ faciunt: Dico, eos falli qui hoc affirmant: ut enim non libenter incusare velim Campanam illam sive Capellam supra dictam ob rationes antè memoratas, aliquid tamen verisimile habet, quod hoc proveniat de patella seu vase ex ære quod subtus locatur, & quod continet herbas destillandas: Adde quod ignis non regitur subtus, prudentia tali qualis requisita est & necessaria. Quod si adhibenda sit fides *Plinio* dicenti, quod vas plumbeum aqua repletum, non liquatur supra ignem, æquè ac si injiciatur tantillum cupri seu æris frustulum; nimirum æs illud, adeò pervertit qualitatem dicti plumbi, ut cum temperaturâ sua resisteret igni jam peruratur ipsum nec subsistere possit: Quod cum ita sit, adducemus jam hoc ipsum pro tertio argumento contra *Rosaria*. *Et mirum* (ait *Plinius*) *aquâ addita non liquescere vasa è Plumbo, constat: eádem in aqua calculus æreusve quadrans si addatur vas peruri.* Et postremò, contra laudes dicti Capitelli de plumbo, hoc addere possim: Quod si metallum hoc tot præditum sit bonis qualitatibus ad eliciendum laudabiles ex herbis aquas, jure oportere, non Capitellum solum, sed patellam etiam ex eadem materia fieri, atque ita probabilius esset ut admittantur [*hæc Rosaria.*] Nam cura adhiberi debuit, ut non fieret ignis subtus nimis intensus ne fortè totum liquetur, æque ac ubi de patella ex ære, vel de mixtura ex ære cum plumbo, vel ex nimis intenso igne qui adhibetur, tales aquæ deveniant unquam aliæ, quam admodum pravæ. Cæterum ut nemo tantam operam insumat, curetque talia vasorum genera fieri tota de plumbo, ad eliciendas hujusmodi aquas, apertè ostendam & planè declarabo, me non tantum improbare plumbum caloris & Empyreumatis nomine solum. Nam in hoc negotio adhiberi statuique poterit, quidam ordo & modus, sed alia sunt etiam mala & incommoda, æquè atque adeò majoris momenti *Contra Rosarium.* *Plin. lib. 34. cap. 17.*

quæ inde adveniunt, quam Empyreuma illud supra allegatum, sicut deinceps vobis planum faciam: Si prius respondero aliis eorum argumentis qui patrocinantur *Rogerii* cum supradictis Capitellis sive Campanis, asserens contra hoc quod illi in secundo loco attulerunt: plumbum frigiditate sua, intendere posse & augere frigus in aquis herbarum frigidarum, & hac eadem ratione inservire posse corrigendis aquis herbarum calidarum, atque ita efficiendis illis melioribus, usui ægrorum: asserens inquam quod decipiantur: quandoquidem qualitas talium aquarum pervertitur & invertitur, postquam per tales Campanas sive Capitella transirent: adeò ut inde, cum aquæ frigidæ plus virtutis refrigerantis acquirerent, sicut ipsi aiunt, contraria planè ratione expertè affirmamus eas calefieri multúmque nocere: aquas vero calidas omninò exuere & deperdere odorem, saporem, & proprietatem virtutemque suam: sicut idipsum deprehendi potest in aqua Absinthii, quæ cum amara esset gustui, juxta ipsius plantæ qualitatem, & qualis esse deberet, reperitur subdulcis & sapore evanido & (ut ita dicam) insipido. Quod planè demonstrat, plumbum invertere & abolere prorsus, virtutem & proprietatem aquæ supradictæ. Jam ergo si dictum illud Capitellum vim habeat extinguendi amarorem hujus Absinthii, & faciendi gustum quendam seu saporem planè contrarium: quid impedit obstatq; quò minus opiner & credam aquas plantarum tenerarum & delicatarum, quæ resistere non valent, mutationibus adeò contrariis non perverti, & prorsus alterari? Nihil omninò: Ergo concludendum est, tales liquores, non retinere quicquam qualitatum, foliorum & florum, è quibus eliciuntur: & consequenter non inutiles solum esse, sed odiosas & pravas, noxiásque si sumantur. Jam vero ad illud quod paulò ante allegatum est, de facultate corroborante quam plumbum dictis aquis imprimere valet, Idque exemplo *Neronis* Imperatoris: Respondeo aliud esse plumbum exterius applicare, aliud verò decoctionem per os sumere. Nam in repellendo per antiperistasin, ut dicitur, calorem intra pectus per applicationem externam, calor hoc modo vim suam reduplicans introrsum, vocem efficere valet robustiorem, ut dictum est. Verùm ut habeat virtutem quandam specialiter peculiarem, ad corroborandum, & ad imprimendum virtutem illam aquis (quo nihil minus) ridiculum quiddam est: quomodo etiam dictum illud frigus plumbi conservari faciat cadavera mortuorum à corruptione, infantésque tueatur & muniat contra vermes, quia putredo & vermes nunquam interveniunt uno in subjecto, nisi mediante humiditate & calore temperato, sicut plumbum quod frigidum est, repellendo ut à me dictum est calorem introrsum, dissipat & resolvit materiam ex qua generantur vermes, & tum cum vindicat mortuorum cadavera à putredine: Hoc fit ex frigiditate cum siccitate, planè ei contrariâ, quod corrumpi aptum est: Cujus ratione, verum esse constat, quod hæc non producit effectu, ob quandam raritatem quæ possit in materia sua observari. Quod si hujus metalli frigus tanti esset, ut putemus aquas frigidas quæ transierunt per illud, frigidiores evadere, sequeretur, aquas virtute narcotica dotatas, præstantiores esse, veluti perfrigidas: vel potius etiam, Aquas actu congelatas, sicut grandinem, nivem, & consimiles, quod nihilominùs absurdum est: nam è contra tales aquæ bibentibus ex illis periculum mortis injiciunt, sicut *Plinius* voluit, dicens, ***Nivem quidem glaciemque subtilissimam elementi ejus videri miror, appositio grandinum argumento, è quibus pestilentissimum potum esse convenit.*** Sed tempus est ut melius retegam vitia campanarum illarum è plumbo, ut plenius & melius insulsioribus & magis refractariis super hoc argumentũ satisfaciam, quibus hoc exhibeo & propono, quod cum Lithargyros & Cerussa quæ procedant utraque de plumbo ut compertum est, sint medicamenta letalia & periculosa si sumantur ore, (ne operam insumam ulterius) in magnis argumentis producendis, quod plumbum vix ac ne vix quidem convenire possit sanitati mortalium, quando constet & in confesso sit, aquas hæc organa transeuntes retinere, vel acquirere posse, per impressionem quam illis impertit hoc metallum, quod suum temperamentum & materiam resipiat: Quod est perquam verum, & facilius hinc perspicitur, quod non ulla fiat aqua mineralis quæ transit omnino frigida per metalla: vis enim ignis inter destillandum, in causa est quod interior superficies dictarum campanarum præsertim novarum & recentium, obtegatur tota, flore quodam candido, qui nihil

aliud

aliad, est quam mera Ceruſſa, ſuper quam aquæ inter deſtillandum pertranſeunt, & contrahunt qualitatem ejuſdem: unde ſequitur, quod ex uſu earum magna deinde inſequi poſſint mala: & præcipuè, præter nauſeas, malum ſtomachi, ut antea dixi, dyſenteria admodum moleſta: ſicut *Galenus* & *Aëtius* prædixerunt, de aqua pluvia quæ tranſit per canales & tubos è plumbo factos. Quod hinc procedit, quia tale metallum frigidum eſt & ſiccum. Nam quando aquæ contraxerunt ejuſmodi ex eo qualitates, inde accidit ut aqua ſtillatitia deveniat quodammodo aſtringens per iſtiuſmodi communicationem, & diutius ſubſiſtat in ſtomacho quam neceſſe ſit: atque illic refrigerat hanc partem & impedit digeſtionem: adeò ut poſt hanc exorbitationem & errorem fluxus ventris inſequatur; & tandem dyſenteria. Atque ut concludam, hæc omnia huc redeunt denique, quod ob hanc cauſam, aquæ dictæ, nullam virtutem retinent plantarum è quibus extractæ ſunt, unde reſipiant multum Empyreumatis, & relictis earum bonis qualitatibus, acquirunt ſibi alienas & periculi plenas. Redeo jam ad ſummum rei, ac confidenter dico, non oportere in futurum aquas deſtillari, in hiis *Roſariis*, ſecundum illud quod *Matthiolus*, & diſertis verbis *Cronembergius Colonienſis* dicit. Hæc cùm vera eſſe conſtet, quis igitur nunc in plumbeis Campanis deſtillatas aquas, ampliùs uſurpare volet? niſi planè Medicus temerarius aut homo ſalutis ſuæ contemptor audax, cum equidem exitialem facultatem illæ ſortiantur. Sed ut reddam ego rationem talis Alembici, & unde profectum eſt, quod illud idem ex uſu fuerit, ſicut videtur quod antè aliàs ſubinde ob aliquam rationem peculiarem fuerit, opinor ego, (ita tamen ut non pro certo affirmem) quod ejuſmodi vaſa peculiariter accommodata eſſent; ad deſtillandas aquas propriè dicatas curationi ulcerum & plagarum cruentarum ſeu vulnerum: nam plumbum huic operi admodum competit, dummodo tamen in extrahendo aquas per hæc vaſa, ignis cum moderatione & prudentiâ regatur, ne forte cum refrigerare aut deſiccare debeat dictam plagam, inflammetur ea ampliùs. Et ut perſequar inſtitutum meum, & dicam de aliis vaſis quæ ſequuntur, nempe, Cucurbita & Capitello ex * ære ſimul, etiam, quando patella eſt terrea & Capitellum vitreum: aut alioqui cum utraque ſunt vitrea, quæ ponunt in cinere, vel ſabulo ſuprà allegatis, ad deſtillandum plantas * frigidas: aſſero has omnes procedendi rationes rejiciendas eſſe: ſive enim ſit quod cuprum & terra imprimant herbis acuitatem & calorem immodicum, ſicut proculdubiò accidit, ut ſupra dixi, talia enim vaſa imponuntur immediatè ſuper ignem; ſeu ſit quod hæc ultimo in loco dicta, ponantur in cineribus vel in ſabulo, ſemper ſequitur, (periculum faciat curiosè quivis quantum volet,) quod hujuſmodi aquæ, retinent multum Empyreumatis, nec unquàm inveniantur talia Alembica ad eas extrahendas: ſed potius, alios liquores differentes ab illis herbarum & florum recentium: ut exempli gratia, in Cucurbita & Capitello cupreo, ſtannatis, deſtillari poteſt Aqua vitæ: ſicut ſuo in loco infrà dicam. In Cucurbita terrea vernice oblita, cum Galea ſive Capitello vitreo extrahi poterit Oleum Terebinthinæ ac ſimilia: & quando velit quis Alembica tota vitrea in cineribus ponere, expedit hoc quidem ad eliciendum Aquam Canellæ, Aquam Imperialem, & alias Aromaticas: nunquam autem foliorum, florum aut aliorum partium plantarum recentium, ob has igitur omnes rationes (ut redeam ad illud ſubjectum meum propoſitum,) rejiciendo ſupradicta quinque Alembicorum & vaſorum genera, adducor & impellor hoc confirmare & pronuntiare, nunc tantum eſſe & unicum modum probe & ut debet deſtillandi aquas è plantis recentibus: Solumque unum alium, ad eliciendum aquas compoſitas. Prior eſt, hoc genus Alembici & vaſis quod vulgò dicitur *Balneum Mariæ*: alter ad aquas herbarum eſt Alembicum & Capitellum de vitro, probè ſupra cineres ſitum & adaptatum: quæ duo vaſa reddent liquores claros, liberos & exemptos vitiis ſupradictis: quoniam guſtu & odore agnoſcere & dignoſcere propemodum licet abſque ſcripto, pleraſque earum, quibuſnam ex plantis extractæ fuerint. Quod verum deprehendetur, in Abſinthio, cujus herbæ aqua ſtillatitia invenietur amara & valdè ingrata: & refrigerantes, gratæ erunt & jucundæ: & quod plus eſt, dotatæ conditionibus requiſitis: quóniam, ut demonſtrat *Matthiolus*, *dictum illud Balneum aquæ calidæ, humiditate ſua retinet, conſervatq; ſubtiles partes, & tuetur eas ne reſolvantur & evaneſcant, ſicut aliis*

Matthiol. lib. 1. cap. 13. Lib. 3. cap 24.

De Compoſit. Medicam. lib. 8 de Aquis deſtillatis.

* *Cupro contra ſerpentinam & duo alia Alembica.*

* *recentes.*

Vnica methodus bene deſtillandi aquas plantarum.

Vera methodus extrahendi aquas Aromaticorum.

aliis usu venit. Nam neque ignis afferre quicquam incommodi illis poterit, ob intervallum in quo vitrea Alembica sita sunt, nec vitrum alienum quid illis imprimere. Cujus vasis ratione, quod appellatur *Balneum Mariæ*, Tria in medium proferre debeo, & post veniam ad Alembicum in cineribus locatum. Primum erit, quomodo fit illud quod dicitur *Balneum Mariæ*, & qua ratione Alembica disposita esse debent in hoc vase?

Secundum, unde veniant hæc vocabula [*Balneum*] & [*Mariæ*]

Ultimo in loco, modus utendi eo, ut benè procedatur, & ut dictæ aquæ perdurent & sint exquisitæ.

Balneum Mariæ. De primo ut dicam, vas quoddam ingens cupreum instar lebetis haberi oportet, idemque surrectum & supportatum tribus ferreis pedibus, in cujus medio, erit circulus quidam sive ambitus ex eadem materia, qui sustineat cratem in fundo. Ingens hic lebes implebitur communi aqua & in eo collocentur, sex, septem aut octo Alembica de vitro, vel quot libuerit, prout capacitas poterit permittere. Quæ Alembica vitrea retineri debent per opercula parva quæ alligantur ad marginem seu crepidinem vasis, & supradictum ambitum: Deinde cum ita sunt suffulta & retenta ne exiliant & loco vacillent, neve incurrant invicem & impingant, ignis struendus est intra ambitum dictum appositum in medio Alembicorum illorum: & ratione hujus ignis, aqua quæ est in illo, fervefiet, & ea aqua fervens, calefaciet vitrea Alembica ibi locata, atque ita ea ratione aqua destillabit perquam clara & admodum grata, unà cum ipsis qualitatibus quas habent plantæ, unde extrahuntur: Observandum verò est ut in uno latere vasis illius, sit fistula, ex eadem cupri materia, quæ facilè claudi possit & recludi, ut per eam effluat aqua cum nimis fervida sit: & super operculum, opus est foramine, ad infundendum eo recentem aquam, quoties diminuta est, quoties etiam nimis incalescat, cum voluerit quis aliquatenus eam temperare. Cujus formæ, Balneum Mariæ mihi unum est affabrè factum: in quod appono sex Cucurbitas seu Alembica vitrea: cujus fabricam videre licet in *Weehero*, quæ exhibet oculis depictam illius imaginem & figuram.

Etymologia Balnei Mariæ. Jam ut descendam ad secundum caput, de vocabulis *Balnei* & *Mariæ*: Hoc primum comperio, quod quoniam in tali quodam vase Alembica fervefiunt, sicut calefiunt quodammodo homines in Balneo, præsertim *Romani*, hinc vas hoc ita denominatum fuit. Veteres enim *Romani* penuria linteaminis, cujus facultas non fuit olim talis sicut nunc dierum, (teste *Vigenero* in *Titum Livium*) coacti fuerunt ut se liberarent à pulvere, sudore, sordibus, & fœditate, purósque servarent, sæpius calefieri & lavari in soliis seu labris aqua repletis, vel etiam in cubiculis sive cassulis, (quæ *Sudatoria* appellat ille, nos *Hypocausta* sicca, in quibus ungebantur oleis odoratis, liquoribus, suffitibus, fumigationibus, & compositionibus innumeris: alii quidam hoc facerent ad se tergendos ut dixi, quomodo *Turcæ* aliique populi Orientales, ob calores illius Climatis: alii ad tuendam hac ratione sanitatem: utcunque, quod ad sanitatem attinet, quænam expectari possit ab hiis balneis ambigitur, nec adhuc inter Medicos satis constat: Quidam enim hæc balnea ob ignaviam quandam & delicatam consuetudinem potiùs amplectuntur, & asserunt nullum earum esse usum nisi ad remolliendos nervos & musculos: Cùm *Suetonius* in vita *Augusti* disertè hunc in modum dicat: *Verùm, tantam infirmitatem magna curâ tuebatur in primis lavandi raritate.* Cæterum, utcunque se res habeat, Hæc Solia repleta aqua & Stuphæ siccæ, postmodum, promiscuè appellabantur *Græcè*, Thermæ, à θερμὸς, quod calidum significat: *Latinè* autem Balnea ἀπὸ τῶν βαλανίων, i. a Glandibus, respectu putaminum glandium, quibus utebantur in calefaciendis tam dictis Balneis, quam Stuphis siccis: Hujusmodi enim materia pinguis & oleosa cum sit, satis diu fovet ignem, & præterea ardentiorem facit, quam ligna, sive torres inducta pice, quibus ad alia utuntur, atque ecce quid *Suidas* de hoc argumento dicat. *Glandes, hominibus apud antiquissimos: cortices verò earum, igni alimenta præbuisse.* Adeò ut, cum hoc vas quodammodo referat cupas seu Solia superiùs memorata, nomen [Balneum] ei impositum fuit.

Titul. 82.

Balneum & Thermæ, idem. Quod ad sequens vocabulum, scilicet [*Mariæ*] eum opinor deceptum fuisse quicunque is fuit qui dixit, referri illud debere *ad beatam Virginem Mariam*, ac si melancholicus

cholicus quis hoc voluit dicere; quasi verò ejusmodi vas inde hoc nomine insignitum fuit; quod illa solita sit aqua consimili modo calefacta uti: Quod planè absurdum est & ridiculum: Potius enim hoc nomen profectum est de [*Mare,*] & Balneum Maris quis dicat pro Balneo Aquæ: quoniam sæpenumero, ab hoc vocabulo [*Mare*] loca, in quibus magna vis & copia esset aquæ, etiam illius quæ non nisi communis sit, appellentur; sicut Lacus etiam *Asphaltites* appellatur Mare, propter abundantiam aquæ in eo contentæ, præ aliis Lacubus ordinariis: & ut redeamus ad rem qua de quæstio est, quoniam Cucurbitæ vitreæ immerguntur vasi cuidam cupreo capaci, aqua repleto communi, & quia permagna est aquæ quantitas ratione habita illius, quæ destillatur è plantis, opinor ego nomen [*Mariæ*] à proposito non alienum esse: & verè ut dicam, non sufficeret dixisse, destillandas esse plantas in Balneo tantum. Nomen enim [*Balneum*] æquivoce attribueretur æque ut dixi, Balneo aquæ calentis, ac etiam Stuphæ siccæ sive *Hypocausto*, quod meram quandam confusionem pareret: Hoc in causa fuit primis Destillatoribus *ut ambigerent*, nescientes an Alembica immergi deberent aqua communi, an calefieri tanquam in Stupha sicca. Jam verò si quis à me rationem quærat, cur hoc nomen [*Mariæ*] retineatur, & dimittatur illud [*Marii*] quando verius hoc sit, magisque legitimum: existimo; ut huic quoque respondeatur, hoc accidisse vel Typographorum culpâ qui facilè unam literam pro alia acceperunt: vel potius fieri posse quod Destillatoribus visum est, tale quadam ambiguitate uti, ne eorum scientia profanaretur, atque ita res sensim & sine sensu, ad nos usque pervenit. Sed audire mihi videor quendam etiam dum me erroris insimulantem: quod existimem Thermas & Balneum idem esse: & indifferenter significare, tam Balneum quam Stupham siccam: quandoquidem è contra creditur, & multis in locis pro vero deprehenditur & tenetur Balneum esse locum ad lavandum; & Thermas Stupham siccam solummodo: cui respondeo, quod appellabo confidenter, & Balnea aquæ calidæ, & Stuphas, peræquè Thermas ac Balnea: quandoquidem Medici sic scripserunt: nempe *Fallopius*, *Dortemannus*, & aliquot alii: Cujus rei causâ, ut repetam priorem sententiam meam, concludo, Balneum, sc. *Mariæ* originitus appellationem suam inde sumpsisse: nec satis esse Balneum simpliciter nuncupare, nisi addatur etiam vocabulum illud [*Marii*] quando Alembica immergi oportet aqua communi, & nequaquam calefieri in Stupha solummodo. Sed dicamus de tertio & ultimo Articulo, videlicet ut demonstrem, qua ratione destillare debeamus aquas plantarum in hoc vase: circa quod tria sunt consideranda.

Tria consideranda in aquis destillatis, in Balneo Mariæ.

Primum, quomodo accommodari & aptari debent, flores & herbæ, quæ quis destillare velit in Alembico vitreo, per Balneum Mariæ.

Secundum, qua ratione regi oportet ignem, & aquam, cui immerguntur.

Postremum quidnam faciendum sit dictis aquis, postquam destillata fuerint.

Digestio & Circulatio.

Quod ad primum, tres sunt variantes opiniones: Prima eorum qui volunt postquâ herbæ contritæ sunt in mortario marmoreo, permittantur aliquot diebus digeri, antequam incipiant destillare, quod fit, collocando Cucurbitam quæ continet eas in cavo quodam, quod in fundo habeat calcem & undique in circuitu fimetum: ita tamen ut dicta Cucurbita tota eo operiatur. Nam si Cucurbita dicta media ex parte tantum detecta sit, hoc est, si medietas una sepeliatur in fimeto, altera verò exponatur aëri, hæc diceretur Circulatio. Alii dicunt quod contundi debent vel concidi tantum herbæ: eisque adjici decima pars Salis communis, dein destillari: quod iste Sal hanc facultatem habeat, conservandi dictas aquas & tutandi eas ne corrumpantur.

Weckerus in suo Thesauro particulari, lib. 1.

Enchyridium Myropolarum.

Ultimo in loco dicunt alii nihil aliud agendum esse, quam ut incidantur & conterantur folia vel flores destillandi, & imponantur Alembicis, & sic eliciendæ sunt aquæ, sine ullo alio operoso negotio.

Quibus omnibus operandi rationibus respondeo, quod ultima, ut mea fert opinio, præferenda est: Nam si digestioni committantur dictæ plantæ, accedet proculdubio, quædam corruptio & mutatio, adeò ut cum eorum aquæ imbuerentur qualitate expetita, invenientur postea odore, sapore, & qualitatibus contrariis: Et si quis

volet

volet illis adjicere Salem, juxta secundam opinionem supradictam, non magnum inde periculum arbitror habiturum: sed cum non debeat hoc facere, credendum minime est tales aquas inde futuras esse salsas: Sal enim nequaquam ascendit, nec imaginandum est hanc rationem esse ridiculam, quoniam videre est aquam marinam destillatam devenire dulcem, nec suam omninò retinere salsedinem, quia Sal subsistet in fundo nec potest ascendere: & revera ausus est dicere quidam, si Salvi ignis in destillando sursùm ferretur, non difficile esset hac ratione aquas destillatas efficere purgantes, (rem scilicet quæ fieri nequaquam potest,) utcunque & quoties quis tentare hoc & experiri velit: quamvis *Weckerus* credidit stillatitiam Ebuli aquam evadere purgatricem: & *Cordus* florum Persicæ, hoc modo fore laxativam. Nam postquam semel atque iterum tentaverit quis, vel ipsa laxativa medicamenta destillare, nihil quicquã tamen aliud extrahetur quam liquores inefficaces & inutiles: quod testatur aqua Rosarum, quæ tantum abest ut purget, sicut Rosæ ipsæ in substantia sua & earum succus, ut nihilominùs astringeret & corroboret: verùm utcunque res se habeat hoc respectu (non affirmando facultatem purgantem dependere ab aliqua potione Salis quæ possit in planta esse) censeo prorsus rejiciendum esse Salem ab hac destillatione, ne ullo modo alteretur herbarum qualitas, præsertim refrigerans, sicut fortasse, eveniret. Quod si quis mihi inferre velit & dicere, quod ob præcautionem ne corrumpantur, reperiri debere aliud quid remedii, quando timeam dicti Salis mixtionem: respondeo, quod quicquid fiat, post unum annum, non sunt deinceps bonæ. Nam quoque anno redestillari oportet recentes: nisi quis potiùs uti velit Circulatione suprà allegata, per quam existimantur diutius conservari.

Quare destillari non possunt aquæ purgatrices.

Sed ut dicamus de secundo; quod respicit gradum ignis & aquam calidam: hoc observandum est, quod quando destillantur flores frigidi, verbi gratia *Nenupharis* & similes: ignem oportet esse perpusillum, ita ut aqua sit tepida tantum, ne forte per talem calorem alterentur, qui illis omninò est contrarius: verum ad herbas calidas, opus est ut aqua calidior sit, ut ea ratione vapor & citius & majore vi elevetur: Nam earum virtus extractu difficilior est, & curam requirit, quæ adhiberi debet inter destillandum.

Accedamus jam ad ultimum illud; cognitionem scilicet illius quod agendum sit, postquam illæ aquæ elicitæ sunt. In quo advertendum est, quod ad frigidas attinet, nihil aliud faciendum esse nisi ut in vasculis vitreis aliquot dies soli exponantur, & operiantur membrana seu Charta Pergamena quodam acumine seu acu pertusa, ut exitus pateat excrementitiis earum partibus: verum, calidæ alio quodam modo tractari regíque debent: Nam priusquam soli exponantur, refundere oportet eas super fœcem quæ residet in Alembico, unde extractæ sunt, atque ita eas denuò destillare, idque ter aut quater: nam qui arbitratur se habiturum virtutem alicujus plantæ calidæ, unâ solùm destillatione, fallitur. Sicut Enchyridion illud admodum aptè & eleganter observat. Atque hæc de omni eo quod pertinet ad destillationem aquarum quæ elici debent è plantis frigidis. Transeamus nunc ad vas destillandis aquis compositis accommodum: quod est Alembicum quoddam vitreum in cineribus conditum, cujus ratione dico, quod quoniam majore vi elicere oportet virtutem sive efficaciam medicamentorum Aromaticorum, quæ ut plurimum sicca sunt, & calor aquæ non sufficiat extrahendis illis, sicut florum & herbarum, hæc methodus est perfectior: contra *Matthioli* tamen sententiam, qui destillat aquam * *Canellæ*, in *Balneo Mariæ*.

Ad extrahendas aquas Aromaticorum.

* *Sive Cinnamomi.*

De quibus aquis compositis deinceps tria sunt observanda: Primum, quidnam faciendum est ante destillationem earum: secundum, quid inter destillandum; & postremo, quid post aquam illam destillatam. Nam hæ observationes differunt ab aquis plantarum frigidarum. Quare primo in loco, ad dictas aquas compositas, requiritur, idque necessariò, ut infundantur ingredientia, ad ea remollienda per viginti quatuor horas integras vel circiter, in liquoribus convenientibus, videlicet *Aqua vitæ*, Vino albo, vel aliis quas Medici præcipiunt, idque super cineres calidos, in Cucurbita vitrea benè obturata, vel etiam ad radios caloris Solaris, si tempus anni sit idoneum: quod alioqui curando eas destillari, antequam infunduntur perparum extrahi poterit virtutis Aromaticorum, quæ pleraque sunt siccæ species & duræ, respectu herbarum antè memoratarum.

Tria consideranda in aquis compositis.

Quod

Quod ad secundum hoc in opere considerandum, scitu dignum est, utrum intentior ignis faciendus sit in principio destillationis, & paulatim minuendus, ad modum qui observatur in aqua perficienda: vel contra potiùs incipiendo ab igne parvo, & desinendo in igne quodam satis magno. Cui respondeo, ut ne immorer in referendo quasdam rationes, quæ pro & contra inferri possunt, quod posterior procedendi modus, videtur mihi præstantior, quoniam Aromata cum macerata sint in *Aqua vitæ*, seu Vino albo, aliisve liquoribus consimilibus, & cum illa aromata virtutes habeant subtiles & tenues sicut & supradicti liquores: pro certo constat quod meliores spiritus qui subtiliores sunt, sursum ferantur citiùs quã posteriores, qui tardiores sunt & crassiores, idcirco videtur mihi ignem fieri debere in principio mitiorẽ quam finem versus destillationis earum. Si enim initio, ignis violentior esset, quando spiritus subtiliores & tenuiores, facilè consumerentur ob aptitudinem quam habent (ob tenuitatem suam) inflammari & ignem concipere. Hinc est quod non admittimus revera, aquarum aromaticarum compositarum non nisi illam, quæ primo destillat tanquam meliorem, gustu prævalentem & aromaticam; relinquimus verò ac dimittimus seorsim postremam, quæ reperitur invalida & quodammodo insipida, sicut dicemus, cum agemus de *Aqua vitæ* deinceps. Quod si aliquis dicat, quod ob tenuitatem spirituum aquarum illarum aromaticarum, conduceret eas per *Balneum Mariæ* elicere potius quam per cineres, tanquam temperatum magis, sicut *Matthiolus* id expetit ad aquam suam, huic respondeo, quod requiritur quidem (& revera) calor temperatus in hiisce, sed non adeò debilis ac reddit *Balneum Mariæ*. Nam spiritus aquarum aromaticarum lentiùs justo exirent: unde sequeretur quod hii quidem dissiparentur antequam illi prodeant, cum si calor paulò plus intentior esset, sicut ille est de cineribus; dicti spiritus aromatici citò impellantur & promptè, ut uniantur, aggregentur, & hac ratione aquam quandam fortem exquisitam efficiant.

Sed jam de postremo agamus: Exponi dictas aquas compositas Soli dicunt oportere, sicut illas ex plantis frigidis. Contra quod dico, quod hoc faciendo multum peccaretur, quandoquidem si spiritus exhalarent per membranam illam seu chartam pertusam, in hiis aquis aromaticis, hac ratione, quod magis excellit in illis quæ compositæ sunt & pluris æstimatur, prorsus periret: restaret que nihil certissimè nisi quod parum valeret, aut sit quasi inutile: quod adiget me ut concludam, postquam aquæ aromaticæ sunt extractæ, nihil agendum esse aliud quam ut probe obturentur & occludantur recondanturque ad usum, sine ulla alia ceremonia seu ambage: observando tamen, ut ultima quæ prodit aqua, tanquam infirma & insipida, non misceatur cum prima, quæ efficax est & perbona. Sed videamus jam receptam descriptionem *Aquæ Canellæ* sive *Cinnamomi* excogitatam & inventam à *Matthiolo*: & post pergemus alias describere, quæ in Catalogo sequuntur.

Aqua Cinnamomi Matthioli.

℞. *Aquæ Rosarum, lib. quatuor.* *Vini albi optimi, lib. semiss.* *Lib. 1. cap. 13. in Dioscor.*
Cinnamomi electi, lib. unam.
Infundantur simul super cineres calidos, horas 24, in vase vitreo operculato: sequenti vero die, destillentur ut artis est.

Pergamus porrò ad secundam aquam, sc. *Imperialem*: De qua hoc monstrandum occurrit, quod nullus Author adhuc descripsit *Aquam Imperialem* (quod sciam) præter *Liebautum, in libro suo* quem *de Decoratione* composuit: qui refert duas *Receptas* indifferentes: Sed quoniam hic Author dicavit dictas aquas ornandæ faciei solùm cum nos contra respicimus & requirimus sanitatem, nemo extitit adhuc, qui has duas Receptas, in usum suum traxit. *Aqua Imperialis.*

Hinc est, quod quisque Pharmacopœus ad hoc usque tempus, suam particularem apud se habuerit, sine ullâ omnino inter se invicem congruentiâ. Quod magnam internos confusionem hoc nomine retinuit. Cui ut occurratur: postquam de hoc quod supradictum est, certior esset factus. *Dominus de Varanda, Decanus* Professorum

* *Sive Descriptionem.*

Medicinæ in hac *Academia*, visum ei fuit unam quandam * *Receptam* excogitari ex omnibus aliis collectam, quibus illum instruxeram: & post maturam deliberationem hoc me honore dignatus est *Anno* 1607, *Receptam* illam mihi impertiri, quæ hujusmodi est ut sequitur: quam ego deinde fœliciter sequutus sum: & quæ in futurum optima censeri poterit.

Aqua Imperialis Varandæi.

℞. *Corticis Citri sicci,*
Arantiorum,
Nucis Moschatæ,
Caryophyllorum,
Cinnamomi, ana uncias duas.
Cyperi,
Ireos Florentiæ,
Calami Aromatici, ana unciam unam.
Zedoariæ,
Galangæ,
Zinziberis, ana unc. semiss.
Summitatum Lavandulæ,
Rorismarini, ana manip. 2.
Fol. Lauri,
Majoranæ,
Hyssopi,
Melissæ,
Menthæ,
Salviæ,
Thymi, ana manip. unum.
Rosarum albarum,
Rosarum pallidarum recentium, ana manip. semiss.
Aquæ Rosarum, lib. quatuor.
Vini albi optimi, lib. duas.

Contusis prius contundendis, infundantur per 24 horas, in Alembico vitreo super cineres calidos. Deinde destillentur ut artis est.

Procedamus ad tertiam aquam compositam,
quæ est Aqua Cœlestis.

Aqua Cœlestis.

Duæ Aquæ Cœlestes.

Hanc diverso modo descriptam, à duobus Authoribus invenio. Prior est *Matthioli*, *Capite de Vino destillato*: Quam ille non *Cœlestem* appellat, sed *Aquam vitæ* solùm *Compositam*. Altera reperitur in *Antidotario Ioannis de Vigo*: quam ille peculiariter hac appellatione donavit. Quas hîc referre utrasq; deincepsanimus mihi est, ut liberum sit cuique præ aliis curioso, hanc aut illam componere prout accepta magis aut gratior videbitur: Hoc nihilominùs præ me ferens, quod illam *Matthioli* bis composui de consilio nuper defuncti *Jacobi Catellani* patris mei, dum in vivis fuit, Magistri etiam Pharmacopœi hujus Villæ, qui optimè calluit quicquid suam ad Professionem pertinebat, quod qui illum noverunt minimè negaverint: Ob magnam inquit ille confusionem quæ observatur in illa *Vigonis* Descriptione, tam in dosi Ingredientium malè proportionata & dispensata, quam in Methodo destillandi quam describit, sicut ego posthac speciatim in medium producam, & duas alias *Ioannis Vigonis*, quam correxi in quibusdam articulis: sicut monstrabo statim, quod sic mihi videatur, multò magis exquisita quam illa *Matthioli* quam antea feci. Cujus decisionem tamen referam ad Magistros Medicinæ, ut statuant quod illis videbitur: In quo ipse etiam sine ulla pertinacia acquiescam.

Aqua vitæ Matthioli *Composita, quam nos* Cœlestem *appellare possumus.*

Lib. 5. cap. 7.

℞. *Cinnamomi, unciam unam.*
Zinziberis, unc. semiss.
Santali albi,
Citrini,
Rubri, ana drach. sex.
Caryophyllorum,
Galangæ,
Nucis Moschatæ, ana drach. duas.

Macis

Macis,
Cubebarum, ana drach. unam.
Cardamomi majoris,
Minoris,
Seminis Nigellæ veræ, ana drach. tres.
Zedoariæ, unc. semiss.
Sem. Anisi,
Fœniculi dulcis,
Pastinacæ sylvest.
Basilici,
Rad. Angelicæ,
Fol. Betonicæ,
Rad. Glycyrrhizæ,
Calami Aromatici,
Valerianæ minoris,
Fol. Chelidonii min.
Flor. Thymi,
Calaminth. vulg.
Serpylli,
Majoranæ, ana drach. duas.
Rosarum rubrarum.
Fl. Salviæ,
Rorismarini,
Betonicæ,
Stœchados,
Bugloss.
Borraginis, ana drach. unam semiss.
Cortic. Citri sicci, drach. tres.
Pulv. Diambræ,
Aromatici Rosati,
Diamoschi dulcis,
Diamarg. frigid.
Diarrhodon. Abbat.
Electuarii de Gemmis, ana drach. tres.

Contundenda contundantur & infundantur, in lib. 12 Aquæ vitæ optimæ per 15 dies: deinde destillentur ut artis est. In qua aqua infundantur Santali Citrini drachmæ duæ, Ambræ Gris. & Moschi in nodulo positorum, ana drach. semiss. Julepi Rosati, lib. 1. Misce & reponantur per 15 dies. Demum colentur in alio vase & reserventur usui.

Aqua Cœlestis, Ioannis Vigonis.

℞. *Cinnamomi,*
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ,
Zinziberis,
Zedoariæ,
Galangæ,
Piperis longi,
Corticis Citranguli,
Spicæ Nardi,
Ligni Aloes,
Cubebarum,
Cardamomi,
Calami Aromatici,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Macis,
Thuris albi,
Tormentillæ,
Hermodactylorum,
Medullæ Ebuli albi,
Sem. Juniperi,
Baccarum Lauri,
Sem. Flor. Matricariæ,
Sem. Apii,
Fœniculi,
Anisi,
Fol. Salviæ,
Flor. Basilic.
Fol. Rorismarini,
Fol. Majoranæ,
Menthæ,
Pulegii,
Stœchados,
Flor. Sambuci,
Rosarum rubrarum,
Rosarum albarum,
Fol. Scabiosæ,
Rutæ,
Lunariæ minoris,
Agrimoniæ,
Centaurii,
Fumariæ,
Pimpinellæ,
Crispini seu Taraxaci,
Euphragiæ,
Capill. Veneris,
Capitum Monachorum vel Endiviæ,
Sem. Acetosæ,
Santali Citrini,
Aloes Hepaticæ, ana uncias duas.
Ambræ Finæ,
Rhubarb. Fin. ana drach. duas.
Ficuum siccarum,
Uvarum passar m,
Dactylorum sine ossibus,
Amygdalarum dulcium,
Granorum Pini, ana unc. unam.

In Antidot. lib. 8. cap. 21. de Aquis, Titulo de Magistralibus.

Aquæ vitæ optimæ ad quantitatem omnium. Sacchari quadrupliciter prædictarum rerum. Videlicet pro una libra, ponantur de Saccharo, lib. 4. Mellis albi, lib. 2. Postmodum addantur infra scripta.

Rad. Gentianæ,	*Bryoniæ,*
Flor. Anthos,	*Rad. Panis porcini,*
Nigellæ quæ nascitur in frumentis,	*Absinthii, omnium ana unc. semiss.*

Et antequam aqua dicta ad destillandum ponatur; in dicta aqua, pluries aurea Lamina candens extinguatur: Deinde ponentur in ea minutæ Perlæ Orientales, & destillabit ipsam. Et adverte ne perlæ solæ remaneant, videlicet sine Aqua, cum ponuntur ad ignem, quæ in calore destillarentur. Et ista aqua sic cum auro confecta, & cum perlis, valet contra multas infirmitates.

Sex errores super Aquam Cœlestem.

Ecce sua ipsius Authoris vocabula & voces. Qui permultum videtur errasse, in dosi ingredientium: & deinde in Methodo, quam præcipere voluit, ut antea dixi. Quod enim ad dosim Ingredientium, impendit ille quatuor libras Sacchari & duas libras Mellis in singulas materiæ libras; quod absurdum est. Nam ingredientia omnia pendunt novem libras cui impendi debent triginta sex libræ Sacchari, & octodecim libræ mellis. Deinde Perlis utendum esse vult, sine earum quantitate denotatâ: & censet conservari eas debere ita ut non quicquam coloris sui deperdant: Res sane mira, ut quis arbitretur perlas posse integras inservire huic aquæ, & postea subduci.

4 Quarto in loco, extinctio unius auri Laminæ quam ille præcipit & commendat est inutilis, quod quivis homo sani judicii, ingenuè fatebitur. Nam utcunque conferri poterit huic aquæ rara quædam proprietas per hoc aurum, ea neutiquam accederet per illam extinctionem, quod me facit meminisse & memorare stultitiam eorum, qui ut faciant egregia Restaurantia, curent bullire torquem aureum in brodio seu colatitio (ut vocant) jure: etenim jusculæ ea propriè (ut vere dicam) extrahunt sordes duntaxat quas hoc aurum contrahere potuit, & nihil ampliùs. Nam postea redditur illud aurum splendidius & pulchrius. Sed quod ad Methodum hujus Authoris attinet, duas itidem absurditates continet. Prima, quod voluit ille ingredientia infundere cum Saccharo & Melle: Res itidem mira & aliena, ut bonus aliquis Medicus hoc scriptis mandaret: Nam viscositas Sacchari & Mellis impediret prorsus, quò minus hæc Aromatica remittant virtutes suas & facultates in hanc infusionem: Atque hinc est, videlicet, quod nunquam infundimus seu maceramus Saccharum cum Canella, in Vino, quando animus est *Hippocraticum* (quod dicitur) conficere.

6 Postremò facit hic Author duas separatim infusiones Medicamentorum Aromaticorum, quæ possunt simul infundi: cujus nullam possum ego rationem comminisci, quare hoc fiat.

Ad corrigendum errores supra dictos sequitur hoc ipsum.

Quod si quis emendare velit hos omnes errores & culpas, sicut ego bis feci: reperietur quod hæc optima & præstantissima futura sit aqua. Videlicet, si pro magna illa Sacchari & Mellis quantitate, imponatur illius una libra, & hujus selibra: quoniam ut mea fert opinio, ejusmodi Ingredientia non aliorsum imposita sunt, nisi ad mulcendam violentiam & aspredinem aliorum quæ possent molestiam exhibere iis qui illis uterentur. Perlarum (ut ego arbitror) una uncia sufficerit, quas conterere oportet antequam utaris. Jam verò ad extinctionem Laminæ auri, eam prorsus rejicio. Et quod ad binas supradictas infusiones, Primo in loco infundi vellem omnia Ingredientia in Vino destillato, sine ullius exceptione, præterquam Sacchari & Mellis, quæ censeo tum demum adjicienda esse cum incipiet tantum destillatio, & non citiùs ob viscositatem eorum: adeó ut cum sic processeris ut dictum hic est, de sex hiis articulis, destillari ex arte oportet. Atque ita existimo hanc aquam exquisitam fore & qualem oporteat esse.

Septem formulæ sive Receptæ Aquarum Theriacalium.

Pergamus jam ad *Aquam Theriacalem Rondeletii:* quam nos in hac Civitate retinemus potiùs quam plures descriptiones, quæ extant aliis in Antidotariis: sc. unam in Pharmacopœa Magistri *Banderoni*, quam ipse excogitavit; *Wecheri*, cujus meminit

meminit in Thesauro suo speciali: *Dalechampii* qui curavit aliâ *Lugduni* faciendâ, quam *Collegium Norembergense* in suo Thesauro approbant: *Sylvii* etiam qui composuit aliam, quam idem ipsum Collegium retinuit; & *Renodæi Parisiensis*, qui aliam quandam seorsim fecit: quandoquidem hii omnes Authores potuerunt quodammodo respicere particulariter incolas suarum Provinciarum: Quod impulit me ut dicam, Hanc *Rondeletii* Receptam sequendam esse hac in Civitate, etiam ut sequitur.

Aqua Theriacalis, Rondeletii.

℞. *Theriacæ antiquæ optimæ, uncias sex.*
Mithridatii optimi, uncias tres.
Rad. Helenii, uncias duodecim.
Gallitrici, manip. 2.
Chelidonii majoris, manip. unum.
Infundantur per diem & noctem in Vini Moschallini sufficienti quantitate, contusis ac concisis omnibus. Postmodum destillantur: scilicet in Alembico vitreo, in cineribus posito, ut antea dixi.

Aqua Aluminosa.

Quæ, cum non in usum recipiatur, nisi ad vulnera & ulcera, ut ego opinor, & alioqui exterius, censeo non alienum à proposito futurum eam in *Rosario* destillare, ea lege & cautione adhibitâ, ut ignis magna moderatione regatur, ut nullum admittat *Empyreuma*, quod damno afficere possit eos qui uti ea volent. Observandum in hac aqua, ut nullo modo distinguatur prima à postremâ, ut dixi in Aromaticis, Nulla enim est in aqua dicta necessitas, quoniam non curari aut regi debet ut præcedentes, sed sicut illæ Plantarum refrigerantium, quo tempore componitur. Atque hinc videre est quare soli exponi possit, sicut simplices, ut ea ratione amittat vapores excrementitias, quod ut videtur, *Liebautus* excogitavit, quem nos sequemur, cum *Magister Bauderonus* in libro suo eam approbaverit.

Aqua Aluminosa, Liebautii.

℞. *Succorum Plantaginis, Portulacæ,*
Aluminis Rupani, ana lib. unam.
Albumina Ovorum, num. duodecim.
Destillentur simul prius agitata baculo, ut artis est.

Restat ut dicamus de tribus Aquarum generibus, quas promisi initio hujus dissertationis: nempe *Aquâ Mellis*, *Aquâ vitæ*, & *Aquâ Aceti*: Quæ Apothecario necessariæ sunt, si non semper, at saltem cum aliquoties Magistri Medici præcipiunt.

Aqua Mellis.

Hæc elicitur quatuor ob diversa consilia, quatuor etiam modis differentibus. Primum, ad promissam barbam faciendum & capillos: Secundum tam ad mundificanda vulnera & superficialia & profunda, quam ad sanandum oculorum maculas & suffusiones seu cataractas. Tertium, ad absumendas excrescentias seu viscositates, alicujus maligni & sordidi ulceris. Postremum quando quis opitulari velit Asthmaticis, ut intus admittatur. Quo in argumento procedam ut sequitur juxta Enchyridium & *Liebautum*, sicut illi observarunt. *Quatuor genera sive modi Aquæ Mellis.*

Accipe quam Mellis quantitatem volueris, depurabis illud, dicit Enchyridium: id est, ut ego intelligo, despumetur, & reducatur ad consistentiam Syrupi: Deinde ut fiat prima aqua, imponatur dictum Mel in Cucurbitam vitream quæ locetur in Balneo Mariæ, & facito ut quantitas quam infundes in dictum Alembicum, non excedat quintam partem capacitatis ejusdem. Hoc est, si Cucurbita capiat 15 libras, & circiter, non immittatur plus quam tres libræ dicti Mellis: Cui adjicies parum Sabuli, aut parvulorum calculorum: ut *Magister Bauderonus* bene observavit: hoc consilio, 1 *Prima Aqua Mellis.*

ut

ut mel illud non effundatur ob temperaturam dicti Balnei Mariæ: & cum mel est despumatum, non verendum est ut effundatur, ficut alioqui fieret.

2 *Secunda Aqua Mellis.* Deinde ut fiat secunda mellis aqua, poni dictum Alembicum vitreum debet in cineribus, unde antedicta aqua extracta fuit.

3 *Tertia Aqua Mellis.* Et pro tertia, locari debet dictum Alembicum in Sabulo quod calorem fortiorem & intentiorem habeat quam illæ aliæ duæ. Sed quia metuendum est, ne Cucurbita illa vitrea frangatur in dicto Sabulo: censeo ut Cucurbita illa fiat de terra, cooperta Capitello quodam vitreo: nam resistet melius.

4 *Quarta Aqua Mellis.* Denique quod ad quartam aquam attinet, ecce quomodo *Liebautus* hoc edocuit. ℞. *Mel purificatum*, destilla illud in Balneo Mariæ sicut primam: Dein effundes dictam aquam super fæcem seu sedimentum, iterumque destillabis, & tertia vice idipsum denuò facies, & continuabis hoc facere, usque ad sextam vicem: atque hæc præstantissima fuerit, pro asthmaticis & anhelosis.

Procedamus ad Aquam vitæ.

Serpentina est de ferro albo consolidato argento fino. MAgnam oportet habere cupream ollam, quam impones tripodi ad ignem subtus faciendam, supra quam ollam cupream appones quandam *Serpentinam* quæ transeat per doliolum pertusum repletum aqua frigida, in cujus descriptione non insistam particulariter, quoniam translatitium quid est: hoc solum habeo demonstrandum, quod ad bonam Aquam vitæ faciendam, imponendum est generosum & potens Vinum in dictam ollam ad tertiam scilicet partem suæ capacitatis: nempe, si vas illud contineat, 15 libras, Vini quinque libræ sufficient, pro una destillatione, unde extrahetur libra una plus minus, solum aquæ quæ sit fortis & potens, ac tum desines ignem subministrare: Post abjicere debes *Phlegma* quod est in ollæ fundo, & novum Vinum imponere, usquedum extraxeris *Aquæ vitæ* quantum libet: Observando interim ut ignis sit valdè fortis & intensus in principio, ut expedite impellas spiritus vini ad ascendendum & destillandum, nec permittere ut dissipentur morâ, & evanescant. Quod si habere cupias bonam Aquam vitæ rectificatam (ut dicitur:) *Aqua vitæ rectificata.* oportet loco Vini sumere *Aquam* illam *Vitæ* jam destillatam, eamque denuò destillare, atque adeò reiterare hunc destillationis modum quater aut quinquies. Tam enim parabis tibi potentem quidem aquam ardentem, sed eandem parva in quantitate: Nam in quaque rectificatione, extrahetur vix dimidium quantitatis requisitæ, & quæ magni æstimari possit. Cujus de rectificatione secretum quoddam revelare me oportet, quod *Alemannus* quidam mihi commendavit, ad comparandum Aquam Vitæ unâ solum destillatione æquè excellentem, ac illa potuerit esse quæ iterata fuerat sæpius, ad quintam atque adeò sextam vicem: & illud ecce quomodo se habeat.

Secretum rarum. Impones frustulum quoddam spongiæ orificio vasis sive ollæ quæ vinum in se continet, ita ut spongia illa obturet quodammodo foramen dictum seu orificium, tum superponere oportet serpentinam, ut dictum est: Hinc fiet, ut spiritus qui mirum in modum subtiles sunt & aërii transeant per spongiam: plus aquei autem & crassiores qui suâ quam habeant tenuitate non valent permeare talem densitatem, subsistent & detinebuntur per dictam spongiam: tandémque deorsum decident in fundum ollæ, ita, inquam ut hac una solum vice, extrahatur perfectissimum & subtilissimum quod erat in Vino.

Ratio probandi bonam Aquam vitæ. Jam verò probatur *Aqua ardens* bona & benè ut ita dicam subtilizata, quando guttula una olei communis injecta in phialam quandam *Aquæ ardentis* plenam, fundum statim petat: contra naturam aliorum liquorum, quos oleum semper levitate sua supernatat.

Quod si etiam imponere velit quis aquam ardentem in patinam aliquam, & propius ad ignem accedere ita ut concipiat flammam, si talis aqua ardens præstantissima est, tandem non extabit aut reperietur ulla humiditas in patina: sed è contrà cum primum ignis cessaverit & extinctus fuerit, restabit in patinæ fundo *Phlegma* insipidum, & quod nullo modo flammam concipit.

Acetum destillatum. Sed jam tandem tractatum hunc claudamus, *Aceto destillato*; Quod reddit liquorem

rem magis exquiſitum, contraria prorſus ratione Aquis Aromaticis, & Aquæ ardenti de quibus ante diximus. Nam cum prima illarum quæ exit aqua eſt excellentiſſima : contrario modo in hac ; Poſtrema eſt aqua quæ vim habet & virtutem præpollentem : Prima autem nihil aliud eſt quam phlegma propriè inſipidum,& proprietate ſeu qualitate nulla præditum. Cujus non potui rationem reddere quæ mihi placet, at veritus ne ſatisfaciam ut par eſt [Lectori.] Jam verò ut ad rem ipſam accedam. Accipietur bonum Acetum, & imponetur in Alembicum vitreum, ad tertiam uſque partem capacitatis ejuſdem : Poſtea collocare illud oportet in medio cinerum : ubi in principio parvum ignem facies : Nam tum, nihil extrahitur niſi aqua inutilis : Deinde vero paulatim augebis ignem, uſquequo validè intendatur, intra modum tamen & rationem, qui ſub finem exire faciet liquorem quendam, valde corroſivum, & qualis ad plures & diverſas intentiones expetitur. *Annotationes obſervandæ.*

En vobis *Magiſtri* quæ potui dicere de hoc Subjecto. Quibus curioſi magis & melius quam ego exercitati liberè poterint adjicere pro libito in eorum gratiam qui inſtrui cupiunt, & procedere hoc in argumento & ſubjecto. *Finis deſtillationum aquarum.*

Quod ſi non propoſitum mihi fuiſſet reſtringere meipſum ad aquas ſolùm ſtillatitias : pergerem ulterius ad dicendum, de *Balſamo Guidonis* tantopere celebrato : In cujus deſtillatione multæ res præclaræ poſſint obſervari, quandoquidem plerique eorum qui illud eliciunt,utuntur vaſis contrariis qualitati ejuſdem,& hac ratione pervertere poſſint eorum intentionem, qui laudant illud tantopere, & ejuſdem Authoris : Sed hoc rejiciendum eſt in aliud tempus : quando ſcilicet in animo mihi eſt, in lucem mittere, *Receptas* quarundam Compoſitionum, quæ hodiè receptæ ſunt inter nos, nec ordinatæ aut ulla ex parte directæ videntur, quales ſunt ***Pulvis Arthriticus, Laudanum, Emplaſtrum Veſicatorium, Emplaſtrum Paracelſi, Unguentum Tutiæ, Lac Virginale, Oleum Scorpionum*** Matthioli, ***Pilulæ Cochiæ minerales, Pilulæ Mercuriales, Pulvis Mercurii, Collyrium l' Anfranci,*** & ***Aqua Sclopetaria.*** ** Compoſitiones duodecim, inſcriptæ ſive deſcribendæ.*

Quo in argumento, ſumma cum cura quamprimum
(auxiliante Deo) me exercebo.

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE
TOULOUSE
UNIVERSITAIRE

Index Compositionum & rerum notatu dignarum in hoc Opere Contentarum.

A.

Absinthii historia 32
Acetabulum, quid? 274
Acetum destillatum 292
Aceti scillitici præparatio 50
Agallochi historia 72
Alembicorum divisio & partes 279, 280
Ambræ historia 67
Amurca veterum, quid? 193
Anacardiorum historia 11
Antali 234
Anthera, quid? 9,255
Antidotus Asyncrita 104
Apium montanum, quid? 79
Aquarum simplicium catalogus 278
Aquarum composit. consideratio 286
Aqua Cinnamomi 263,287
Aqua Aluminosa 267
Aqua Mellis 291
Aqua Theriacalis 264
Theriacalis Rondeletii 291
Aqua ad suffusionem 268
Aqua Cœlestis Vigonis 265,289
Cœlestis Matthioli 288
Aqua contra Calculum 265
Aqua Imperialis Varandæi 288
Aqua vulneraria 267
Aromaticum Caryophyllatum 63
Aromaticum Rosatum Gabrielis 64
As 273
Assarius, quid? 273
Asyncritum Actuarii 104
Aurea Alexandrina 107
Aureus, quid? 272

B.

Balneum Mariæ quid, & unde dictum? 284
Balsamum Polychrestum 214
Bauderoni *Laus* 44
Bedagaris succedaneum 39
Bellericum 234
Benedicta laxativa 142
Bes seu octunx 273
Borax 234

C.

Canella & Cinnamomum idem 118
Calchantum 117
Calchanthi, & Chalcitidis differentia ibid.
Chalcites & ejus vires 117,119
Chalcitidis fermocinatio 117
Chalcus, quid? 272
Caryocostinum 143
Cancamum, non est Lacca 94
Cassiæ & Cinnamomi historia 68
Cassia cum Saccharo pro Clysteribus 132
Cauterium holosericum 270
Ceratum quid, & unde dictum? 237
Album Galeni 238
Arnoglossi 240
De Crusta panis 241
Oesypi 239
Santalinum 238
Stomachicum Galeni 239
Ceræ dosis in unguentis concinnandis 217
Christ. Arabum, quid? 274
Cinnamomi historia 68
Clareta simplex, & composita 264, 265
Coccos Baphicos. Vid. Granum Tinctorum.
Collyrium album Rhasis 178
Conditura cur fiat? 1

BIBLIOTHÈQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

INDEX.

Conditura Caulium Lactucæ 4
Scolymi ibid.
Condit. Cortic. Arantiorum ibid.
Citrii ibid.
Limonum ibid.
Conditura Florum in genere 8
Condit. Flor. Bethonicæ ibid.
Borraginis ibid.
Buglossi ibid.
Nymphææ ibid.
Primulæ veris ibid.
Rorismarini ibid.
Rosarum ibid.
Salviæ ibid.
Stœchadis ibid.
Tamaricis ibid.
Violarum ibid.
Condit. Fol. Absinthii ibid.
Adianti, id est, Capilli Veneris ibid.
Asplenii ibid.
Condit. Fruct. Agrestæ 5
Amygdalarum ibid.
Berberis ibid.
Cerasorum ibid.
Nucum ibid.
Olivarum 6
Persicorum 5
Pirorum ibid.
Præcocium ibid.
Prunorum ibid.
Condit. Pulpæ Citrii 6
Cucurbitæ ibid.
Cydoniorum 7
Cynorrhodonis 8
Condit. Radic. Acori vulgaris 2
Apii 4
Bauciæ, id est, Pastinacis ibid.
Borraginis 3
Buglossi ibid.
Cichorei ibid.
Cynosorchis 2
Eryngii 3
Hypposelini 4
Iridis 3
Inulæ Campanæ ibid.
Satyrii Erythronii 2
Sisari 4
Symphyti majoris 3
Confectio, quid? 122
Confectio Alchermes 122
Hamech major 145
minor 147
Anacardina 126
De Hyacyntho 90
Liberantis ibid.
Congius, quid? 274
Conserva florum Buglossæ 9
Nymphææ, ibid.
Violarum, &c. ibid.
Rosarum mellis 8
Solida 9
Mellis Rosarum 10
Costus, quid? 144
Cotula 274
Croci Martis *præparatio* 100
Crocus Martis *quid? & unde dictus* 99
Cyathus, quid? 274

D.

Darcheni Arabum, *quid?* 68
Davich Arabum, *quid?* 272
Decoctio communis medicinæ 263
Pectoralis, & Clysteris 263
Denarius, quid? 272
Dentali 234
Destillatio quid? & divisio 195, 277
Ejus inventio ibid.
Quibus vasis perficitur 278,279
Destillatio Aromatum in genere 195
Gummium, Lacrymarum, Resinarum 198
Per Balneum Mariæ.
Deunx, quid? 273
Dextans, quid? 273
Diacalamentum 66
Diacatholicum 128
Diacinnamomum 68
Diacodium simplex & compositum 102
Diacomeron 81
Diacrocon, seu Diacurcuma 95
Diacydonium simplex, & purgans 7
Diacyminum 80

INDEX.

Digalanga 69
Diabyssopi 78
Diacreos simplex, & Solomonis 75
Dialacca magna 94
Dialexis de Absinthio 32
Dialepsis de Chalcitide 113
Diambra 66
Diamargaritum simplex 83
Diamargaritum frigidum 84
Diamorum 12
Diamoschum dulce 86
Diamisum 65
Dianthos 85
Dianucum 13
Diapenidium com. & sine speciebus 77
Diaphœnicum 138
Diaprassium 78
Diaprunum simplex & compositum 134
Diarrhodon Abbatis 69
Diasebesten 133
Diasenna 144
Diathamarum 81
Diatragacanthum frigidum 76
Diatrionsantalon 93
Diatrium Piperorum 72
Diaxyloaloes 71
Discursus de Margaritis 84
Dodrans, quid? 273
Dosis pulv. in Electuariis aromaticis 63
Dosis pulv. in Electuariis mollibus & solidis 122
Dosis pulv. in Unguentis componendis 217
Drachma, quid? & quot granis constet 272
Duella, quid? 273
Dupondium, quid? ibid.

E.

Eclegma quid, & cur excogitatum? 57
Eclegma de Caulibus Gordonii
de Papavere 59
de Pineis 60
de Pulmone Vulpis 59
Sanum 61
de Scilla simpl. 58
compositum 59
Electuarium, quid? & ejus divisio 122
Electuarium Analepticum, id est, reficiens 82
de Baccis Lauri 125
de Citro solutivum 141
Croci Martis 99
Diacarthami 140
Ducis 74
de Gemmis 87
Indum majus 139
minus 140
Iustinum 96
Lætitiæ Galeni 88
Lætificans Rhasis 89
Lenitivum 133
Liberans 90
Pleres Archonticon 92
de Psyllio 135
Resumptivum : Vide Analepticum 82
Rosarum Mesuæ 136
de Succo Rosarum 137
Emplastrum quid, & unde dictum? 241
Emplastrum Album Coctum 242
Apostolicum 259
de Arnoglosso 240
de Baccis Lauri 250
de Betonica 245
Ceroneum 257
de Cerussa 242
contra Rupturam 258
de Crusta panis 241
Diachalciteos 249
Diachylon album 246
Ireatum 247
Magnum 247
Gummatum 248

Emplastrum pro fracturis & dislocatione ossium 243
Epispasticum seu Vesicatorium 162
Diaphœnicum calidum & frigidum 244,245
Divinum 252
Filii Zachariæ 249
Gratia Dei 246
ad Herniam 258
de Ianua, vide de Betonica
de Ladano 254
de Linimento 262
de Mastiche 253
pro Matrice 254,255
de Meliloto 251,252
de Minio 243
de Mucaginibus 248
Nicotianæ 260
Oxycroceum 256
Paracelsi 261
de Ranis, Joannis Vigonis 257
Sparadrapi 242
de Sulphure 250
pro Stomacho 254
Triphar macum 249
Exagium 272

F.

Fasciculus, quid? 275
Florum, Foliorum, Fructuum conditura, à pag. 4 ad 8.
Fungorum differentiæ, effectus, &c. 116
Fontani *Med. Provinc. Theses* 115

G.

Galeni *opinio de Canella reprehensa* 117
Galanga, quid? 69
Grana ponderum qualia 271
Grani tinctorii historia 123
Gummium destillatio 198
Glandes solutivæ 270

H.

Hemina, quid? 274
Hiera, quid? 148
Hiera cum Agarico 148
Hiera Colocynthidos 151
Hiera Composita 149
Hiera Logadii 150
Hiera simplex Galeni 148
Hydromel Vinosum 269

I.

Infusio Rosarum & Violarum 20
Iulepus, quid? 15
Iulepus Rosarum & Violarum ibid.
Iulepus Ziziphorum, seu Iujubarum, ibid.

L.

Lac Virginale 267
Laccæ historia & præparatio 94
Lacrymarum destillatio 198
Laudanum Chymistarum 266
Libra medicinalis 273
Linctus, quid? Vide Eclegma, & sequent.
Linimentum quid & usus? 216
Lithontripticon 97
Lixivium dulce, quid? ut paretur? 4
Lohoc, Linctus, & Eclegma idem 57

INDEX.

M.

Malagma, quid? 241
Manipulus, quid? 275
Manus Christi *cum perlis* 83
Margaritarum descriptio 84
Mel Anacardinum 11
Anthosatum 10
Mercuriale ibid.
Passulatum 11
Rosatum 10
Scilliticum ibid.
Violatum ibid.
Mieleta Nicolai 127
Mina veterum, quid? 273
Mistrum magnum, & parvum, quid? 274
Mithridatium Damocratis 169
Miva Cidoniorum simplex, & aromatica 14
Mucharum Rosatum & Violatum, quid? 20
Musa Ænea vel Egenea, & Zazena 106

N.

Nicotiana unde dicta 49

O.

Obolus quot granis constet? 272
Octunx & Bes, Idem 273
Oleum quid, & ejus divisio? 191
Olea per expressionem 192
Oleum Absinthii 207
Acori veri 197
Agallochi, Ligni Aloes 197
Ammoniaci 200
Amomi 197
Amygdalarum dulcium 193
Amygdalarum amararum ibid.
Anacardinum ibid.
Oleum Aneti seminis 197
Anethinum 203
Angelicæ 197
Animalium 208
Anisi seminis 197
Antimonii 201
Arancii 194
Avellanarum 193
Balaninum, id est, Ben ibid.
Oleum Benjuini 200
Bituminis 195
Buxi ibid.
Calaminti 197
Calami Aromatici ibid.
Cannabis 193
Capparum 207
Cardamomi 197
Carpobalsami ibid.
Carthami 193
Caryinum, id est, Nucum ibid.
Caryophyllorum 197
Castorii simpl. compos. 213, & 214
Catellorum 213
Cedrii 197
Cerasorum 193
Ceræ 199
Chamæmeli 203
Chalybis 201
De Cherva, seu Ricini 193
Cheirynum 203
Chrysomelorum, id est, Præcociorum 193
Cinnamomi 197
Citrii & Citruli 194
Cocci Gnidii, id est, Thymeleæ 193
Costinum 208
Croci ibid.
Cucumeris, & Cucurbitæ 194
Cydoniorum 204
Cyprinum, id est, Ligustrinum 203
Dauci seminis 197
Ebeni 195
Ebuli seminis 194
Euphorbii 211

INDEX.

Oleum Ferri 201
Fœniculi seminis 197
Fraxini 195
Frumenti 194
Gagatis 195
Guaiaci ibid.
Genistæ 204
Gith, id est, Melanthii 194
Hederæ Ligni 195
Hyperici 206
Hyssopi 197
Iasmini 203
Irinum 205
Iuniperi 195
Lactucæ seminis 194
Laterum, seu Philosophorum 198
Laurinum 194
Lentisci 195
Leptocaryon, id est, Avellanarum 193
Lignorum in genere 195
Ligustri 203
Liliorum simplex, & compositt. 203, 204
Lini seminis 194
Lumbricorum 212
Macis 197
Mastichinum 206
Meliloti 203
Mellis 200
Melonis seminis 194
Mentæ 207
Moscatæ 193
Moscatelinum 205
Myrrhæ 196, 199
Mirtillorum 195
Mirthinum 203
Nardinum 207
Nenupharis 203
Nucum Iuglandium 193
Nucis Indicæ ibid.
Nucleorum Persicorum ibid.
Nucleorum Pineorum ibid.
Omphacinum ibid.
Origani 197
Ovorum 195
Oleum Oxycedri ibid.
Papaveris seminis 193
Papaveris Capitum foliorum & florum 203
Persicorum 193
Philosophorum 198
Piperis simplex 197
Composit. 209
Pistaciorum 193
Plumbi 202
Pulegii 197
Ranarum 213
Raphani seminis 194
Ricinum, id est, de Cherva 193
Rorismarini 197
Rosarum Completum & Omphacinum 203
Rutaceum 207
Salviæ 197
Sambucinum 203
Sampsuchinum 207
Santali Citrei 197
Scorpionum simpl. & compositum 112
Serpentium 213
Sesami seminis 193
Sinapi ibid.
Spicæ Nostratis 197
Stani 202
Staphidis Agriæ 194
Stibii, id est, Antimonii 201
Strobilorum, id est, Pineorum 193
Sulphuris 201
Tamaricis 204
Tartari 196
Terebinthi arboris 195
Terebinthinæ 200
Thymeleæ 193
Thymi 197
Violatum 204
Viperinum, lege Serpentium 213
Vitrioli 202
Vulpinum 213
Xylobalsami 197

INDEX.

O.

Onoloſor Arabum, *quid?* 272
Opiata quid, & uſus? 102
Opiata Salomonis 125
Oxymel ſimplex 49
Compoſitum 50
Oxymel Scilliticum ſimpl. ibid.
Compoſitum 51

P.

Philonium Perſicum 106
Magnum 105
Piperis hiſtoria 72
Pilulæ cur inventæ, & unde nomen? 152
Pilularum differentiæ, & uſus 152
Pilularum modus. Repoſitio 153
Pilulæ de Agarico 162
Pilulæ Aggregativæ 161
Pilulæ Catholicæ, ſeu Imperiales 165
Pilulæ Albæ & Nigræ 174, 175
Alephanginæ 157
de Aloe lota 155
Ante Cibum 156
Arthriticæ 173
Aſſaieret 195
Aureæ 163
de Bdellio 154
Benedictæ 195
P. Cochiæ 164
Communis ſeu Ruffi
de Cynogloſſo 153
de Eupatorio 168
Fœtidæ Majores 171
Fumariæ 167
de Hermodactylis 172
de Hiera cum Agarico 195
Hiera compoſita & ſimplice 195
Indæ Haly 169
de Lapide Lazuli 170
Lucis majores 166
Maſtichinæ 155
Pilulæ de quinque Myrabolanis 160
Octomeræ ibid.
Peſtilentiales 158
de Rhabarbaro 168
Ruffi, *ſeu Communes* 158
Sine quibus eſſe Nolo 165
Stomachicæ 156
Pruna ſolutiva 269
Pugillus, quid? 275
Pulvis quid & cur inventus? 62
Pulvis contra Peſtem. 91
contra Lumbricos 269
ad puerorum Enterocelem 101
ad puerperarum tormina ibid.
Croci Martis 99
Diacydonitis ſine ſpeciebus 98
Hydragogus 100

Q.

Quadrans, quid? 273
Quincunx, quid? 273

R.

Radicum conditura 2,3
Rhabarbarum Cardiacis an Miſcendum? 70
Requies Nicolai 103
Reſinarum deſtillatio 198
Rob, & Robub, quid & differentiæ 12
Rob Ceraſorum 14
Rob. Cydoniorum ſimp. & comp. 14
Rob de Ribes 13
Roſata novella 73

S.

Sapa quid, & quotuplex? 11
Satyrii conditura 2
Satyrium Erythronium Authoris, Tartofles *Gallicè* 2

Scrupulus

BIBLIOTHEQUE UNIVERSITAIRE TOULOUSE

Scrupulus, quid? 272
Secacul Arabum, *quid?* 3
Serris, quid? 275
Septunx, quid? 273
Sericum Crudum ut pulverisandum 85
Sextans, quid? 273
Sextula, quid? 272
Sextarius quid, & unde nomen? 274
Siliqua, quid? 272
Sinon propriè, quid? 79
Solidum 272
Sori, quid? 116
Suchahæ Succedaneum 39
Succorum inspissatio 12
Suppositoria solutiva 270
Symphyti Conditura 3
Syrupus quid, & cur inventus? 16
Syruporum usus, Differentia 16,17
Syrupus Absinthii major. 31
Acetosus simpl. 17
Comp. 24
Acetositatis Citrii 19
Acetosæ Succi 23
Adiantinus simpl. 21
Comp. 26
Althææ 43
Arantiorum 19
Artemisiæ 45,46
Betonicæ 43
Bizantinus simpl. 35
Compos. ibid.
Boraginis, & Bugloss. 23
Calaminthes 48
Chamædryos 41
Cichorei simpl. 37
Comp. 37
Cydoniorum 19
Epithymi 56
Eupatorii 38
Fumariæ simp. 23
Compos. 54
Glycyrrhizæ 25
Granatorum 19
Hydragogus 57
Hyssopi 27
Syrupus Intybi, id est, Endiviæ simp. 22
Intibi, seu Endiviæ Comp. 36
Iujubinus 29
Limonum 19
Menthæ 33
Muccarum Ros. & Viol. 20
Myrtinus 34
Nicotianæ 49
Nymphææ simp. 22
Comp. 28
Omphacii, id est, Agrestæ 19
Oxyacanthæ ibid.
Oxysaccharum simpl. 18
Comp. 24
Papaveris simp. & comp. 30
Papaveris Rhæados ibid.
Persicorum 51
Pomorum simp. 19
Comp. 53
Prassii 27
Quinque Capillarium 26
Quinque Radicum 42
Raphani 44
Rosarum siccarum 20
Rosatus simpl. ibid.
Comp. & Laxativ. 52
Scolopendrii 41
Stœchadis 40
Symphyti 35
Tussilaginis 25
Violatus simpl. Lax. 20,53
Ziziphorum 29

T.

Theriaca Andromachi 111
Theriaca Diatessaron 120
Theses Fontani 115
Triens, quid? 273
Trochiscus quid, & unde nomen? 174
Trochisci de Absinthio 183
Agaricus Trochiscatus 187
Albi Rhasis 178
Alhandaal 188
Aliptæ Moschatæ 190

INDEX.

Trochiſci Alkekengi 186
Bechici albi & nigri 174,175
Berberis 180
Bdellii 185
Caphuræ 179,180
Capparum 184
Carabes 176
Cyphi 190
Diaion, id eſt, de violis 189
Diarrhodon 181
Eupatorii 183
Galliæ Moſchatæ 189
Gordonii 187
Hedycroi magmatis 192
Laccæ 184
Myrrhæ 186
Ramich 175
Rhabarbari 182
Scillitici 191
Spodii 180
Terræ Sigillatæ 177
Viperini 193
Tryphera magna 120
Tryphera Perſica 129
Tryphera Saracennica 131
Tubera Dioſcoridis 2

V.

Vaſa deſtillatoria
Viperarum præparatio & delectus 193
Vitrioli hiſtoria 117
Uncia quot conſtet granis? 273
Unguentum, quid? 216
Unguentum Ægyptiacum 229
Unguentum Agrippæ 230
Album Galeni
Album Rhaſis 219
Analepticum 225
Apoſtolorum 228
Aregon 230
Arthanitæ 235
Aureum 228
Baſilicum minus 224
de Bolo 218
Citreum 234
Comitiſſæ 223
Deſiccativum rubrum 219
Dialthææ 226
Glutinans 215
Inulatum 229
de Lithargyro 218
Martiatum 231
Mundificativum de Apio 227
Mundificativum de Reſina 227
Neapolitanum 223
Nicotianum 226
Nutritum 218
Ophthalmicum 221
Pompholygos 220
Populeum 222
ad Pruritum ſcabioſorum 224
pro vulneribus Cerebri, & Nervorum 216
Reſumptivum 225
Roſatum 217
Sanguinem ſiſtens 215
Sarcoticum 216
Splenicum 236
Stypticum 223
Violatum 218

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE UNIVERSITAIRE TOULOUSE

INDEX.

V.

JOANNIS DV BOYS

PHARMACOPOEI PARISIENSIS OBSERVATIONES

In Methodum miscendorum medicamentorum topicorum, quæ in quotidiano sunt usu.

UT ETIAM

DILVCIDATIONES

Diversorum Simplicium medicamentorum horum Compositiones ingredientium, ex Græcis, Arabibus & Neotericis.

Opus valdè utile, in quo vera miscendi medicamenta Methodus exactè traditur.

Revisum & pluribus locis emendatum.



LONDINI,
Typis EDVV. GRIFFINI, Sumptibus RICHARDI WHITAKERI, apud quem prostant, ad Insignia Regalia in Cœmeterio D. *Pauli*. 1639.

BIBLIOTHÈQUE UNIVERSITAIRE TOULOUSE

VIRIS SPECTATISSIMIS AMICISQVE CHARISSIMIS SOCIETATIS PHARMACEVTICES LONDINENSIS,

THO. JOHNSON.

S. P. O.

TYpographo ſatagenti mandare typis, & in publicum emittere *Bricl Bauderoni*, M. D. Paraphraſin in Pharmacopœam, non ita pridem Latinè redditam à *Philêmone Hollando*, M. D. author fui, ut ei adjungeret ejuſdem genii Obſervationes *Joannis du Boys* Pharmacopœi Pariſienſis in Methodum miſcendorum medicamentorum externorum. Vobiſque (Amici chariſsimi) hanc dedicationem feci; Primum quod noſtri Londinenſis Collegii medici Clariſſ. antea vobis hunc authorem digno præconio commendatitium voluerunt, ſic enim ſcripſerunt; *Sin hæc minus accurata* (ſc. componendi methodus) *vel in cautionibus*

Vide Pharmacopœam Lond. editam. 1618. p. 167. in fine Emp. Ceronei.

tionibus defectiva videatur (non enim est nostri instituti veteres perstringere) aliam discendi cupido cuivis adire licebit, facilem, nec minus artificiose contextam apud studiosum illum Ioannem du Boys Pharmacopolam Parisiensem *cujus annotationes luculentas in Methodum miscendorũ medicamentorum, jamdiù editas, Pharmacopœus etiam exercitatissimus consuluisse haud pœnitebit.* Candidè & rectè de hoc opere judicium tulerunt; est enim verum Myrotheciũm, è quo ferè omne, quod in hac Artis parte scitu dignum est, lector haud indiligens depromere possit, si modo harum rerum non sit omnino ignarus. Hujus Author hic traditam miscendorum medicamentorum Methodum non tam ex aliorum scriptis hausit, quam ἐξ αὐτοψίας καὶ ἐμπειρίας fundamentis haud fallacibus: rectè etenim *Galenus* scripsit Ἄριστον δὲ διδασκαλεῖον, τὸν *lib. 1. de Aliment. facult.* &c. Hoc est, *Optimam esse doctrinam, quæ viva voce traditur: neque enim quemquam ex libro Nauclerum, aut alterius artis Opificem evadere, Hi sunt enim* (sc. libri) *recordationes eorum, qui ante eruditi fuerunt, non rudium sive indoctorum doctrina perfecta.* Difficilior Artis Pharmaceutices pars hic ad amussim traditur; etenim Olea, Cerata, Vnguenta & Emplastra si ad artis normam ritè parentur, exquisitum doctumque Artificem requirunt. Totaque fere præcepta quæ traduntur de medicamentorum compositione, hic quasi in praxim ducuntur, ut quæ tradita sunt de Vstione, Lotione, Humectatione, Nutritione, Infusione, Dissolutione, Liquatione, Coctione Siccatione,

Siccatione, Tritura, Cribratione, Expreſsione, Deſtillatione, & denique Mixtione. Qui enim ſolum modo Emplaſtra artificioſe conficere cupit, harum omnium gnarus eſſe debet, nec ullum eſt medicamentum, quod magis artificis ſcientiam & induſtriam requirat. Namq; omne genus Medicamenta in horum compoſitionem ingrediuntur, & in denſam ſolidamque maſſam reducuntur, eamque æquabilem & ductilem. Sed non opus eſt, ut vobis adeo exercitatis, harumque rerum peritis plura de hac re verba faciam. Sint fortaſſe nonnulli curioſuli, quibus ſtylus, ubique non uſque adeo nitidus & purus, minus placeat; ſed hi intelligant

Ornari res ipſa negat contenta doceri;

& plerumque evenit ut quæ minus fucatæ & adumbratæ oſtentationis, ea plurimum ſolidæ & expreſſæ utilitatis in ſeſe contineant; etenim de rebus, hic noſter Author, magis quam de verbis ſollicitus erat; attamen aliorum inornata oratione, potius quam ſua utitur.

Denuo hunc Authorem (qui ob exemplariorum inopiam paucis notus erat) iterum (annuente Typographo in prælum dedi, Veſtrúmque manibus offero, ut vobis mediantibus Artis Pharmaceutices tyronibus magis commendatus eſſet: Atque ut hujus & ejus

similium imitatione tandem ad Artis summum fastigium perveniant, quod mihi semper in votis erit. Valete interim Viri optimi, multisque nominibus mihi charissimi.

Datum prid. Calend. Februarii.

CIↃ IↃCXXXIX.

Spectatissimo

Spectatissimo viro

D. IOANNI MASILAEO,

Consiliario, & primario regis medico,

IOANNIS DV BOYS

Pharmacopœus S. P. D.

POsteaquàm in exercitatione Pharmaceutica ætatis meæ partem aliquam consumpsi (spectatissime Masilæe) apud me cogitans, artem omnem quæ opinionibus magis quàm scientia contineretur, inertiam potius appellandam, animum ad eam artem quam profitebar sic retuli, ut non tantùm in iis præceptionibus, quæ in officinis studiosè colunitur, conquiescerem, sed etiam an certas, & nunquam fallentes, vias continerent, cognoscerem. Quod ubi primùm tentare cœpi, pleraq; veteri consuetudine ita depravata animadverti, ut auxiliares cujusdam manus magnopere efflagitare viderentur, quæ consentanea pro dissentaneis, vera pro fictis, certa pro dubiis reponerent. Quod opus, cum magnum omnino, & arduum videretur, quicquid industriæ ex veterum scriptorum & neotericorum lectione, & diuturna doctorum hominum consuetudine, mihi comparare potui, id erroribus tollendis, quos permultæ remediorum formulæ, quæ in quotidiano usu habentur, continebant, totum contuli. Sed quoniam ita natura comparatum est, ut ortus nostri partem patria, partem parentes, partem etiam amici vendicent, ut præclarè scriptum est à Platone, ad mei officii rationem pertinere existimavi, si quos ex meis studiis fructus percepissem, hos in communem omnium utilitatem afferrem. Atque ut quicquid id est operis, in media luce, atque omnium oculis, sic versari posset, ut ex

ejus

ejus lectione eruditi, & in hac arte versati & boni voluptatem, eruditionis fructum aliquem caperent, id in alicujus nomine apparere volui, cujus autoritate nutúque, studiosis omnibus gratior, ac commendatior foret: séque adversus malevolorum hominum voces (si quæ existerent) tueri & conservare posset. Tu tandem ex omnibus unus mihi occurristi, cui hanc mei laboris partem, in medicamentis quæ foris admoventur consumptam (dum eam quæ de assumptis est ornatiorem reddo) inscribere, quasique consecrare placuit: quòd sive quærendus esset, qui serena fronte munusculum hoc acciperet, sive sumendus judex, qui de rebus quæ hoc in opere tractantur sententiam dicere unus omnium optimè posset, sive authoritatis tantæ patronus eligendus, ut hujus amplitudo hominum maledicentiæ silentium indiceret, nullum reperirem cui id justiùs quàm tibi deferretur. Quomodo enim cuiquam aut obscurum, aut ambiguum, id esse possit, cum te omnes ea quæ ad morborum depulsionem pertinent tam acutè invenientem, tam prudenter suscipientem, tam fœliciter perficientem videant, ut non modo eorum hominum qui nunc sunt gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam tua virtute superes? Si unum addidero, quo ad tuam laudem magnificentius, atque ornatius nihil esse potest, Carolum nempe, Francorum regem Christianissimum egregiis tuis virtutibus eum honorem detulisse, ut te non solùm in medicorum consilium, quos valetudinis tuendæ causa apud se habet, asciverit, sed etiam totius hujusce consilii principem esse voluerit, cujus potius tutelæ hoc qualecunque munus commendarem, habere potui neminem. Quod quamvis, sive ex sua, sive ex tua dignitate spectetur, perexiguum sit, ita tamen si placet à me accipies, ut si ex animo spectetur, majus à me offerri non posse existimes, nullumq; præstantius voluntatis tibi deditæ devotæq; monimentum expectare possis. Benè vale.

Parisiis. X. Cal. Septemb. 1572.

Ad candidum Lectorem.



Quisquis aut consilio, aut naturæ instinctu, candide Lector, ad eam Medicinæ partem fideliter exercendam, quæ in medicamentorum compositione versatur, animum seriò adjecit, huic imprimis, & utile est, & necessarium, ut medicamenta simplicia, non unius modò soli, vel climatis, sed regionum omnium (quatenus id quidem potis est) cognita ac perspecta ita habeat, ut omnium speciem, faciem, temperiem, & facultatem exactè possit discernere: tum etiam certò ut sciat, quo singula tempore sint colligenda: quo loco, quo vase reponenda: quo suum quæque ad usum præparanda: quo deniq; modo, quo ordine in compositis, incolumi omnium virtute, veniant commiscenda. Hæc enim qui probè didicerit, perceperit, meminerit, is demum Pharmacopœi nomen (meo quidem judicio) merebitur: suóque munere in medicamentis juxta usitatas veterum Græcorum, Arabum, Latinorum, & recentiorum quoque formulas componendis, præclarè fungetur. Quæ profectò res quàm vehementer sit, non modò laudanda, sed omnibus omnium votis exoptanda, satis (opinor) convincit medicamentorum illorum spectata universo hominum generi utilitas, nedum necessitas. De simplicibus autem medicamentis, eorúmque collectione, præparatione, repositione, aliisque ejusmodi multa, scripsêre multi: ad quos ego Pharmacopœos tyrones remitto. Ego vero cum in ea arte quam à puero didici, me sedulò exercerem, commentationes quasdam (sive mavis observationes) in externa aliquot medicamenta, Cerata scilicet, Emplastra, Unguenta & Olea, quanta potui industria concinnavi: quas nunc in lucem non tam mea certè voluntate, quam amicorum auctoritate prodire, passus sum. Id autem in hoc opere imprimis studui, ut ubique veram artem, atque methodum, omnium id genus medicamentorum facilè ac legitimè conficiendorum, demonstrarem. Id (inquam) meum fuit institutum: is susceptí laboris scopus: quem an fœliciter, & ex animi sententia sim assequutus, tuum esto, lector amice, judicium. Quòd si quid uspiam in hoc, non minùs arduo, quàm periculoso opere, vel perperam dictum, vel minùs accuratè observatum offenderis: te obsecro, atque obtestor meam ut eâdem trutina operam expendas, qua tuam ipse à me, aliisque, examinari

nari velles. Nam quicquid hoc operis est, nolui mihi permanere proprium, sed cum omnibus medicinæ studiosis, tùm iis præsertim, qui practicam profitentur, communicandum duxi: ut hoc nimirum pacto cæteros nostri ordinis homines invitarem, quo suum ipsi quoque symbolum ad communem omnium utilitatem, grati conferant: neque eam sibi infamiæ notam impingi patiantur, ut per eorum vel inscitiam, vel desidiam stetisse videatur, quò minùs è tenebris in lucem syncera medicamentorum componendorum ratio emerserit. Cæterum complures (sat scio) id mihi vitio verterent, quòd multa in hisce commentariis reperiantur, quæ olim ab aliis fuêre tradita, seu simplicium quorundam medicamentorum dignotionem, eorundémque præparationem, seu compositorum confectionem spectes. Quid tum? veteris illi (precor) meminerint proverbii: nihil jam dici, quod non dictum sit prius. Equidem ea sum præditus indole, ut à cavillatione prorsus abhorream. Neminem hîc reprehendo: nullum perstringo, nec quemquam mordeo: id à nescio quo rhetore doctus, debere eum carere omni vitio, qui in alterum paratus sit dicere. Si quid igitur in his observationibus extiterit, quod aliquibus minùs arriserit: cogitent illi quæso, quàm sit arduum, (iis præsertim hominibus, qui variis, pro vitæ suæ instituto, huc atque illuc negotiis distrahuntur) ea quæ infinitis inquinata sunt erroribus, perpurgare, obscurísque & squalidis genuinum nitorem & lumen restituere. Tu modo, quisquis in hunc librum discendi cupidus incideris, medicamentariam hanc methodum, quam hîc tibi proposui, etiam atque etiam experire, judicióque adhibito, imitare. Neque enim dubito, si istis modò vestigiis diligenter institeris, nullam fore Cerati, Emplastri, Unguenti, Olei, descriptionem tam difficilem, quam non facilè pro auctorum arbitrio expedias. Etenim id unum affirmare audeo, nusquam ne vel latum quidem unguem me ab eorum præceptis recessisse, quorum in arte medicamentaria multis jam seculis invaluit auctoritas: immo iis complura, quæ deerant fideliter addidisse, quæ longa jam experientia explorata habeo. Quamobrem si qualemcumque meum laborem sereno animo exceperis, non solum magnum inde fructum exhauries, sed ad majora in medium producenda me incitabis.

IAC.

IAC. GOHORII PARIS.
Philos. in Boscium.

PHarmaca qui scriptis tractat, quique exhibet ægris
Hic geminum meruit Pharmacopola decus.
Principia hîc rerum quæ corpore vinxit in uno
Natura, Ars solvit inque elementa secat:
Per tubulos educit aquas (mirabile visu)
Dein olea, è terris conficit igne salem.
Boscius est nomen, lignum vox patria reddit,
Inferior Cedrus cuique Cupressus erit.
Quas ut nec caries, nec edit longinqua vetustas,
Mordaci hoc tempus, nec quoque falce metet.
Quod Libani arboribus miro præcellit odore,
Ac homines fructus utilitate beat.
De quibus ut quondam simulachra annosa Deorum,
Sic Bosci æternum fas veneretur opus.
Nam Phœbi scitè divinas exprimit artes
Et medica Æsculapî corpora curat ope.

In Methodum Miscendorum Pharmacorum exactam à *Io. Sylvio* Lutetiæ insigni Pharmacopæo æditam.

JO. AURATUS Poëta Regius.

PHarmaca miscendi ratio vel tradita manca,
Vel non tacta prius, vel malè certa fuit.
At nunc Parrisius, qua pollet Sylvius arte,
Ex omni plenum parte dat artis opus.
Manca replens, lites dirimens, chaos & rude formans
A multis annis quale jacebat iners.
Dignus ob hoc grates medicæ studiosa juventus
Cui meritas operis reddat ubique sui.
Elicient alios præconia grata labores,
Multos præterea quos sine fine parat.
Nam sicui, res huic perspecta chymistica: quæque
Extrahit ars oleum, quæ facit arsque sales:
Sylvius omnibus his perfectus in artibus, usum,
Artifices solos qui facit, unus habet.
Ut majora igitur tibi det monimenta laborum
Sylvius, hæc plausu sint celebranda tuo.

Bartholomæi

Bartholomæi Perdulcis Viennenſis ad Lectorem, EPIGRAMMA.

QVid. juvat obſcuram præbere tyronibus artem,
Nî ſcholio authoris ſit ſtabilita ſui?
Extera quid prodeſt Priſcorum pharmaca noſſe,
Si patrio ignoret quiſque parare modo?
Sylvius ingenio ſolers, illuſtris & arte,
Contulit hoc libro (Lector) utrumque tibi.
A variis etenim quæ extraxit pharmaca libris
Explicat, & noſtris uſibus apta facit.
Quare pharmaciam quiſquis ſectare ſalubrem
Hoc plenum recolas utilitatis opus.
Hinc topica addiſcens tutò quæcunque parare,
Fructum multiplicem clarus in arte feres.

Petri Leonis Lutetiani Pharmacopœi in Boſcium.

POſteritas Boſci præcinget tempora fronde,
Nec Me uæ hoc Sylvî nobile cedet opus.
Duplice materia laudis Lutecia turget,
Illius ut civis, hujus ut indigenæ.
Ac tanta in parvum fuerint contracta libellum
Unius ingenio, mente, labore, manu.

JO. LOVETIVS.

EDidit ingenti, Boſcœus, parta labore,
Quæ, morſo cunctos, ungue, tenere juvat.
Artem qui raram, miſcendi pharmaca quæris,
Hæc tua verſabit nocte dieque manus.
En, Chiron oritur, ſimul Æſculapius alter
Optatam, multis, qui tibi præſtat opem.

PRÆFATIO.



Tsi complures viri doctrina, ingenio, & judicio excellentes, præclaris artem medicam præceptis illustrarunt: nullus adhuc tamen (quod illorum pace dixerim) extitisse mihi quidem videtur, qui veram miscendi medicamenta methodum exactè tradiderit. Nam alii partem hanc prorsus intactam præterierunt: alii parcè attigerunt: alii valdè obscuram, & incertam reliquerunt: alii in infinitas eam controversias adduxerunt. Atq; inde adeò fit, ut quæ scriptis aut omnino non mandata est, aut certè ambiguè ea quisque pro animi utatur sententia, & proprio plerumque feratur judicio. Immò (quod longè est deterius) imperiti medicamenta conficiendi adolescentes, dum artis rudimenta discunt, seq; in his exercent, dominis interdum absentibus, ipsi præceptore destituti interdum quoque præceptorum institutis, & dominorum vestigiis insistere recusantes, multos & graves errores committunt. Quæ cùm ego incommoda, pro meo in omnes rei medicamentariæ studiosos animo, seriò apud me frequenter expenderem, & pro publico jam vitæ meæ instituto, nonnulla domi meæ simplicia, quibus ad composita opus est, accuratè medicamenta præpararem, fortè ita usu venit, ut, qui me opus facientem observarunt (neque ii vulgaris certè auctoritatis homines, neq; segniter in re medica versati) obnixè me rogarent, si quid ea in re possem, meam ut communi omnium utilitati operam non denegarem. Ego verò, quanquam id initio, mei probè conscius ingenii, constanter mihi abnuerem, improbis tamen multorum precibus defatigatus, tandem parui, & pro meis viribus cœpi aggredi, ab iis scilicet auspicatus, quæ externè admoventur corpori. Quorum quidem usus, ut minùs videri potest periculosus, ita perdifficilis tamen eorum compositio singularem periti Pharmacopœi industriam requirit. Sunt autem ea, Cerata, Emplastra, Vnguenta, Olea: quæ & si multas & varias sortiuntur formulas, singula tamen suo explicabimus ordine, quanta id poterimus facilitate. Neque enim ea inter se tam ratione & materia differunt, quam consistentia, hoc est, soliditate, mollitie, & liquiditate. Nam quæ recipiunt Cerata, ea quoque Emplastra, & Vnguenta admittunt. Nunc igitur ad eorum descriptiones accedamus.

ARGVMENTVM LIBRI.

Hoc opere continetur ratio medicamentorum externorum bene miſcendorum: qualis hoc tempore Lutetiæ, & in aliis celeberrimis locis obſervatur. Ejus tres ſunt ſectiones.

Prima, Eſt de Ceratis, & Emplaſtris.

Secunda, De Vnguentis.

Tertia, De Oleis.

DE

DE CERATIS ET EMPLASTRIS.

Eratum, est medicamentum aggregatum ex stirpium partibus, metallicis, mineralibus, terra, & animalium partibus, cum cera ad formam solidam. Proportio autem Cerati est, ut pro *unciis tribus* olei, ponatur ceræ semuncia, specierum verò drachmæ duæ, vel tres. Si liquidius vis habere Ceratum, quarta pars ceræ est ponenda: si solidius, tertia: si ad formam Emplastri, secunda: differtque ab Emplastro tantum mollitie, quia minus ceræ recipit, quam Emplastrum, noménque habet à cera. Emplastrum verò medicamentum esse dicemus aggregatum ex metallicis, mineralibus, terra, & animalium partibus simul mixtis, durum valde, & solidum, quia plus ceræ recipit. Nam in Emplastri compositione ponitur ceræ uncia una dimidia, olei drachmæ sex, si nulla alia ingrediantur, sive hyeme, sive æstate. Atque hæc quidem satis sit admonuisse de quantitate ceræ, & olei. Nunc dicendum est in genere, quæ sit illorum materia, & quomodo in Ceratis, Emplastris, & Unguentis apponatur: deindè modum conficiendi, seu miscendi præscribemus.

Ceratum quid.

Ceræ & olei vera proportio ad Ceratum conficiendum.

Emplastrum quid.

Ceræ & olei vera proportio ad Emplastrum conficiendum.

Cerata, Emplastra, unguenta conficiuntur, Ex

- Stirpium partibus, ut — Mucaginibus, quæ ex radicibus & seminibus conficiuntur: Gummi generibus, ut lacrymis omnibus, liquoribus concretis, & non concretis, unctuosis, & aquosis, radicibus, corticibus, herbis, floribus, seminibus, & consimilibus.
- Metallicis, Mineralibus, & Terra, ut — Lithargyrio utroque, Cerusa, Sandaracha veterum, Cinnabari, ære usto, æruginis speciebus, flore æris, plumbo, pompholyge, bolo Armena, & consimilibus.
- Animalium partibus, ut — Cera, ladano, axungiis omnibus, oesypo, butyro Seporum generibus, melle, mosco, ambra, zibetta, glutine piscium, stercore omni, osse Sepiæ, cranio humano, mumia.

Mucagines coctæ adduntur in Emplastris post nutritionem, & perfectam coctionem lithargyrii paulatim affundendo, sicque coquuntur ad ipsarum consumptionē,

ut videre licebit infrà in Emplaſtris Diachyli magni, & parvi. In quibuſdam unguentis, poſtquam cera eſt cum oleis, axungiis adipibus liquata, & ab igne depoſita, frigefacta, ſemper ſpatula movendo injiciuntur: ut in unguento reſumptivo, & in omnibus unguentis, quæ quotidiè à medicis præſcribuntur.

Gummi, quæ ſunt parteis Stirpium, ut lacrymæ, liquores concreti, & non concreti, quædam ſpatio ſex horarum ſuper cineribus calidis macerantur, proprio, & convenienti liquore, (ſæpiſſimè in aceto forti, vel vino, ut paulatim ſolvantur) deinde igne lento, ad humidi non radiculis, conſumptionem continua agitatione coquantur, cocta & conſumpta humiditate cum terebinthina (ſi ea addenda veniat) conjunguntur, in Ceratis, Emplaſtris, & Unguentis permiſcentur, prius tamen cera, axungia, ſepo, medullis, &c. liquefactis & refrigeratis, ut

Ammoniacum,	Opopanax,
Galbanum,	Aſſa fœtida,
Sagapenum,	Bdellium, ſi molle ſit.

Gummi alia genera, ut Thus utrúnque, Myrrha, Maſtiche, Lacca, Hedera, Sarcocolla, Juniperinum, Belzoi, Euphorbium vetus, Aloe ſeparatim in pulverem tenuiſſimum reducuntur, ordineque ſub finem injiciuntur.

Gummi alia calore modico cum oleis ſeparatim vel ſimul cum axungiis, adipibus, ſepis & butyro, ut & Terebinthina, Reſina utráque, Colophonia, Pice utráque, ſpatula ſemper ducendo ſolvuntur, ſi in initio, aliquando in medio, aliquando in fine ponuntur, ut in Emplaſtro Gratia dei, & in unguento Baſilico minori, & in Emplaſtro pro ſtomacho.

Gummi alia diſſolvuntur calore mediocri cum humore convenienti, ut Opium cum pauca aqua roſacea, in unguento roſato *Meſue*, (ſi requiratur) Tragacanthum, Arabicum, in unguento reſumptivo, Hypociſtis, Acacia (ſi admittantur) omnia ante infuſionem, vel aſperſionem pulverum, Ceratis, & Unguentis induntur.

Radices, cortices, herbæ, flores, aliæque ſtirpium partes, aliquando recentes, aliquando ſiccæ neceſſariæ ſunt. Recentes omnes à corde interno ſeparatim inſcinduntur, & piſtillo ligneo in mortario lapideo cotunduntur, quæ ubi contuſæ fuerint igni lento unà in vino (ut in Cerato *Joannis de Vigo*, in unguento *Neapolitano*) aut in oleis (ut in unguento *Agrippæ*) aut in axungiis & adipibus (ut in ungento populeo) infunduntur, & continua agitatione coquuntur, ut infrà videre licebit: ſcilicet quæ vino maceratæ ſunt, ad medias: deinde colantur. Colata verò cum cera, oleis, axungiis, & adipibus ad humidi peremptionem eodem igne coquuntur, & in Ceratis, Emplaſtris, Unguentíſque primum locum obtinet. Quæ vero in oleis, axungiis, & adipibus infunditur, igne levi, ſpatula ſemper ducendo, ne urantur, coquantur, donec nihil humidi remaneat: deinde linteolo rudi extorquendo tranſcolantur, & quod ſiccum eſt abjicitur: & hæc in Emplaſtris, & Unguentis etiam primum locum habent. Radices, cortices, herbæ, flores ſicci, ſecundum ſuam ſubſtantiam ordine, vel per ſe, in pulverem tenuiſſimum reducuntur, & ultimo ordine in Ceratis, Emplaſtris, Unguentis permiſcentur.

Metalla vel Mineralia ſeparatim ſuper porphyrio molula porphyrica, liquore convenienti aſperſo, ducuntur eouſque dum in pulverem reducta ſint: ut Ceruſa, Lithargyrium utrumque. Alii in mortario æreo Ceruſam, Lithargyrium utrumque lavando tractant (ut in modo miſcendi dicemus) quæ deinde cum oleis ſolis, aut axungiis, & adipibus igne lento ſpatula aſſiduè ducendo, aliquot horis nutriuntur, & coquuntur: cocta ſecundum in Emplaſtris, & unguentis obtinent locum, & aliquando primum, ſcilicet cùm eſt magna eorum quantitas.

Metalla ut Sandaracha veterum, Cinnabaris, Æs uſtum, Pompholygis genera, &c. pulverata, cùm in Emplaſtris & Unguentis quantitate parva ponuntur, debent poni cum cera liquata eſt cum oleo, vel cum axungiis, & adipibus jam refrigeratis, ut videre licebit, in Emplaſtro contra rupturam, & unguento diapompholigos.

Alia extinguuntur, & cùm maſſa Emplaſtri, vel unguenti refrigerata eſt, in fine ponuntur, ut Argentum vivum, &c.

Animalium parteis, liquantur ordine, quædam per ſe, aut cum oleis, ut Cera, Ladanum, calore moderato: & ſunt in quibuſdam Ceratis, & Emplaſtris præcipuum

corpus

corpus, ut in Emplastro pro matrice. Quædam separatim, vel unà aliquando cum oleis liquantur calore modico, nivis ac gradinis modo, ut axungiæ & adipes omnes, oesypus, butyrum, seporum genera, & mel, quæ in Ceratis, & Emplastris ponuntur, postquam cera erit liquefacta, vel cùm Lithargyrium decoctum est in modum Unguenti. In Ungueutis verò primum obtinent locum dempta oesypo, quæ in fine Cerati, Emplastri, & Unguenti semper poni debet. Aliæ verò cum liquoribus minimè unctuosis in mortario dissolvuntur, ut moschus, ambra (quamvis tamen facilè calore modico liquari potest) zibetta, gluten piscium, stercus omne, & in Ceratis Emplastris, & Unguentis initio quidem, ut gluten piscium, stercus omne, in fine vero moschus, ambra, zibetta admiscentur, sed rarò nisi à Medicis præscribantur.

Hactenus breviter liquationes, dissolutiones, coctiones, & triturationes quæ conveniunt ad Ceratorum, Emplastrorum, Unguentorum, & Oleorum confecturam expedivimus. Reliquum est ut ordine illorum conficiendorum methodum præscribamus.

CAP. I.

Ceratum de Santalis *Mesue*, distinctione xi. de Unguentis, & Emplastris usuale.

Textus verus *Mesue*.

[a] *Rosas rubras exungatas accipe.*

℞.[a] Rosarum drach. 12.
Santalorum rubeorum drach. 10.
Santali albi.
Santali citrini an. drach. 6.
Boli armenicæ drach. 7.
[b] Spodii drach. 4.
Caphuræ drach. 2.
[c] Ceræ albiss. unc. 3. drach. 6
[d] Olei rosati lib. 1.

[b] *Spodium Arabicum intellige, quia compositio est Arabica, debétque hoc loco lavari propter acrimoniam ab igne contractam. Nam ut āit* Galenus, *quæ uruntur acria fiunt: huiusmodi autem acria huic loco non conveniunt, cùm ad frigidos affectus hoc ceratum accommodetur.*

[c] *Ceram Ponticam naturaliter albam cape, sed ejus loco alba nostra factitia utimur.*

[d] *Oleum rosatum immaturum authoris descriptionis accipe.*

Conficiatur & administretur. Sunt qui lavant oleum, & ceram prius, & postea permiscent cum aliis, & est melius.

SCHOLIA.

SAntala omnia frustratim divisa simul in mortario contundes, aquam rosaceam (ne subtilior pars effluat) aspergendo: cúmque ferè, vel omnino erunt pulverisata, rosas addes, ut simul cum reliquo pulvere Santalorum perfectè tundantur: deinde tenuissimo cribro transmittes, nec non servabis, donec Bolum Armenicam, & Spodium in pulverem redegeris separatim tenuissimè ut alcool. Deinde cum aliis pulveribus antè paratis paulatim permiscebis, & ad usum servabis. Postea ceram confractam in lebete cum oleo, cineribus calidis aut balneo mariæ liquabis: deinde ubi erit liquata, & oleo commixta, aquâ rosacea, lavabis ter aut quater, semper abjiciendo aquam, & aliam innovando (quanquam re vera, si ceram albam bene depuratam,

puratam, & recentem habeamus, oleúmque recens, non eſt opus ablutione) deinde igne lento ſiccabis, ne humiditas ex lotione remanens rancorem, & putredinem temporis intercapedine cauſetur. Poſtea finito frigeſcere, & pulveres prædictos, quos ad uſum ſervaveris, immiſce: demum caphuram in mortario cum piſtillo calido paululo aquæ roſaceæ ſolutam (quam alii cum pauco oleo Terebinthinæ liquant, quòd minimè fieri debet, cùm Terebinthina pro ſcopo compoſitionis videatur calidior) totúmque probe commixtum ad uſum reconde.

Vires ex *Meſue*.

Ad ſedandum inflammationes & apoſtemata dura, calida & ſupercalefactiones, quæ ſunt in ſtomacho & hepate, maximè prodeſt.

CAP. II.

Ceratum nobiliſſimæ operationis *Joannis de Vigo* 2. *cap. lib.* 5. qui intitulatur de morbo gallico confirmato, cum ulcerationibus. Uſuale

Textus *de Vigo* verus ponderibus duplicatis.

[a] *Oleum chamæmeli, anethinum, de lilio, de croco*, Meſuæ *deſcriptionis accipe.*

[b] *Oleum de ſpica per ſublimationem factum nonnulli capiunt. Alii de ſpica nardi compoſitum.*

[c] *Alii lib.* 1.

[d] *Euphorbium recens magis convenit intentioni ratione caliditatis.*

[e] *Thus maſculum cape.*

[f] *Inula radicis ſuccum accipe.*

[g] *Arabica.*

℞. [a] Olei chamæmeli.

Olei anethi.

[b] Olei de ſpica.

Olei de lilio an. unc. 4.

Olei de croco unc. 2.

[c] Pinguedinis porcinæ lib. 2.

Pinguedinis vitulinæ lib. 1.

[d] Euphorbii drach. 10.

[e] Thuris drach. 20.

Olei laurini unc. 3.

Ranas viventes Nu. 12.

Pinguedinis viperæ unc. 5.

Lumbricorum lotorum in vino un. 7.

Succi radicis Ebuli.

[f] Inulæ an. unc. 4.

Schœnanthi.

[g] Stœchados.

[h] Matri-

[h] *Matricariam cum floribus intellige.*

[h] Matricariæ. ana m. 2.

Vini odoriferi. libr. 4.

Bulliant omnia simul usque ad consumptionem vini, deinde colentur, cui colaturæ addantur.

[i] *Lithargyrium lotum accipe.*

[i] Lithargyrii auri. libr. 2. unc. 8.

Terebinthinæ claræ unc. 4.

Et cum cera alba sufficienti ad ignem fiat Ceratum ad modum Sparadrapi, addendo in fine coctura.

Styracis liquidæ unc. 3.

Deinde auferatur ab igne, baculo agitando, donec tepidum fuerit, postmodum addentur.

Argenti vivi extincti cum Saliva unc. 8.

Iterum agitando baculo donec argentũ vivum optimè incorporetur.

SCHOLIA.

DEbent lumbrici terrena exinaniri fæce, & aqua fontana, ter aut quater semper abjiciendo aquam, & aliam innovando leviter ablui, ut quicquid terræ illis adhæresset auferatur: debent quoque illo vino, quod hanc compositionem ingreditur, macerari, cumque his & eodem vino ranæ adhuc vivæ incoqui ad tertiæ partis consumptionem. Tunc Matricariam quoque incisam injicies, deinde Schœnanthum incisum ac parùm contusum, & Stœchadem ad semilibræ coquendo consumptionem, ut ex quatuor primis libris duæ tantùm remaneant. Postea permittes omnia simul ita macerari, donec decoctum penitus refrigeratum sit: deinde colabis per pannum cannabinum rudem, velociter extorquendo, servabisque quoad tandem Lithargyrium nutriatur, agitando baculo, vel spatula lignea 12. horarum spatio in lebete amplo cum Oleo chamæmelino, anethino, de lilio, croco, & axungiis porcinis, vitulinis, & viperinis. Alii postquam lithargyrium spissitudinem unguenti cum oleis adeptum sit, tunc axungias paulatim omnes addunt, iterúmque cum lithargyro ad mellis crassitiem coquunt. Omnibúsque his post nutritionem peractam mixtis, fiat decoctio lenta, donec lithargyrium spissitudinem unguenti acquirat, nec fundo vasis adhæreat, quod quidem veræ mixtionis indicium erit (quæ vulgò incorporatio appellatur) in quod lithargyrium ita paratum, & decoctum, semilibram prædictæ decoctionis infundes ab igne illud auferendo, ne repentino novarum rerum contactu effluat, & elabatur: posteáque iterum igni forti ad coquendum appones, donec prima injecta humiditas tota absumatur: sæpiúsque idem facitabis, reliquas partes prædictæ decoctionis paulatim injiciendo, donec universa humiditas consumatur: ita ut unaquæque decoctionis infusio, non excedat semilibram. Statim his peractis succos ebuli, & inulæ campanæ minimè defæcatos in lithargyrium ita paratum infundes. Tunc igne adaucto lithargyrium perfectius ad sacchari rosati formam concoques, vel ad consumptionem dictorum succorum, aliàs non asservare-

Lithargyrii vera nutritio ad Cerata, Emplast. & Vnguenta conficienda.

tur

tur ſine putredine. Poſthæc ab igne ſepones, & quamprimùm ceram minutim inciſam (ſi deſideretur) conjicies, qua liquata, totum refrigerare permittes. Deinde Thus, Euphorbium ſemotim in modum alcooch pulverizatum deſuper inſperges. Demum argentum vivum prius defæcatum agitatione & maceratione in aceto albo facta: poſtmodum tranſcolatione duplici vel triplici facta per pannum denſum, vel *corium comprimendo, ut quicquid terrei vel plumbei ineſt* auferatur, extinctúmque cum ſaliva humana unà cum Terebinthina, Styrace liquida, oleo laurino, & de ſpicâ commixtum & incorporatum conjicies ac ſubiges, magdaleoneſque finges. Cæterum antequam hanc aggrediatur pharmacopœus Emplaſtri compoſitionem, debet diligenter animadvertere, ut olea pellucida habeat, paritérque pinguedines unum diem vetuſtate non excedentes: alii vetuſtiſſimas pinguedines accipiunt pro ſcopo compoſitionis.

Præterea modus ab authore ſcriptus minimè approbandus mihi videtur, cum vult axungias ſeu pinguedines, Thus, Euphorbium cum cæteris aliis ſimul concoqui. Nam ſi ita fieret, totum medicamentum coctione corrumperetur. Quædam enim longiore, alia breviore coctione indigent. Quare conſulerem ſecundum modum à nobis deſcriptum potius faciendum eſſe, quàm ſecundum alium modum ab authore deſcriptum.

Ping. porcinæ.

Ping. vituli.

Ping. viperæ.] Hæ autem duæ primæ pinguedines ſumi ex animalibus vigente autumno debent, cum per hoc tempus animalia ſint graciliora & præcipuè circa renes. Sed viperina finiente vere, nondum tamen æſtate inchoata, & maximè circa Zirbum, id eſt, circa Inteſtina. Debéntque quoque in hunc modum præparari. In largiori aquæ frigidiſſimæ copia, tunicis exemptis, convenit pinguedines confricari, deinde firmiter expreſſas ſiccari, ſubindéque alia recenti aqua lavari & exſiccari, ut prius: hæcque ablutio debet ter aut quater repeti, ſemper abjiciendo aquam, & aliam innovando, donec ultima aqua conſpiciatur ſyncera, & nitida. Deinde eas oportebit in minutiſſimas partes dividere, & vaſe duplici liquefacere, ſpatula lignea aliquoties agitando: eliquatas colo tranſfundere in aquam, donec frigeſcant: quibus refrigeratis, aqua lentè & guttatim injicienda, & in idem vas alia infundenda, ut leviter iterum eluantur, unde manu comprimi debent, quò facilius fæculentum virus peſſum eat. Poſthæc in pilam ſpongia nitida madefactam tranſfundantur, ubi coire cœperint, reſidentes in imo ſordes eximantur. Cæterùm alii ſine aqua eliquant, & abſque duplici vaſe, ut magis durent, eò quò illarum humiditas ſuperflua liquefactione iſta magis tollitur, quam ſi in duplici vaſe liqueſcerent. Eliquatas verò, & ita paratas fictili optimè clauſo, loco frigidiſſimo reponunt: alii in ædibus ſiccis, & editis planè humoris expertibus, cum foliis Lauri aridis, ſive Juglandis involucro, ſive in nova charta condunt. Sic etiam cæteræ pinguedines, & axungiæ ſunt parandæ & reponendæ. Sunt autem permulti qui in harum præparatione & ablutione, ſalem in aquam conjiciunt, poſtea iterum in alia aqua ſine ſale abluunt. idque faciunt, ut mutetur odor axungiarum & adipum, ac inſipidæ remaneant. Nonnulli, dum eas recondunt, iterum aliquid ſalis aut ſaccari (ſecundum authoritatem Luminaris majoris, in deſcriptione unguenti pectoralis) admiſcent, ne putreſcant aut rancidæ fiant. Porro autem ſiquis quærat poſſitne aliquod diſcrimen reperiri inter pinguedinem, & adipem, paucis reſpondebimus dicentes: pinguedinem liquidiorem eſſe, quæ ſi ſemel diſſolvatur, non facilè, ubi liquata, vel diſſoluta fuerit concreſcit, ac cogitur. Fit autem à ſanguinis parte magis oleoſa, éſtque maximè particeps igneæ & aereæ ſubſtantiæ, & aquæ minimè. Dum enim liqueſcit, nullum crepitum edit, & in locis calidis animalium quæ utrinque dentata ſunt, & cornibus carent, ut in hominibus, ſuibus, canibus, urſis, & ejuſdem generis pluribus gignitur. Adeps verò craſſior eſt, magiſque terreſtris ſubſtantiæ: nam ſi calore diſſolvatur, vel fundatur, ſtatim concreſcit, celeriméque coit, ac conglaciatur, multúmque apparet pinguedine durior: & dum liqueſcit, crepitat. Gignitur autem maxime in partibus nimis calidis, & in animalibus, quibus cornua inſunt, & dentes in ſuperiore mandibulo deficiunt: cujuſmodi habentur Boves, Capræ, Cervi, & Arietes,

Quo tempore accipiendæ ſunt Ping. axungiæ, & adipes ex animalibus.

Zirbus quid.

Pingued. ceu axung. & adipum præparatio.

Pingued. ceu axung. & adipum repoſitio.

Pinguedo ſeu axungia quid.

Pinguedinis ſeu axung. origo.

Adeps quid.

Adipis origo.

Arietes, & hujusmodi plura. Sed (ut verùm fateamur) in quacunque parte gignatur pinguedo, & adeps, à frigiditate coalescere videtur. Hæc autem nomina sæpissimè apud probatos authores confunduntur.

Ranas viventes] Quas Ranas intelligat non exponit author. Sunt enim varii generis ranæ: sed rubetæ tamen videntur accipiendæ, cùm *Galenus, lib. 7. de Compos. Medic. secund. gen. capit.* 12. & reliqui medici in acopis parandis eas potius elegerint. Sed si non habeantur majores ranæ, quas ipse *Galenus* rubetas vocat: quæ in paludibus & aquosis scrobibus degunt accipiendæ sunt. Et licet quæ in frutetis, sepibus & rubis degunt, videantur rejiciendæ, quia lethiferæ sunt & venenatæ secundum *Dioscoridis* mentem, & quia tamen agitur hîc de medicamento externo non interno, nihil prohibet secundum *Galeni* mentem eas eligere.

Lithargyrii auri. Lithargyrium nostrum usitatum probatur foliatum, colore aureum, debétque à plumbo & scoria purgari, antequam aliquod Emplastrum ingrediatur. Quod facilè præstare poteris, si subtilissimè in mortario, pistillo friando ipsum contundas, deinde aquam desuper infundas, & tunc quod fæculentum erit, cum aqua in aliquod vas conjicias: denique id quod in mortario remanet alia aqua infusa, eaque vehementissimè agitata, cúmque turbulenta exstiterit, cum præcedenti in idem vas refuderis, idque toties factitaveris, donec videas plumbum solum & fæces in mortario subsidere, omnémque subtiliorem substantiam, cum aqua assumptam esse, quam quiescere permittes, quoúsque subsidere videas Lithargyrium, ac tum demum aquam guttatim effuderis & pulverem lithargyrii in fundo subsidentem acceperis, eámque paulatim & pedetentim super marmore duxeris, donec ita levigatum sentias, ut si eum manibus & digitis tractes, aut linguæ imponas, nullam prorsus asperitatem percipias. Atque ita parato lithargyro trito uti poteris in Emplastris & Unguentis. *Galenus de compos. medicament. per genera* in lotione lithargyrii, lavat illud secundum scopum & effectum necessarium: videlicet si scopus sit desiccare, & non mordicare, licet illud cum aqua fontana æstate, diebus canicularibus lavare: si verò vis desiccare & mordicare, cum vino aut aceto: aliquando cum aqua maris *Galenus* id lavat. Sic autem & cætera metalla, aut mineralia, quæ in Emplastris & Unguentis apponuntur, ante usum debent lavari in liquore proprio secundum scopum compositionis, & levigari. Sunt qui aliam rationem habent lithargyrii præparandi. Sed hæc mihi facilior & usitatior videtur. Quod si plura expetas ad lithargyrii præparationem, lege *Mesuen lib. Servitoris.*

Cæterum notabit Pharmacopœus cùm simpliciter in descriptionibus Emplastrorum, & Unguentorum leget lithargyrium, aureum esse intelligendum, non quòd fiat ex auro, sed quia auri colorem referat. Quid autem sit, & de generibus & illius electione, & ustione infrà dicemus: in *Sectione 2. de Unguentis cap.* 2.

Lithargyrium cùm simpliciter invenitur scriptum quid.

Vires à quibusdam Medicis descriptæ, cùm paratur sine Mercurio.

Emollit in cætera non sine magna digerendi vi cum manifesto calore pustulas sæpe movendo.

Vires cum Mercurio.

Easdem vires habet: præterea malignam qualitatem in morbis oppugnat & fugat ob Mercurium.

CAP. III.

Ceratum Oesypi ex *Philagrio*, repertum 11. distinctione apud *Mesuen* de Unguentis, & Emplastris, Usuale.

Textus *Mesuæ* veri pars media.

℞. Croci drach. 2. sem.

Bdellii.

Mastiches.

Ammoniaci.

Aloes.

Styracis liquidæ [a] ana drach. 3. sem.

[b] Ceræ citrinæ lib. sem.

Terebinthinæ drach. 6.

Medullæ cruris vaccæ.

Adipis anseris ana drach. 7. sem.

[c] Oesypi humidæ unc. 9.

[d] Olei nardini quantum suff.

Bdellium, ammoniacum, & aloe dissolvantur in aqua infusionis fœnug. & chamæmeli, & cũ cæteris fiat Unguentum, & post *Philagrium* addiderunt,

Expressionis scyllæ unc. 1. sem.

Olibani unc. sem.

Sepi vitulini drach. 7. sem.

Et in alio

Ceræ lib. sem. [e] minus quarta.

Et est conveniens.

[a] *Alii ana drach. 4. legunt.*

[b] *Ceram citrinam & acrimonia carentem hoc loco intellige, qualis est cera alba pontica sponte producta: cujus loco nostra alba factitia utendum.*

[c] *Si deficiat Oesypus axungiam gallinæ sumere debemus.* Galeno *authore.*

[d] *Oleum nardinum intellige illud quod* Mesues *descripsit: & per quantum sufficit intellige quantum satis erit ad magdaleones formandos.*

[e] *Hoc est, ceræ unc. 4. sem.*

SCHOLIA.

OEsypum, sepum, adipem, & medullam in lebete ad dissolvendum igni lento appones, spatula lignea semper agitando: mox ceram concisam: quibus omnibus liquatis solutisque, & ab igne depositis, & refrigeratis, accipe ammoniacum dissolutum in semiuncia aquæ infusionis fœnug. non contusi & chamæmeli, & uncia una & semisse succi scyllæ. Decoque ad humoris consumptionem, deinde illud ammoniacum sic paratum cum Terebinthina, & Styrace liquida misceatur, quæ optime

optimé mixta & incorporata, projice in lebetem cum prædictis celeriter spatula lignea movendo. Posthæc Bdellium tenuissime pulverisatum injice, si siccum sit: si verò molle fuerit; cum ammoniaco in pauca quantitate infusionis fœnugr. & chamæmeli (perinde ut antè in ammoniaco diximus) solvatur. Paulò post olibanum, mastichen, aloen, separatim in pulverem tenuissimum redacta, & croci demum pulverem conjice: totumque conjunctum & probè mixtum in magdaleones cum oleo nardino efformabis. Quòd si hæc massa non habeat consistentiam cerati duri, & videatur mollior quàm par sit, liquabis unc. 4. sem. ceræ: quam liquatam cum prædicta massa conjunges ac subiges.

In hoc cavendum est ne fœnugr. nimium maceretur infusione: nam si diu infunderetur nullam infusionem haberes, sed potius mucaginem: ob id diligenter animadvertat Pharmacopœus, modicam ut faciat infusionem: quanquam tamen si alius esset liquor in quo dissolvi possent quæ dissolvenda præcipit author, melius esset mucaginem fœnugr. extrahere ad scopum emplastri consequendum.

Ossa crurum vaccæ quo tempore sint colligenda ad medullas extrahendas.

Medullæ cruris Vaccæ.] Colligenda sunt ossa recentia cruris vaccæ in fine æstatis & plenilunio, ne eis sanguinis aliqua insit superfluitas: quanquam alii neglecto collectionis tempore, genus, ætatem, colorem, magis observant: plurimum enim interesse, quo cœlo, qua regione nata, aut educata: sitne item vetula, juvenca, an adulta: quo itidem sit colore (nam ex eo temperaturam licet conjicere) fulvo scilicet, nigro, an albo existimant. Sunt autem ossa frangenda ad medullam habendam (potest etiam extrahi medulla ex spina, quæ durior & siccior est, quàm alia) quam purgabis à sanguine superfluo (si adsit) & in aqua frigida, & limpida, ter aut quater lavabis, aquam semper mutando. Deinde ponatur in fictili sine aqua sub dio ut liquefiat, vel in vase duplici aut cineribus calidis: & quod liquatum erit, sensim linteolo transcolando effundatur in vas aliud, & optimè cooperiatur, & ului servetur, in loco temperatè frigido. Sicque omnes aliæ medullæ præparandæ & reponendæ.

Medullarum extractio, liquatio & repositio.

Cæterùm (ut verum fatear) recentibus præparatis utendum est potius, quàm diu conservatis, propter rancorem.

Adeps, Sepum axungia ceu pinguedo quomodo differant.

Adipis anseris.] Satis copiosè diximus in præcedenti capite, de origine, extractione, præparatione adipis. Differt autem adeps, à sepo ceu sevo, ratione majoris, aut minoris. Nam adeps in mediocribus animalibus sumitur: Sepum in siccioribus. Axungia ceu pinguedo in humidioribus.

Oesypus humida quid?

Oesypi humidæ. Oesypus lanarum ovium succidarum est pinguedo. *Dioscor. cap. 7. lib. 2.* Modus autem eam preparandi talis est. Lanæ succidæ, ut ab ovibus, & arietibus, sumuntur è collo, feminibus, & femoribus ovium. Harum accipe libras circiter 60. *vel quamvis satis magnam* quantitatem: & ferventi aqua octo horarum spatio macera, agitando, & commiscendo, spatula vel baculo rudi: deinde fac ferveſcere, donec omnem suam pinguedinem in aquam deposuerint. Deinde lanam fortiter expressam à decoctione remove: Tunc aquam pinguem & sorditie lanarum imbutam ex alto infundito in aliud vas, multoties iterando donec spumescat: tum spumam sinito subsidere, & aquæ innatantem pinguedinem collige, iterúmque lava in aqua: Exagitetur donec rursus spumescat, tum spumam ceu pingued. colligito: illúdque tandiu facito, donec aqua amplius non spumescat, semper colligendo spumam ceu pinguedinem, collectam vero in aqua pura tandiu lavato, & manibus agitato, donec perluceat & linguæ admota nihil mordax habeat, sed parum astringat. Quibus peractis pinguedinem in fictili denso, loco frigido, ad usum reponito. Sed hæc omnia fieri debent fervido & æstuante sole. *Servitor*, & *Præpositus* in præparando addunt parum aquæ marinæ, ut aqua magis spumescat.

Oesypi conficiendæ modus.

Oesypi ablutio.

Oesypi ablutæ verum indicium & repositio.

Oesypus quo tempore debeat fieri & ablui.

Vires à *Mesue* denuntiatæ.

Ad dolorem splenis, stomachi, & hepatis & duritiem in eis, & dolorem matricum, & apostemata in eis linitum exterius, vel etiam superpositum in lana exceptum, valet ad durities, & nodositates quæ sunt in juncturis.

CAP. IIII.

Ceratum *Galeni* infrigidans, *lib.* 10. *meth. cap.* 9. & *lib.* 1. de Simpl. Medicament. facultate, *capit* 5. *lib.* 5. de Sanitate tuenda, quod ſcribitur à *Meſue* in 11. Diſtinctione de Unguentis & Emplaſtris, Uſuale.

Textus verus *Meſue.*

℞. [a] Ceræ albæ, unc. 1.

[b] Olei Roſati, unc. 4.

Et ſit radix olei oleum omphacinum aquæ fontium claræ & propriè vehementis frigoris [c] quantum ſufficit. Oleum multoties, & bene lavetur, lavationibus pluribus, & quò magis elaboratur in lavando, fit excellentius. Ultimò verò concuſſetur cum [d] aceto albo claro & pauco.

[a] *Ceram intelligit author* Ponticam *naturaliter albam, quæ ſine acrimonia eſt, vel* Cyrenaicam, *artificio dealbatam & acrimonia ſpoliatam.*

[b] *Oleum Roſatum crudum ceu immaturum ac omphacinum intellige, radixque olei Roſati, multoties lavetur antequam Roſas recipiat, ſitque oleum crudum.*

[c] *Per quantùm ſufficit,* Meſues *intelligit quantùm ſuſcipere poteſt aquam ad refrigerium.*

[d] *Acetum naturaliter album accipe, non autem diſtillatum,*

SCHOLIA.

IN diplomate ceram fruſtratim diviſam, unà cum oleo Roſato, facto ex olivis immaturis, & Roſis minimè expanſis, aqua frigidiſſima pluribus vicibus antequam Roſas recipiat loto (quonam pacto lavari debeat lege infrà in *Sectione* 3. *capite* 3.) liquefac, ut unum corpus ſumant. Totum liquatum refrigerare permitte in vaſe aquæ frigidiſſimæ pleno: refrigeratum in mortario marmoreo cum aquæ fontanæ paulatim affuſæ tanta copia, quàm in ſe dum mollitur, ac ſubigitur, admittere poteſt, tere & agita: in fine verò parum aceti albi & clari ℥. ß. admiſce: eóque recenter parato utere, ne vetuſtate calorem acquirat. Attendant autem Pharmacopœi, cum hoc ceratum ægrotis apponunt, ne id ſupra corpus dimittant tandiu donec calefiat: (ut docet *Galenus lib.* 11. *meth.* niſi aliter imperetur à medicis propter cauſas certas) ſed continuò mutent: quod pauci hoc tempore advertunt.

Vires à *Meſue* Scriptæ.

Valet ad febres acutas, & ſodam calidam pulſativam.

CAP. V.

Emplaſtrum Diachylon parvum *Meſue* 11. Diſtinctione de Unguentis & Emplaſtris, Uſuale.

Meſue Textus verus.

℞. [a] Lithagyrii, unc. 6.

[a] *Lithargyrium aureum ac præparatum ſecundum ſcopum intellige.*

[b] *Oleum*

[b] *Oleum Olivarum insalsum accipe, sufficiuntque unc. 9. pro quantitate Lithargyrii, ut sæpissimè expertus sum, tamen* Galenus *vult tantum Olei adhiberi, videl.* lib. 1. *pro lib. sem. Lithargyrii.*

[b] Olei veteris clari, lib. 1.

Mucag. Psyllii, unc. 4.

Mucag. Hyoscyami, unc. 1. & semis.

Mucag. Lini seminis.

[c] *Per radicem Malvæ, Althææ radicem intellige.*

Mucag. [c] radicis Malvæ, an. unc. 2.

Cujus operatio est sicut operatio alterius: hoc est, qui antecedit, *in lib. Mesuæ.*

SCHOLIA.

SIc Emplastrum conficies. Accipe Lithargyrium tritum, & præparatum, ut in præcedenti Emplastro *Joannis de Vigo* docuimus, misce cum oleo prædicto in vase Æreo, agitando spatio 12. horarum ad minus: deinde igni lento exponatur, eousque dum coctione perveniat ad mellis crassitiem, & fundo vasis non adhæreat: hoc enim signum est incorporationis. Tunc ab igne auferes, & Mucaginum prædictarum seminum & radicum, separatim factarum, & coctarum, simul mixtarum, partem aliquam, nempe unc. 3. in Lithargyrium injicies, ac quàm celerrimè spatula agitabis, quoúsque subsideant, iterúmque igni expones, donec ea injecta mucaginum quantitas consumpta videatur: deinde ut prius, reliquum mucaginum conjicies, ab igne agitando: posteà ad decentem consistentiam concoques, donec bullire & subsidere lythargyrium conspicias, quod signum est perfectæ concoctionis: denique refrigescere permittes. Demum unc. duarum magdaleones conficies, & loco convenienti reservabis. Quanquam tamen nonnullis videretur ad usum & scopum dicti emplastri emollientis, si tota mucago non absorbeatur coctione: nihilominus ne manente mucagine humidius reddatur emplastrum, & putredini obnoxium, ideo voluit author integram eorum consumptionem. Addit *Galenus lib.* 1. secundum genera initio emplastri aliquid aquæ claræ cum lithargyrio, antequam coquatur: vultque emplastra alba fieri in loco claro, aperto, soleque radiante: nam aër obscurus reddit emplastrum nigrum, sed lucidus & clarus maximè juvat ad albedinem: proportio autem aquæ & olei par erit, hoc est, si sint lithargyrii unc. 6. olei, unc. 9. totidem aquæ erunt sumendæ.

Mucag. Psyllii.
Mucag. Hyoscyami.
Mucag. Lini.

Mucag. radicis Malvæ.] Mucagines ut conficias, sic est operandum. Semina omnia exquisitè eliges separatímque ponderabis, ac leviter conteres dempto semine Psylii, Lini, & fœnugr. quæ nunquam conteri debent, nisi à medicis præscribantur, quia absque contritione mucaginem viscosam etiam cumulate reddunt: radices verò omnes electas & à terra repurgatas minutim conscindes, ac in mortario lapideo cum pistillo ligneo ad invicem conteres, per séque in fictilibus vasis spatio duorum, vel trium dierum super ignem lentum aut potius super cineres calidos in quantitate sufficienti aquæ tepidæ macerari permittes, aliquando tamen spatula lignea movendo ne fictilibus inter macerandum & coquendum adhæreant, sumendo videlicet pro una libra seminum aut radicum, aquæ tepidæ libras 4. (non desunt tamen qui mucagines quo sint magis viscosæ, libram unam & semissem seminum aut radicum sumant) dein maceratione facta si tibi fortasse haud satis viscosæ & coctæ videantur, adhuc eodem igne coquendas relinques donec perfectam coctionem fuerint assequutæ. Signum autem perfectæ & absolutæ coctionis erit, cùm aqua in seminibus & radicibus ipsis macerata, non amplius aquæ, sed viscositatis illius, ut albuminis ovi retinuerit, aut paulò plus: quinetiam si prædictæ macerationis pars frigido mar-

Mucaginum ab omnibus seminibus & radicibus vera extractio.

Mucaginum macerarum aut coctarum veruti indicium.

mori

mori velut in declivi impoſita lentè & craſsè defluat, tum veræ & perfectæ coctionis earum indicia habebis: deinde coctione peracta intorquendo per ſe exprimi debent, quibus poſtea cum volueris tuto poteris uti. Ad mucaginem autem in hoc Emplaſtro conficiendam, volui quantitatem ſeminum, radicum, & aquæ deſcribere, ne tironibus aut in arte parum verſatis erroris occaſionem præberem: ſumenda autem erit uncia una ſeminis pſyllii, ad uncias quatuor aquæ ad ſummum ſex, ſeminis hyoſcyami drach. 3. aquæ unc. 1. ſem. ſeminis lini & radicis malvæ ſylveſtris ana unc. ſem. aquæ verò unc. 4. Alii mucaginibus factis ex ſeminibus fœnugræci, lini, radicibus malvæ agreſtis, ſeu ibiſci in hoc parando Emplaſtro utuntur, ſed id fit propter diverſitates morborum. Verùm hæc noſtra deſcriptio, quæ in uſu quotidiano eſt, recipit mucaginem factam ex ſemine pſyllii: ſed in mucagine pſyllii conficienda, minimè ſemen contundi debet, ut paulò ante dictum eſt, cum medulla ſit calida, & cortex frigidus, unde calidam, & frigidam ſortitur facultatem ac qualitatem, ſecundum *Meſuæ* mentem. Itaque cùm in hoc non deſideretur calefaciendi ſed tantùm molliendi cum levi refrigeratione facultas, conteri minimè debet, neque diu multo calore macerari, nec fortiter exprimi, ne ſubſtantia calida foras extrahatur.

Cæterum in hoc Emplaſtro conficiendo cavendum, ne ignis vehementior fiat initio coctionis lithargyrii, ne compoſitio nigreſcat aduſtione: ſed ignis augeri debet pro induſtrii Pharmacopœi ſententia, ubi prima peracta eſt concoctio. Hoc præterea notandum, ſemen pſyllii intelligendum, ubi ſimpliciter pſyllium legitur ſine aliqua additione.

Pſyllium cum ſimpliciter ſcribitur quid.

Vires à *Meſue* probatæ.

Tumores calidos digerit & maturat.

CAP. VI.

Emplaſtrum diachylon magnum expertum, *Meſue* in 11. diſtinctione de Unguentis & Emplaſtris. Uſuale.

Vera *Meſuæ* deſcriptio.

℞. [a] Lithargyri mundi triti & cribellati unc. 12.

[b] Olei Irini.

Olei Chamæmelini.

Olei Anethini ana unc. 8.

Mucag. ſeminis lini.

Mucag. ficuum Ping.

Mucag. paſſularum.

Mucag. ſeminis fœnugræci.

Succi ireos radicis.

[a] *Lithargyrium aureum author intelligit: ſed* Galenus *ſecundum varias intentiones hoc vel aliud eligit.*

[b] *Oleum chamæmelinum irinum, & anethinum ex* Meſuæ *deſcriptione accipiendum.*

Succi

Succi Scyllæ.

Glutinis alchannæ.

Oesypi humidæ ana drach. 12. sem.

Terebinthinæ unc. 3.

Resinæ pini.

Ceræ Citrinæ ana unc. 2.

Conficiatur sicut diximus, hoc est, tali modo quo usi sumus præcedenti, istud conficiatur.

SCHOLIA.

DEbet lithargyrium præparari, ut in prædictis emplastris monuimus. Nam cum præparatum ac coctum cum oleis fuerit, in id paulatim mucagines conjicies seminis lini, fœnugræci, ficuum, & passularum separatim & arte factas: quibus concoctis & cum lithargyrio consumptis, statim succum ireos & Scyllæ injicies & ad horum consumptionem decoques. Posthæc gluten alchannæ dissolutum, eo quo præscribemus modo, immittes: quod cùm primùm coctum & consumptum fuerit, cera minutim incisa injicienda erit, quæ postquam liquata fuerit, resinam pini confractam addes: qua liquata totum ab igne depones, & statim Terebinthinam, paulo post œsypum admiscebis, ex eáque massa frigida magdaleones ad usum conficies.

Mucag. ficuum Ping.

Mucag. passularum.] Ficus & passulæ raras Mucagines faciunt: sed quia earum decoctio inspissata ad formam syrei, hoc est, sapæ mucaginis consistentiam obtinens, vim habet emolliendi, secundum scopum emplastri, ideo cum mucaginibus & succis lentis voluit author remiscere.

Succi scyllæ.] Scylla debet eligi sufficientis magnitudinis, non admodum magnæ, & enormis, bene habita, & nutrita, alba, & recenter ex terra desumpta, cùm caulis & folia exactè aruerint. *Mesues* illam cæteris præfert *de Simpl. lib. 2. cap. 6.* quæ est saporis dulcis, acri, & amari, squammis depurgata, in loco libero prope aliàs educata. Cum igitur triplices ei sapores assignet *Mesues*, vult illam triplici constare substantia, aërea scilicet, terrestri, & ignea: ab aërea dulcem, à terrestri propter adustionem amaram, ab ignea, quæ maximè in superficie est, acrem qualitatem habere, ex illa autem succus in hunc modum extrahitur. *Scyllæ electio ac collectio.* *In scylla tres sapores.*

Scyllam, qualem jam descripsimus electam accipe, eámque cultello ligneo, vel eburneo, corticibus purgatam, & incisam, in mortario lapideo, pistillo ligneo fortiter contere, non ferreo, ut annotat *Sylvius* in illius præparatione: ubi optimè contusa fuerit, in vase fictili clausa argillâque circumlita, in clibano modicè calido, spatio sex horarum reponatur, ut maximè caleat: posthæc in forti panno calido exprimatur. Verùm non desunt qui ad succi scyllæ præparationem diversis modis utuntur. At hæc ratio à nobis præscripta cæteris facilior ac præstantior existit. Ex unica autem succus supererit, qui ad hanc confectionem sufficiet. *Succi scyllæ extractio.*

Glutinis alchannæ.] Dissolvitur gluten alchannæ sic. Accipe alchannam, seu Ichthyocollam, hoc est, cetacei ventrem candidam, natione Ponticam, subasperam, minimè scabram, & quæ celerrimè liquescit (hæc *Dioscorid. lib. 3. cap. 86.*) eámque in minutissimas partes divide, & in novo fictili repone, & desuper aquam claram infunde, donec vas impleatur pro ratione Ichthyocollæ, diúque calidæ macerari sinito ante coctionem, nam non aliter dissolveretur, deinde igni lento coquatur eousque dum *Gluten alch. seu Ichthyocol la quid.* *Glutinis alchannæ seu Ichthyocollæ dissolutio.*

dum in cremorem abierit, & cùm refrigeratum fuerit, ad similitudinem pultis conspicietur.

Per rasam intelligè non coctam, neque carpinatam, sed rasam ab arbore ubi paulatim è lacrymatione concrevit.

Animadvertite porrò *Mesuen* in hoc Emplastro resinam pini expetere, & eam intelligere, quæ è pino sponte fluit, quæ quidem apud *Præpositum* rasa appellatur. Probatur autem ponderosissima & picosissima, verum de his resinarum differentiis, satis abunde in sequenti capite dicetur. Præterea maximè observandum cùm mucagines injicientur, tum enim lithargyrus ab igne auferri debet, quod maximè notandum, ne repentino novarum rerum contactu exundet.

Vires à *Mesue* notatæ.

Ad resolvendum & ad maturationem omnis duritiei, & inflationis expertum.

CAP. VII.

Emplastrum Gratia dei, *Præpositi* in 6. Particula, *lib.* 2. Usuale.

Verus *Præpositi* Textus.

℞. Terebinthinæ, lib. semis.

Resinæ, lib. 1.

[a] Ceræ albæ, unc. 4.

Mastiches, unc. 1.

Foliorum Verbenæ.

Foliorum Betonicæ.

Foliorum Pimpinellæ, an. M. 1.

[a] Ceram naturaliter albam intelligit author, quæ sine acrimonia est, vel Cereniacam *artificio dealbatam, & acrimonia spoliatam.*

Herbæ pistentur, & [b] vino forti bulliant usque ad consumptionem tertiæ partis: colentur, & inde substantia herbarum abjiciatur, & Cera, Resina, & Mastiche cum colatura ponantur, necnon bulliant agitando, donec optimè incorporentur: tunc deponantur ab igne, & addatur Terebinthina, totumque agitetur cum spatula, & fiat Emplastrum.

[b] Vinum rubrum odoratissimum intelligere ratio infra in modo conficiendi dicetur.

SCHOLIA.

VIrides herbæ præscriptæ & præcipuè earum summitates, loco temporéque convenienti, legi debent, nec lavari: deinde incidi, & in mortario lapideo, pistillo ligneo contundi. Posthæc in vino rubro quàm optimo & odorifero (eò quòd vulneribus & ulceribus magis convenit, quo *Hippocrates* in *lib.* de vulneribus & fracturis frequenter utitur, & *Galenus* in *lib. secund. gen.* in coctione herbarum Emplastra ingredientium) quantitate sufficienti ad partis tertiæ consumptionem decoqui: quæ cum decoctæ fuerint, parumper infundi permitte, ut tota facultas cum vino, in quo decoctæ fuerint, remaneat. Deinde adhuc calidæ colentur, massáque herbarum abjiciatur. In colatum ceram minutim incisam injicies, & unà cum decoctione concoques

Per quantitatem sufficientem intelligo lib. 6.

Concoques igne lento, spatula assiduè movendo, ad humidi vel colati consumptionem: qua humiditate exhausta, resinam contractam, ut liquescat cito addes: qua liquata, & ab igne semota, Terebinthinam, ut dissolvatur, admiscebis, cúmque omnino tepuerit, & refrigeratum fuerit, mastichen quàm tenuissimè pulverisatam desuper insperges, manibus tractando. Hac enim methodo fortior erit ipsius Emplastri operatio, neque coctione corrumpetur, cum ordo simplicium decoctionis diligenter observatus fuerit: quod *Præpositus* non advertit. Proinde maximo ingenio, summaque industria uti debemus in hujus Emplastri confectione, ut veram & legitimam inveniamus methodum. Hic etenim modus à Præposito confusus pace tanti viri dixerim, nobis videtur. Vult siquidem Ceram, Mastichen, Resinam, Terebinthinam omnésque herbas sine distinctione poni & ordinis nota, quod sane absurdum videtur. Novit profectò *Præpositus* Terebinthinam, Resinam, & Mastichen nullam penitus sustinere decoctionem propter essentiæ tenuitatem: ceram verò majorem propter suæ substantiæ crassitiem. Quare quantum in nobis situm fuit, voluimus verum conficiendi modum hìc describere, ne medicamentum ita coctum corrumpatur, & illius operationis proprietas minuatur.

Resinæ.] Resina, ex veterum *Theophrasti* & *Plinii* opinione, est humor qui sponte profluit è Terebintho arbore, vel è pino, piceâque, vel ex abiete. Resina autem, quæ è Terebintho profluit, duplex est. Una, quæ sponte provenit, & solis calore condensatur, eáque vera est resina, à nobisque Pharmacopœis colophonia vera appellatur. Probatur autem odoratissima, lucida, non torrida, neque diluta, friabilis & calculorum expers: eáque sumenda est, ubi simpliciter legitur. Altera verò quæ similiter sponte effluit è Terebintho, & undiquáque spargitur, quam sol non attingit: eáque vera Terebinthina dicitur. Laudatur alba, vel cœrulea, perlucida, odore Terebinthinam referens, colore vitreo. Cúmque simpliciter Terebinthina apud authores scribitur, ea est sumenda. Cæterum resina illa, quæ ad nos quotidie defertur ex abietibus, pinis, piceísque arboribus liquida provenit, quæ maximè decoquitur, & à *Præposito* rasa nominatur, nihílque differt à colophonia nostra desiccata: cum solùm differant Terebinthina, resina, & colophonia usitata ratione decoctionis: quia diversis modis & arte coquuntur. Quod si deficiat vera resina, Terebinthinam veram à Terebintho arbore petitam, lariceam, vel lentiscinam accipere possumus. De quarum coctura lege *Dioscoridem capit.* 75. *lib.* 1. & *Galenum lib.* 8. *de simpl. medicament. facultatibus*, pariter *Plinium lib.* 7. *cap.* 3. & alios, qui de simplicibus scripserunt. Ad hæc quamvis Terebinthus, picea, pinus, abies, & aliæ quædam arbores, resinas quæque omnes, cùm pingues liquidásve, tum etiam siccas atque exoletas (suo tamen unamquánque ordine & successu) proferant: tamen in pinguium ceu liquidarum genere, ea præcipua esse videtur, quæ colophonia appellatur, ac aliæ quæcunque illi similes: quæ æstate, & autumno leguntur. Inter siccarum exoletarúmque verò genera, ea in primis habetur, quæ *Galeno* pityinon physen a vocatur, quæ quòd in ipsa arboris germinatione exudet, ea ratione exoleta provenit: qua de re vide *Mathiol. epist. lib.* 1. ubi agit de Resinis. Cæterum, quia colophoniam modò in siccis, modò in liquidis resinis numeravimus: id ut sanè intelligat lector, hæc mea est sententia. Ea quæ à Pharmacopœis vera colophonia dicitur, ficca nimirum & dura priusquam solis calore excocta induruerit, liquida sive pinguis, propriè etiam colophonia appellatur.

Resina vera quid.

Resina quæ è Terebinthino fluit duplex.

Resinæ veræ electio.

Resina simpliciter quid.

Terebinthina vera quid.

Terebinthinæ veræ electio.

Terebinthina simpliciter quid.

Terebinthina, Resina, & Colophonia, usitata solum ratione coctionis differunt.

Cereæ albæ.] Hoc in loco ceram naturaliter albam, & Ponticam, acrimonia carentem intelligit *Præpositus*: vel illam quæ ex novis favis separatur, vel quæ præ foribus aut præ spiraculis alveariorum reperitur artificio dealbata & acrimonia spoliata, & ab apiariis, & aliis à quibusdam modernis authoribus cera virginea appellatur. Ab antiquis verò propolis dicitur ea. Probatur autem propolis antiquorum flava, odore Styracem referens & in vehementi ariditate mollis, & Mastiches in modum ductilis. Quam si habere non possumus, utendum erit illa nostra factitia alba, quæ pluribus lotionibus præparata est, & quæ acrimoniam à melle contractam deperdidit, ut *Galeno* placet *lib.* 2. *simpl. cap.* 15. Tandem verò inquirendum erit, utrum propolis idem sit, quod cera virginea alba: quod equidem non puto. Abluitur autem propolis antiquorum, ceu cera virginea modernorum secundum *Galenum* loco

Cera virginea modernorum quid.

Propolis antiquorum quid.

Propolis antiquorum electio.]

Cereæ acris ablutio.

prius citato, hunc in modum. Primùm modicè calefactam ceram in aquam purissimam modicè calidam infundito: deinde conterito, tundito, frangito, manibusque impensè subigito, deinde ceram refrigerato, cum priori aqua effusa rursum calefacito, & in aliam aquam calidam atque sinceram injicito, rursumque diutissime contundito, donec acrem qualitatem suam in aqua deposuerit, quod gustu cognosces. Mox verò, & tertio, & quarto sæpius idem faciendum, donec aqua ex abluta cera qualitatem mordacem recipiat: ac ita ceram ad usum paratam habebis. In hoc autem medicamine, ac in cæteris quæ vulnera solidant, glutinant, & repurgant, inflammationesque leniunt, omnis mordacitatis expers, & quæ acri thymoso que melle conficiatur cera non est utenda, teste *Galeno* 4. *simpl. cap.* 5. Idcirco eo modo in hoc lavanda est resina, pix, & oleum (si desiderantur) ut si aliquid in iis mordacitatis sit, auferatur, & præcipue in Emplastris, Ceratis, & Unguentis, quæ habent facultatem solidandi & glutinandi.

Vires à quibusdam medicis notatæ.

Vulnera solidat, glutinat, & repurgat, inflammationésque solidat.

CAP. VIII.

Emplastrum de Janua, ceu de Betonica *Præpositi* ex 6. particula secundi lib. Usuale.

Vera *Præpositi* descriptio.

℞. Succi Betonicæ.

Succi plantaginis.

Succi apii ana lib. 1.

[a] Ceræ.

Picis.

Resinæ.

[b] Terebinthinæ ana lib. sem.

Fiat Emplastrum.

[a] *Ceram albam naturaliter, crudam & Ponticam* Præpositus *intelligit.*

[b] *Terebinthinam lotam hoc loco accipiendam nonnulli putant: sed quia ad vulnera capitis & nervorum potissimum adhibetur, pura è Terebinthino & sine lotione usurpari debet, ut nihil ejus virtutis & substantiæ depereat.*

SCHOLIA.

ETsi nullam formam, aut methodum, in hoc conficiendo Emplastro *Præpositus* præscripserit: tamen quo hodie sæpissimè præparetur modo, secundum omnes ferè omnium Pharmacopœos, indicabo. Accipiunt Betonicæ, Plantaginis, singulorum æquale pondus, Apii verò non ad cæterorum proportionem, verùm cætera pondere superat omnia. Tundunt deinde cum cera incisa, pice, resina confracta, & Terebinthina, in lebetem injiciunt ut simul coquantur, donec nulla supersit humiditas, vel donec herbæ coctione aruerint: quæ cocta dum maximè calent, torquendo exprimunt, & inde magdaleones formant. Hícque modus hodie ferè ab omnibus Pharmacopœis approbatur. Qui modus à vero mihi videtur recedere, sed cur ita parant, hæc illorum ratio. Volunt resinam, Picem, & Terebinthinam colorem viridem retinere, ideo magis expetunt vires quorundam simplicium deperdi, quam ipsum colorem viridem, quod quidem absurdum non esset, consulerémque ita componi, si modo vis

Picis

Picis, Resinæ, & Terebinthinæ non deperderetur: ac si etiam legitima proportio herbarum ad lib. 1. succi acciperetur. Quapropter ne Pharmacopœus ignoret confectionis hujusce Emplastri methodum veram, volui verum modum hic præscribere.

Vera hujusce Emplastri conficiendi methodus.

Accipe foliorum betonicæ recentium, loco & tempore collectorum, eam quantitatem ex qua possis succi libram unam habere: In mortario lapideo pistillo ligneo tunde: deinde fortiter succum intorquendo extrahe: similiter facies de Plantagine, & Apio, succum singulorum exprimendo. Quorum succorum non defæcatorum accipies singulorum libram unam secundum authoris descriptionem, cerámque minutim concisam cum succis in lebetem conjicies, & igne lento concoques ad humidi consumptionem, dum ex tribus libris, una remaneat. Tunc picem, & resinam confractam injicies, & concoques ad alteram humidi peremptionem, deinde colabis, ut si aliquid fuerit arenositatis in pice, & resina, auferatur: Postea Terebinthinam dissolve, omnia simul spatula lignea movendo. Deinde massam finge ex qua frigefacta magdaleones ad usum formabis. Sed objiciet quispiam hoc Emplastrum peccare in colore: quid tum postea, modò vis simplicium tota remaneat in medicamento, & coctione non corrumpatur? in hoc enim non est necessarius color viridis, sed detergendi, desiccandi, facultas. Igitur quicunque parare vult Emplastrum, nullo modo curare debet quo colore sit, dummodo vires obtineat quas *Galenus libr. de compost. medicament. secundum genera* vult ipsum obtinere. Cæterùm notandum, si methodum à nobis præscriptam sequaris, Terebinthinæ dosin aliqua ex parte minuendam esse, quòd Cerati potius quam Emplastri formam & consistentiam retineat, sufficiéntque tantùm unc. 2. si autem veterem conficiendi methodum Pharmacopœorum more retinendam putes, Terebinthinæ proculdubio dosis nulla ratione retinenda, quod nimirum coctione crassescat. Adhæc præterea notabis alias valentiores formas à Vigone describi, sub nomine de Betonica capite de Ulceribus capitis, quæ magis merentur dici de Betonica quam præsens Emplastrum.

Ad humidi consumptionem ad tertiam partem intellige.

Picis.] *Nicolaus Præpositus* hujusce compositionis scriptor, diversam facit picem à resina, eam describendo punctis intermediis, quod maximè notandum est. Idem cùm simpliciter picem, & resinam describit, non denotat quam picem, aut quam resinam sumere debeamus, cùm à diversis arboribus colligantur. Tamen multi Pharmacopœi in explicatione textus *Præpositi*, resinam & picem accipiunt pro simplici uno: quod tamen fieri non potest, cum separatim & punctis intermediis præscribantur. Ut igitur his satisfaciamus, qui volunt hanc compositionem aggredi ex descriptione *Præpositi*, dicam quid sentiam. Sumenda est pix liquida & resina vera. Quid autem sit resina vera, satis superiori capite à nobis explicatum fuit. Nunc quid sit pix liquida breviter dicam, & quid de ea apud probatos authores legerim expediam à quibus tamen hoc unum oratum velim, ut si quid à me perperam dictum audiant, aquo & benevolo animo ferant. Imprimis itaque notabimus, ubi *Præpositus* simpliciter, & sine additione picem describit, liquidam intelligere, crudam, mollem, tractabilémque, artificio nullo paratam: de quâ separatim meminit *Galenus lib. 2. de Compost. Medicament. secundum genera cap.* 20. de viridi Emplastro *Andromachi* differens his verbis: liquida tamen diutius perdurat sicuti Colophonia, Thus redolens, quæ nonnullis sola vocatur Colophonia, odoratu suavitatem quandam referens, sicut abietina, & colore mediocri prædita: illam dico intelligendam esse, vel quæ sponte ex liquoribus pinguissimis pini piceæque congregatur alba, quæ à *Dioscoride lib. 1. cap.* 78. Pix liquida dicitur, probatúrque splendens, sincera, levis: quibus verbis subscribit *Præpositus lib. 2. cap. 9. sui dispensarii*, ubi de Medicinis agit Analogis, his verbis. Pix quando simpliciter ponitur in unguentis maturativis & mundificativis, debet poni Pix liquida, & in Unguentis Cicatrizativis pix sicca (ut etiam testatur *Galenus* 8. *Simplicium cap.* 50. ubi de Pice) quæ est Colophonia cocta sive frixa: ut placet *Galeno libr. 3. de Compos. Medicamentorum secundum genera*, ubi de Medicamentis nervorum agit: qui de Colophonia cocta, sive frixa inter siccas resinas peculiariter scripsit, sic inquiens: omnium verò siccissima est, quam nonnnulli frixam, alii Colophoniam vocant. Præterea non est ignorandum, resinarum esse tres species, quæ è Pino proveniunt, inter se differentes: quarum duæ è caudice manant, tertia verò è nucibus, quas *Græci* τρύπλους vocant. E caudice manantium,

Pix simpliciter apud Præpositum, quid.

Picis liquidæ electio.

Pineæ Resinæ tres species.

nantium, una quidem est præstantissima, liquida, mollis, albáque, arboris ramentorum, foliorum omnísque immunditiei expers, & (ut *Galenus* inquit) Thuris redolens, & ubique sincera, Colophonia propriè appellæta: ac ea est de qua inter liquidas meminit *Dioscorides*. Altera quam *Galenus* appellat Pityinon phy sema sordida est & retorrida. Quid autem sit Pix liquida miror ipsum *Præpositum* non explicare, cùm sæpissimè in suis confectionibus de Pice liquida mentionem faciat. Quare equidem censerem in hoc Emplastro (cùm quid sit Pix liquida *Præpositi* maximè apud me incertum sit) ejus loco resinam Pini (quod nos Gummi appellamus) accipiendam esse, cùm ipsa accommoda sit maximè ad maturandum quod præcipuè in hoc Emplastro requiritur. Demum autem sint Pharmacopœi soliciti Resinam & Picem lavare in hoc, antequam aggrediantur: minimè enim, nisi prius laventur in hac compositione ingredi debent, & præcipuè in Emplastris, quæ glutinant & solidant, propter illarum acrimoniam & mordacitatem. Quamvis *Galenus* in libris secundum genera dum compositiones Emplastrorum & unguentorum describit, facientium ad ulcera, & vulnera cujuscunque speciei, néque Picis, néque Resinæ, ablutionis meminit, hæc de Pice. Picis autem genera monstrat *Theophrastus, lib. 9. cap. 2. Plinius lib. 14. cap. 20. & lib. 16. cap. 12. ac sequenti. Columella lib. 12. capitibus* 22. 23, 24.

Picis liquidæ succedaneum in hoc Emplastro.

Vires à Medicis Dictatæ.

Mundificat & maturat apostemata.

CAP. IX.

Emplastrum divinum *Præpositi* ex 6. particula secundi libri, Usuale.

Verus Textus *Præpositi.*

℞. Galbani, unc. 1. drach. 2.

Ammoniaci, unc. 3. drach. 3.

Opopanacis, unc. 1.

[a] Lithargyrii, libr. 1. semis.

[b] Ceræ novæ, unc. 8.

Olei Olivarum, libr. 1. sem.

Olibani, unc. 1. drach. 1.

Myrrhæ, unc. 1. drach. 2.

Viridis æris, unc. 1.

Bdellii, unc. 2.

Aristolochiæ longæ, unc. 1.

Mastiches, unc. 1.

Aymentis, unc. 4.

Misce omnia, ut decet.

[a] *Lithargyrium Aureum sumse*

[b] *Ceram Citrinam accipe.*

SCHOLIA.

SCHOLIA.

TRactetur Lithargyrus optimè levigatus, & agitetur unà cum oleo olivarum spatio 12. horarum, ut nutriatur, coquatúrque lento igne spatula lignea semper ducendo ad mellis spissitudinem: deinde ceram minutim incisam ut liquescat immitte: ea liquata, & ab igne deposita, galbanum à sordibus, & paleis mundatum, in aceto fortissimo ad penetrationem, & concoctionem (quia tale Emplastrum adhibetur ad resolvenda apostemata frigida, & mollificandas durities) quantitate sufficienti calidè imbues, vel nutries, ut placidè solvantur: pariter ammoniacum, opopanacem, separatim, & calidè ut galbanum: quæ imbuta, soluta, ac ad humidi non radicalis consumptionem, lentóque igne cocta, per se singula colentur, ac ponderentur seorsim, & cum Terebinthina optimè incorporentur: denique in Lithargyrium, prius paratum modicéque calidum injicies: his commixtis arida simplicia, singulari opera collecta, & tenuissimè singula separatim levigata, cribrata, ac ponderata, ordine medicamento ita parato immiscebis, ut magnetem ductum super porphyrio molulâ ex porphyrio, pauco aceto, vel vino aspersо, ne pulvisculus evolet, & ut melius ducatur: paulò post ariстolochiam, postea olibanum, Mirrham, Bdellium si siccum sit: si verò molle, infundatur ut Galbanum & consimilia: ultimò Mastichen injicies, denique viride æris: hac enim methodo Emplastrum artificiosè confectum habebis. Sunt qui viride æris, postquam Lithargyrus coctus est, injiciunt, rursúsque coquunt ut rubedinem acquirat Emplastrum.

Per quantitatem sufficientem intellige duplum vel triplum.

Galbani
Ammoniaci
Opopanacis.] *Quonam pacto imbuatur ac solvatur galbanum*, ac cætera alia gummi genera, quæ dissolvi possunt apertè docuimus initio hujusce capituli: hâcq; methodo alia gummi genera, Galbano similia, solvuntur & præparantur: ut Ammoniacum, Opopanax, Sagapenum, Assa fœtida, Bdellium si molle sit, & similia quæ pulverisari nequeunt. Et hæc omnium Gummi generum est vera solutio ac præparatio: fitque in omnibus medicamentis quæ per os sumuntur, vel quæ exteriùs admoventur: nisi forsan author denotet, quo humore macerari & dissolvi debeant. Et quamvis hæc sit tanquam regula generalis, apúdque omnes Unguentarios universalis: scilicet, ut hæc gummi genera dissolvantur in aceto aut vino: tamen suaderem illi, qui aliquam compositionem aggreditur, primùm ut exactè perpendat, ad quos affectus compositio seu medicamentum adaptetur, ut in liquoribus propriis *illa gummi genera dissolvat.*

Olei olivarum.] Antiquum oleum propter scopum Emplastri facti ad resolvendos *humores frigidos*, nam quo vetustius est oleum, eò majorem vim habet digerendi: & sunt addendæ adhuc unc. 9. pro quantitate Lithargyrii, nam est regula generalis, pro quacunque libra lithargyrii ponitur olei lib. 1. sem. & id fit ne lithargyrus propter nimiam vel parvam olei quantitatem decoquando uratur.

Quorundam lapsus.

Viride æris.] Id *Græcis* dicitur ἰὸς χυσὸς *Arabibus* Ziniar, *Latinis* Viride æris, vel ærugo rasilis. Plerique tamen florem æris, & æruginem, sine aliquo discrimine ineptè usurpant, & frequenter unum alterius loco indifferenter sumunt. Flos æris autem fit, ut sæpissimè probavi, cùm æs in fornace liquatum, & in vas præparatum diffunditur, antequam planè concreverit, & frigidæ insperſione, dum adhuc calet, vapor elevatur, qui laminæ ferreæ, vel plumbeæ adhærens, quæ orificio vasis imponitur, facilè à frigore coalescit: & veterum & neotericorum verus est flos æris. Sed viride æris vel ærugo rasilis deraditur quidem ab æris laminib. impositis vasis, in quibus concrevit, vaporibus aceti fortissimi, & vinaceorum non recentium & acescentium. Materia ergo unde flos æris fit, est æs liquatum unde vapor excitatur. Materia autem æruginis est acetum acerrimum & vinacea acescentia. Quin & color manifestè discrimen arguit. Optimus enim flos æris est friabilis, attritu flavescens, brevis, ponderosus, modicè splendens. Ærugo quia colore est viridis, æs viride nuncupatur. Quod si quis aliter existimet, verendum est, ne à *Pessulanis* mulieribus ridiculus habeatur?

Flos æris verus quid.

Viride æris aut ærugo rasilis quid.

Flos æris materia.

Ærugines materia.

Flos æris electio.

Ærugo.

beatur: quas in eo conficiendo ſedulas, & maxima induſtria utentes vidimus: ibíque experti ſumus, cum abraderetur, acre quiddam inde repentè nares ferire, propéque ſternutamenta excitare. Quæ diximus, an vera ſint, poteſtis apud *Dioſcoridem* legere, *lib.* 5. *cap.* 48. & 51. qui prædicta narrat. Præterea notandum erit, duo æruginis eſſe genera. Una quippè eſt nativa, ceu Foſſilis: quæ in metallis *Cypriis*, lapidibus nonnihil æris habentibus quibus ærugo effloreſcat, gignitur. Hæc quidem pauca, vera & optima eſt. Altera factitia, quæ triplex eſt: ſcilicet raſilis, quæ fit ut ſuprà diximus: ſecunda vermicularis, ceu ſcolecia quæ iterum duplex. Foſſilis, & factitia. Foſſilis, quæ optima & per ſe raſa ab lapide ærario eſt: de qua conſule *Plinium lib.* 34. *cap.* 12. Factitia & tertia, quæ fit ex puerorum urina, cum mortario & piſtillo *Cypri* æris, qua aurifices ad conglutinandum aurum utuntur: eſtque chryſocolla, ut vult *Plinius*, *lib.* 33. *cap.* 5. & hanc ſub nomine chryſocollæ complectitur. De quibus generibus lege *Dioſcorid. lib.* 5. *cap.* 52. & quomodo conficiantur: lege *Plinium lib.* & *cap. prius citato.* Præſtat autem ærugo foſſilis, ceu nativa, ſi inveniatur: cujus defectu primum genus factitiæ raſilis ſumitur, quæ à recentioribus falsò flos æris dicitur: & pro illo uſurpatur.

Ærugínis duo genera.

Viride æris verum quid.

Æruginis factitiæ tria genera.

Ærugo ſcolecia duplex.

Chryſocolla.

Æruginis veræ loco quid.

Aymentis.] Vide an ſit legendum pro ſagimine vitri quod aymentum dulce nonnulli vocant, vel pro magnete, cùm videtur ſagimen vitri potius accommodatum quam magnes, niſi magnetis pulverem commiſcere velit author ad ſpicula extrahenda è vulneribus. Eſt autem magnes ſecundum *Dioſcorid. cap.* 105. *lib.* 5. lapis optimus qui ferrum facilè trahit, colore ad cæruleum vergente, denſus, nec admodum gravis. *Plinius cap.* 6. *lib.* 36. vult Sideritim eum dici, quia ferrum attrahit, quod *Græcis* ſideros appellatur: & *Heraclium*, vel ab *Hercule*, vel *Heraclea* civitate. Magnetem verò nuncupari aiunt ab inventore *Magno*. Quidam paſtor cum armenta in *Ida* monte paſceret, videretque baculum cuſpide ferrata munitum, quo humum tetigerat, avelli non poſſe, & hærere ſolo ſibi crepidas cerneret, quas ferreis claviculis compactas gerebat, rei novitate commotus, ſubeſſe lapides offendit, qui ferrum retinerent. Auctor *Nicander*, *Plinius & Anthonius Lodoicus* medicus *Oliſipponenſis lib.* 2. de occultis proprietatibus, *cap.* 1. ubi de magnete. Magnetis natura eſt, ut una parte ſeptentrionalem verſus dirigatur: eáque parte maximè ferrum attrahit: altera verò in partem auſtralem, ceu meridionalem aſpicit, ferrúmque abigit, & reſpuit. Unde manifeſtus error *Plinii* arguitur, qui in *Æthiopia* Theamedem lapidem reperiri, qui ferrum abigit, & reſpuit, cùm ſit magnetis altera pars, quæ verſus meridiem vergit, ut probe notavit *Remundus Lulius* opuſculo de magnete, & Rota perpetui motus: quod opuſculum, nondum in lucem editum eſt, ſed in manibus noſtris ſervatur. Quinque genera magnetum conſtituit *Plinius*, *Æthiopicum:* magneſiacum: tertium, in *Echio Bœotiæ:* quartum circa *Alexandrinam Troadem:* quintum, in *Magneſia Aſiæ.* Differentia prima, an ſit mas, vel fœmina, proxima in colore. Magnetis tria genera facit *Cardanus lib.* 7. qui inſcribitur de lapidibus. Primum ferrugineum appellat, quod parte quæ ſeptentrionalem aſpicit, ferrum attrahat: altera quæ ad meridiem ſpectat, ferrum expellit. Iſque verus eſt noſter magnes. Secundum creagineum quaſi carnem ducens: experimento eſt, quod labiis hæret. Aliud non abſimile à ſecundo, quo ſolo ſine acie vel gladio, citra aliquem ſenſum, quaſvis corporis parteis penetrare poſſis, ſtatímque vulnus concinnare, nec aliquid ſanguinis effluet: quod ſe expertum teſtatur *Cardanus*, tum in ſeipſo, tum in familiaribus. Antipathiam cum allio in magnete admirari licet, qui ſi allio ungatur, ferrum minimè attrahit: vires tamen recipit, ſi hircino ſanguine tingatur. Quod ſi plura expectas, lege *Serap. lib. aggregat. capit. Agerabuantes ſive Almagritos:* ubi reddit rationem, quare naves incolarum hujus loci ſint ligneis, non autem ferreis claviculis compactæ, propter magnetis frequentiam. *Garcias ab orta* proregis *Indiæ* medicus *lib.* de Aromatum & ſimplicium medicamentorum aliquot apud *Indos* naſcentium hiſtoria ait fabuloſum eſſe, naves quæ *Calicut* commeant, clavis ferreis non compingi, ob ſcopulorum è magnete frequentiam, à quo ſcilicet attraherentur, & raperentur, ſi ferreis clavis fabricatæ eſſent: dicitque plures reperiri naves, clavis confixas ferreis, quam ligneis. Verum quidem in *Maldivis* inſulis naves ligneis clavis eſſe extructas: id autem ob ferri penuriam potius, fieri putat, quam quod à magnete ſibi metuant. Hæc de magnete.

Magnes ſecundum Dioſcoridem *quid.*

Magnes ſecundum Plinium *unde nomen ſumpſit.*

Magnes ſecundum Nicandrum *&* Anthonium Lodoicum Oliſipponenſem *medicum unde.*

Æthiopia.

Magnetis genera ſecundum Plinium.

Magnetis tria genera ſecundum Cardanum.

Vires

Vires à Medicis Probatæ.

Mollificat durities & resolvit ea quæ sunt resolvenda: & est apostematibus frigidis aptum.

CAP. X.

Emplastrum Ceroma, ceu Ceroneum, *Nicolai Alexandrini*, capit. 286. Usuale.

Textus verus *Alexandrini.*

[a] *Picem navalem nonnulli volunt, qua navium fabricatores naves suas recenter fabricatas illinunt. Puto tamen eam esse sumendam quæ ex navibus vetustis, deraditur jam permixta marinæ aquæ: ex qua medicamentosam vim & astrictoriam contraxit, ut scopo & intentioni magis sit conveniens.*

[b] *Ceram sume Citrinam non lotam, ut quæ vim habeat concoquendi mediocriter, resolvendi, medicamentosáque sit magis quàm lota.*

[c] *Thus Masculum est accipiendum.*

[d] *Opopanax, & Galbanum omissa fuerunt in numeratione simplicium à Bibliopola.*

[e] *Per confitam intellige fæcem Styracis liquidam, quæ est Thus Judæorum, quod etiam plurimi cozumbrum, cancanum & Thymiama appellant.*

℞. [a] Picis.

[b] Ceræ, an. drach. 7.

Sagapeni, drach. 6.

Ammoniaci,

Terebinthinæ,

Colophoniæ,

Croci, an. drach. 4.

Aloes,

[c] Thuris,

Myrrhæ, an. drach. 3.

Styracis calamit.

Mastiches,

[d] Opopanacis,

Galbani,

Aluminis,

Fœnugræci, an. drach. 2.

[e] Confitæ,

Bdellii, an. drach. 1.

Lythargyrii, drach. sem.

Confice sic Lithargyrium, in subtilissimum pulverem redactum cum Oleo sufficienter decoque: deinde Picem adde: qua liquefacta ceram adde, post cujus liquationem gummi colata, nempe, Ammoniacum, Terebin-

Terebinthinam, Sagapenum, Opopanacem, Galbanum, Confitam, & Styracem calamitem injice, & ſpatula bene commiſce: deinde Colophoniæ, Maſtiches, Olibani, & Bdellii, pulverem: ſic Aluminis Myrrhæ, Fœnugreci pulverem immitte, & Spatula optime commiſce. Cave autem ne ſupradictæ ſpecies continuatim, ſed quodam intervallo competenti immittantur: cum autem coctum fuerit, in aquam infunde, & inde Magdaleones factas uſui reſerva.

SCHOLIA.

HÆc verò methodus deſcripta ab *Alexandrino* non tam videtur artificioſa, facilis, & uſu probata quam quæ ſequitur. Ceram in fruſtula conciſam, ut liqueſcat, igni levi appone: qua liquata mox Picem colatam, & Colophoniam confractam injice, movendo Spatula lignea, & cùm Cera ab igne depoſita fuerit Gummi quæ pulverizari nequeunt, ut Sagapenum, Ammoniacum, Galbanum, & Bdellium (ſi molle ſit, ſi verò aridum, aut ſiccum, ponatur poſt Myrrham) in Vino vel Aceto fortiſſimo per ſe imbuta & ſoluta, & ſeparatim cocta, (ut in præcedenti capite docuimus) cum Terebinthina, Confita, & Styrace incorporentur: quæ incorporata, cum præcedentibus liquatis ac modicè calidis commiſce, deſuper cum omnino tepuerit, cætera ſimplicia optimè & ſeorſim levigata, trita, ac cribrata, ut Lithargyrium (vult *Alexandrinus* illam prius cum Oleo coqui) Fœnugrecum, Alumen, Myrrham, Olibanum, Maſtichen, Aloen, inſperge, ac cum Spatula lignea velociter agitando conjunge. Paulo poſt Crocum juxta artem levigatum exactiſſime dicta Spatula tractando commiſce. Quibus omnibus diligenter commixtis ſuper marmore manibus Oleo Laurino perunctis Magdaleones formentur. In hoc Emplaſtro conficiendo maximè cavendum eſt, ne predicti pulveres aridorum in Emplaſtro calido adhibeantur ne in grumoa abeant. Cæterum *Alexandrinus* ſimpliciter & ſine ulla additione, ſcribit Picem. Pix autem hoc in loco navalis ſumi debet, aut ejus loco noſtra nigra factitia. Quamvis in *capite* 8. monuerimus, cum reperietur ſcriptum Picis ſimpliciter, & ſine ulla additione, liquidam eſſe intelligendam. Verum cum hoc diximus, ſolũ eam in compoſitionibus *Præpoſiti* uſurpandam intelligas, & præcipuè in Emplaſtris & Unguentis, quæ ad maturandum & mundificandum valent. Proinde admonitos Pharmacopœos cupio, *Præpoſitum* hoc Emplaſtrum præſcribere & in ſimplicibus cum *Alexandrino* convenire, in ponderibus vero minimè ut ſupputavit: hæc *Alexandrini* deſciptio pondere ſimplici conſtat: *Præpoſitus* pondus triplicat, in quibuſdam tamen parum. Præterea in methodo conficiendi *Alexandrinus* de Croco nullam mentionem facit, quamvis in ſua deſcriptione ſcripſerit: Quare qui hanc compoſitionem aggredi volet, non ſecundum *Alexandrini* modum componat, ſed ſecundum noſtrum à nobis deſcriptum.

Vires ab *Alexandrino* notatæ.

Optimum adſcapularum dolorem & pectoris. Confert Hepatis & ſplenis phlegmonis. Anaſarcida, Aſciten, & Timpanitidem curat: dolorem Ilii, & Tormina inteſtinorum placat: renum, & veſicæ diſtemperantias lumborum, pectoris ſæpius ſuperimpoſitum emendat: inflammationibus & doloribus matricis ſubvenit: Arthriticis, Iſchiadicis, & podagricis medetur. Typice febrientibus, ſtomacho inductum ſubvenit, & morſibus rabioſi canis, & ſerpentium ictibus appoſitum auxiliatur.

CAP.

CAP. XI.

Emplastrum Oxycroceum *Myrepsi* : sect. 10. de Emplastris num. 14. Usuale.

Myrepsi textus verus.

℞. Croci.

[a] Zopissæ.

Colophoniæ.

[b] Ceræ Singul. unc. 2.

Terebinthinæ.

Galbani.

Ammoniaci.

Thuris.

Myrrhæ.

Mastiches Singul. unc. sem. drach. 1. sem.

Galbanum & Ammoniacum, aliquantulum contusa conjice in modicum acetum per totam noctem, & [c] fervefacta per saccum ex tenui linteo factũ colato, coquantur iterum donec pars aceti consumatur. Dein dissolutam zopissam & colatã injicito, adjecta cera: ac dissolvens omnia simul adjice colophoniam: & deinceps Terebinthinam: post Mastichen, Myrrham & Thus: deinde funde super Marmor, & croco in pulverem trito insperso ipsum subigito.

[a] *Zopissa, est resina secundum* Myrepsum *sect. 3. de Unguentis nume. 52. cum manibus derasa à vetustissimis navibus, quam plurimi apochyma, vel hypochyma appellant; hodie tamen ejus loco picem nostram factitiam usurpamus, sed ut verum fatear, in hac compositione navalem illam supra dictam intelligere oportet.*

[b] *Ceram citrinam non lotam accipe.*

[c] *Eliquata legendum.*

SCHOLIA.

IN vas aliquod ceram divisam ad liquandum injectam levi igni appones, qua liquata Zopissam, à sordibus purgatam, & colatam unà cum Colophonia pariter ut liquescant immittes: quibus liquatis ab igneque amotis, & parum refrigeratis, Galbanum & Ammoniacum arte, seorsimque dissoluta, & ad humidi consumptionem cocta (hoc est ut absumatur humidum à vino vel ab aceto contractum, non autem naturale humidum, ita ut ariditatem immodicam assequantur) & cum Terebinthina incorporata, præcedentibus immiscebis: quibus commixtis Thus, Mastichen & Myrrham, separatim tenuissimeque pulverisata desuper cautè insperges, Ultimò verò crocum quàm tenuissimè pulverisatum assiduè movendo spatula lignea, conjunges, ac subiges. Tunc cum omnis materia in unum conjuncta & probè subacta fuerit manibus, oleo quod nervos confortat, unctis magdaleones efformabis.

Vires à *Myrepso* descriptæ.

Ad contusa ossa, nervos, ac dolores, & ad omnem contusum locum confert.

CAP. XII.

Emplastrum de Ceruſa *Præpositi* ex 20. particula secundi libri, ubi agitur de Unguentis: & appellat illud Unguentum de Ceruſa coctum. Usuale.

Vera *Præpositi* descriptio.

[a] *Legendum (ut expertus sum) unc. 6. vel 9. si magis album vis conficere.*

℞.[a] Olei communis lib. 2.
Ceruſæ Subtiliſſ. lib. 1.

Coquantur lento igne, donec sit coctum. Et sunt Aromatarii maximè in *Gallia*, qui faciunt præsens Unguentum ad modum Emplastri: & vocatur Emplastrum de Ceruſa.

SCHOLIA.

CONfice sic: Ceruſa super Porphyrium ducta & cribrata, in lebete satis amplo, spatula lignea assiduè agitando diu nutriatur unà cum oleo, deinde igne lento & brevi coquantur, videlicet claro aëre & radiante sole, quousque à tumore subsideat, nec manibus adhæreat, ceu donec marmori, vel frigidissimæ aquæ infusa portiuncula idoneam habere consistentiam videatur. Tunc refrigerare permittes, & Magdaleones nive albidiores ad usum efficies.

Tamen aiunt nonnulli ut Emplasticum fiat, nec manus coinquinet, coqui debere diutius: itaque secundum eos non videtur esse dosis olei exuperans. Nam plurimum olei coquendo absumitur: sed quia decoctione nigrescere potest Emplastrum, illorum secretum est ad albedinem servandam, cum decenti coctione, & eadem dosi olei, miscere nonnihil Ceruſæ dilutæ, vel aliquid ceræ albæ circa finem coctionis. Revera dummodò proportio olei & Ceruſæ à nobis præscripta apponatur, & lento igne coquatur, facilè sine Ceræ & Ceruſæ additione (ut sæpissimè expertus sum) potest confici: albúmque maxime redditur: si verò plus olei, quàm par sit addatur. tunc coctio longa erit: longa autem coctione nigrescet, nisi aliquid Ceræ vel Ceruſæ commisceatur. Meminit Emplastri de Ceruſa *Galenus lib. 1. secundum genera cap. 14.* quod ex Ceruſa, Lithargyrio & Resina fit, oleo Omphacino, & Cera.

Olei communis.] In hoc magis convenit oleum Rosatum, factum ex Olivis & Rosis immaturis ponere, quam commune, quia frigidius communi: tum quia Emplastrum videtur prodesse malis complexionibus calidis factis à caliditate solis, vel quavis ratione, & etiam fricationi, ceu excoriationi cum calefactione mala. Ut igitur his morbis potentissimè conferat, oleum Rosatum immaturum loco communis accipiamus: videlicet *Mesuæ* descriptionis, vel *Præpositi*.

Ceruſæ albæ.] Omnis Ceruſa, antequam Emplastra, Unguenta, Collyria, & hujusmodi compositiones ingrediatur, debet ablui, ut mediocriter desiccet, & astringat sine aliqua mordicatione, in liquore proprio. Ejúsque lotio talis est. Accipe Ceruſæ albæ plumbariæ friabilis, & quæ fit *Rhodi*, & *Corinthi*, vel in *Puteolis Italicæ* regionis, quæ *Gallis* (*ceruſe de venize*) dicitur, quantitatem sufficientem, eam friando in aqua communi, vel Rosacea, vel secundum affectum cui inservire debet: sed in hoc præstat aqua Rosacea, tum propter frigiditatem, tum propter gratiam odoris: in mortario marmoreo pistillo ligneo diutissimè tere: deinde aquam paulatim effunde, aliquot horis

Ceruſæ electio & lotio.

horis fricando, ac agitando: agitatam quiescere permitte. Ubi in fundo mortarii Cerusa quieverit, & sedata omnino fuerit, abjiciatur aqua: rursúsque aliam aquam novam immitte, ut prius agendo: sæpéque id factitabis, abjiciendo aquam & aliam innovando, quoúsque aqua ultima injecta agitatáque cum prædicta Cerusa, nitida, clara, omnísque sordis expers appareat, quam ejicies. Tum Cerusam paulatim super porphyrio cum molula accuratissimè levigabis, & levigatam desiccabis: iterúmque postquam siccata fuerit, in eodem mortario rursus teres, de qua trita pastillos cum aqua rosacea finges. Alii cum Aceto acri pastillos formant, & in sole siccant. Hactenus de Cerusa: de illius autem confectura lege *Dioscoridem lib.* 5. *cap.* 63. vel *Mesuen in lib. Servit.* Quid sit lege *infra in* 2. *Sect. cap.* 1.

Vires ex *Mesue* desumptæ.

Malis complexionibus calidis factis à caliditate solis convenit, frication, ceu excoriationi cum calefactione mala valet.

CAP. XIII.

Emplastrum Triapharmacum *Mesuæ* ex Distinctione 11. de Unguentis & Emplastris, Usuale.

Vera *Mesuæ* descriptio.

[a] *Lithargyrium Aureum vel Argenteum si sumas nihil interest: tamen Aureum præstat.*

℞. [a] Lithargyrii triti sicut Alcooch. Par. 1.

Aceti vini fortissimi, Par. 1.

[b] *Olei* lib. 1. *sem. legendum pro quantitate Lithargyrii, ut expertus sum.*

[b] Olei antiqui, Par. 2.

Coquantur cum facilitate usquedum fiat ejus spissitudo, & administretur.

SCHOLIA.

FLectum, præparatum & elaboratum (ut in præcedentibus Emplastris docuimus) accipiatur Lithargyrium, unà cum Oleo spatio 12. horarum nutriatur, lentóque igne semper spatula lignea movendo coquatur, donec crassescat: quo cocto statim aceti mediam partem paulatim affundendo in id injicies, videlicet extra ignem ne (ut superius docuimus) recentium rerum contactu exundet. Rursúsque igni Lithargyrium appones, & ad Aceti consumptionem concoques: quo consumpto, alteram partem Aceti, quæ restat, eodem modo injicies paulatim Lithargyrio ab igne remoto. Deinde ad decentem concoctionem percoques, videlicet ad Electuarii solidi formam, vel quoúsque fundo vasis non adhæreat, & digitos tractando non coinquinet, quod sanè perfectæ coctionis signum est: coctum autem & in hunc modum paratum ad usum repones. Unum hic ab omnibus diligenter notandum venit, Lithargyrium, nempe, quod hoc Emplastrum ingreditur, debere aqua Rosacea lavari sine aliquo dubio, & loco veteris Olei, rosaceum immaturum sumendum, quia pares vires, & facultates sortitur, ut Emplastrum de Cerusa. Cùm itaque hæc duo pares habeant effectus, & unum alterius loco sumatur, non erit alienum in hoc simplicia præparare, quemadmodum in Emplastro de Cerusa paravimus. *Christophorus de honestis* in expositione hujus Emplastri eadem *Distinctione* 11. sic inquit. Emplastrum de Cerusa quibuscúnque malis complexionibus calidis factis à caliditate solis, &c. convenit. Pariter istud Tripharmacum confert ulceribus quibus conjungitur mala

complexio calida, &c. Quare si hoc Emplastrum omnibus dispositionibus confert, quibus unguentum de Ceruſa coctum, etsi etiam in eo lavetur Ceruſa in aqua Rosacea, & loco Olei communis Oleum Rosatum immaturum sumatur, cur in isto Lithargyrium eodem & simili modo non parabitur? cur etiam Oleum antiquum in Rosaceum immaturum non transmutabitur? Præterea notandum apud *Galenum cap. 3. lib. 1. secundum genera*, hujusce Emplastri varias esse conficiendi formas pro intentione varia, & scopi differentia. Interdum cum veteri & communi Oleo: interdum Oleo communi & Aceto, ad duplam Lithargyrii portionem: variat etiam apud eundem concoctionis modus, & quantitas. Ex iisdem materialibus crudis fit unguentum quod nutritum Chirurgi vocant, ad inflammationes & erysipelata commodum.

Vires ex *Mesue* desumptæ.

Easdem vires habet quas Emplastrum de Ceruſa, facitque carnem nasci in vulneribus consolidans ea.

CAP. XIIII.

Emplastrum palmeum ceu Diachalciteos *Mesuæ* ex Distinctione 11. de Unguentis, & Emplastris, Usuale.

Verus *Mesuæ* Textus.

[a] *Oleum commune, ceu olivarum insulsum vetũsque accipe.*	Rx. [a] Olei veteris, lib. 3.
[b] *Axungiam suillam non salitam, sed vetustissimam dixit Author ad differentiam pinguedinis. Differunt autem pinguedo & axungia: nam pinguedo dicitur (sain doux) axungia vero (vieil oing) nuncupatur, ut* Galen. *placet* lib. 1. secundum genera.	[b] Axungiæ veteris sine sale lib. 2.
[c] *Lithargyrium aureum sume.*	[c] Lithargyrii triti sicut Alcooch, libr. 3.
[d] *Vitriolum* Romanum, *ceu album accipe.*	[d] Vitrioli unc. 4.

Conficiatur sic. Oleum & Axungia mittantur in stagnato supra ignem, & liquefiat. Deinde addatur Lithargyrium & Vitriolum, & ducantur continuè cum tribus ramis palmæ, & accipe unum ramum palmarum minutim incisum, & intromittatur, & tandiu bulliat super ignem lentum factum de lignis siccis, donec inflammetur, & redeat ad suum statum, & inspissetur, & densitatem habeat.

SCHOLIA.

IN lebete amplo Lithargyrium præparatum & Oleum, horarum 12. spatio, ut simul nutriantur, impones. Postea igne lento, & levi, ne nigrescat aut uratur, ad crassitiem concoques. Tum pinguedinem injicies perpetuò & sine mora, spatula palmea, aut phœnicea eadem die abscissa, quò Pharmacum conficiatur, alioquì priùs excisa succum amittit, vel illius loco radice cannæ, vel saligno ramo, vel quercino, vel mespillino, aut ejus arboris ramulo quæ astringendi vim immodicam habeat. Quibus ad perfectam concoctionem decoctis, ab igneque depositis, & parum refrigeratis Vitriolum Romanum, ceu album pulverizatum, ut liquescat, injicies: quo liquato & omnibus refrigeratis magdaleones finge.

Alii liquore convenienti Vitriolum dissolvunt, & in Lithargyrio cocto & extra

ignem

ignem admota paulatim affundunt, & ut Mucagines coquunt: deinde ab igne deponunt, & eo tepefacto Magdaleones ad usum constituunt. Animadvertendum erit inter coquendum, ut humiditas naturalis spatulæ in Lithargyrio remaneat & omnino cum eo consumatur. Itaque dum diutius coquetur Lithargyrium videbísque extremitatem spatulæ deficcari, illa pars sicca præscindi debet ad humidum usque, ut nova spatula movendo novus succus reddatur in Lithargyrio, idque sæpius repetendum erit, donec multis ejectis taleolis spatula pro brevitate inutilis derelinquatur, & succum humorémque spatulæ sæpius renovatæ Lithargyrium retineat. Permulti istud medicamentum componunt, scilicet ex Lithargyrii lib. 3. Olei veteris & axungiæ porcinæ æquis partibus, Vitrioli unc. 4. Alii verò sine oleo Lithargyrium æqua cum porci axungia portione, & Vitrioli unc. 4. perficiunt. Verùm (ut quod verissimum est notum sit) prima descriptio cæteris omnibus antecellit (sive à *Mesue*, sive à *Galeno* sit literis tradita) & in officinis magis est usitata, quia certa videtur proportio olei & axungiæ ad nutriendum, & coquendum Lithargyrium, ut experti sumus.

Vitrioli.] Quid de eo apud probatos authores cùm antiquos, tum recentiores, legerimus, qua poterimus facilitate explicabimus.

Vitriolum & Atramentum sutorium idem.

Vitriolum nihil aliud est quàm attramentum sutorium. Dicitur autem atramentum sutorium ipsum vitriolum quòd olim eo coria sua tingebant sutores & alii opifices qui corio utuntur: sed quia acre est, & facilè corrodit calceamenta: à sutoribus atramentum aliud excogitatum est, quo coria tingunt, nempe ex ferro. Sed apud veteres, atramentum sutorium intelligere debemus, Vitriolum metallicum: illud scilicet, quod nihil aliud est quàm aqua congelata, & assumpta natura æris, diversam habens naturam lapidis cui adhæret. *Plinius lib.* 34. *cap.* 12. Chalcantum, id est, Vitriolum, & atramentum sutorium dividit in nativum ceu fossile, & factitium. Nativum triplex est, unum quod fit scobe cavato: secundum quod fit in saxorum catinis: tertium quod fit salis modo, flagrantissimo sole admissis dulcibus aquis cogente. Et est factitium, quod in *Hispania* ex puteis stagnísve fit, habentibus id genus aquæ: hæc *Plinius. Serapius capite de Zed.* sic ait. Vidi in mineris tres venas extensas, unam super aliam per longum spatium, & vena inferior erat Zed nigrum, id est, Marchasita, vel Pyrites: quòd si in aceto dissolvitur, in nigrum colorem vergit. & ab *Avicenna lib.* 2. *cap. de Atramento*, vocatur Atramentum album, quia non dissolutum videtur albi coloris. Et secunda quæ erat supra eam, colcotar dicitur, id est, Chalcitis. Et terra quæ superior est, Zed viride, id est, Vitriolum vel Chalcantum, dicitque has tres species ad invicem diversificari, in subtilitate, & grossitudine, quoniam ex his fit grossius Zed nigrum: Colcotar, seu Chalcitis, inter hæc duo medium tenet. Hæc *Serapius.*

Vitriolum metallicum ceu atramentum sutorium quid?

Vitrioli ceu chalcanthi vel atramenti secundum Plinium divisio.

Atramentorum secundum Serapium divisio.

Atramentum album quid, secundum Avicennam?

Galenus lib. 9. *simpl. medicam.* una cum *Serapio* convenit, sicque his verbis differit. domus ingens cujus introitus erat ipsum metallum, in quo conspexi quasdam in longissimum porrectas veluti Zonas, alias super alias, num. tres. Infima erat ipsius Soreos, super quam erat altera Chalciteos, suprema Miseos. Et *lib.* 4. *de composit. medicam. per genera.* Misi, Sory, ut didicistis Chalcitidi genere cognata sunt, ex una, ut ita dicam, radice producta: tenuius tamen apparet Misi, crassius Sory. Chalcitis mediam utriúsque facultatem habet Igitur hi duo authores apertè ostendunt hæc tria sponte in visceribus terræ fieri ac inveniri, non autem ullo artificis ingenio. Nunc quid Sory, Chalcitis, & Misi dicamus.

Colcotar & chalcitis idem secundum Serapium.

Atramentorum secundum Galenum divisio.

Sory inquit *Dioscorides lib.* 5. *cap.* 78. veteres existimarunt Melanteriam esse aberrantes: siquidem sui generis est Sory ei non absimile: præfertque *Ægyptium*, quod frianti nigrius apparet, in multa dehiscens foramina, subpingue, astringens, & olfactu, devorationeque magnum virus olens, ita ut Stomachus in vomitiones effundatur, in humore non liquescit. Memini me vidisse Sory verum coloris ex nigro rubei, sed diluti exteriori superficie subluteum, & albicans, ut ferè appareat Chalcitidem prius extitisse, sapore acerbo, ut est Chalcitis vera, sed minus astringente & leviori quàm melanteriam & misi minusque friabile Chalcitide excepta.

Sory antiquorum quid?

Soreos electio.

Chalcitis secundum *Marcellum Virgilium lib.* 5. *cap.* 63. est lapis unde æs coquitur: nam hoc vocabulo generali multæ res significantur, ut una est lapis ærarius, id est, Marchasita seu Pyrites. Altera est significatio Chalcitidis, qua significat Chalcitin

Chalcitis secundum. M. Virgilium.

Chalcitidis nomen multa significat.

citin vel Trichitin, id est, Alumen capillare & ærarium, quòd in Pyritem concrescit, hinc aliquoties alumen Schiston dicitur. Ultima significatio Chalcitidis est species Chalcanti (id est flos quasi æris) Atramenti sutorii, seu Vitrioli: hæc verò Chalcitidis, species Chalcanthi. Duplex hæc, nativa & factitia. Nativa rursus est duplex, *Cypria* & *Babylonica*: de *Cypria* lege *Plinium lib.* 37. *cap.* 11. & *Dioscoridem lib.* 5. *cap.* 75. De *Babylonica* vide *Serapium cap. de Zed.* Factitia est quæ fit ex Chalcantho veteri, quod in filamenta transit, attestante *Galeno*, qui Chalcanthum paulatim in Chalcitin transire scribit. Probatur Chalcitis primi generis secundum *Dioscoridem eodem lib. & cap. citato.* Similis enim æris friabilis, nec lapidosa, nec inveterata intercursantibúsque oblongis venis splendentibusque promptissimè liquescit. Misi est gleba ex humore coagulato, substantia, sapore, & viribus, ut chalcitis. Nam ut prædiximus, Sory, Chalcitis, & Misy ex una radice quasi producuntur, & genere cognata sunt. Duo autem apud quosdam sunt genera. Unum nativum, quod sponte gignitur, & præcipuè in fodinis *Goslariæ* ærariis: alterum factitium, quod fit cùm Chalcanthum est mutatum in Chalcitin. *Plinius lib.* 34. *cap.* 12. fieri è lapide concretum natura discretúmque dicit, & optimum in officinis *Cypriorum*. Præstat nativum natione *Cyprium*, quod auri colorem imitatur, & stellæ modo splendet ægréq; liquescit, ut testatur *Dioscorides lib.* 5. *cap.* 76. Tandem Misy verum ut ego sum testis oculatus, est coloris lutei, sed subviridis, facilè friabile punctis luteis sublucentibus saporis chalcitidis veræ sed minùs acris.

Alumen capillare seu schiston vel plumæ est species chalcitidis.

Chalcitidis nativæ primi generis electio.

Misy quid.

Misy secundum quosdam duplex.

Misy factitium secundum Plinium *quid.*

Miseos secundum Dioscoridem *electio.*

Melanteria secundum *Sylvaticum*, est clavorum veterum ferreorum rasura. Alii dicunt esse fugiam de ferro. *Dioscor. l.* 5. *ca.* 77. triplicem facit originem. Unam quidem quæ in faucibus cuniculorum, quibus æs eruitur, salis modo concrescit. Alia verò in summa facie suprædictorum locorum coit, quæ terrena est. Quinetiam invenitur in *Sicilia* & aliis quibusdam regionibus Fossilis quædam. Laudatur secundum *Dioscorid.* quæ Sulphuris colorem trahit, levis, pura, æquabilis, & quæ contactu aquæ confestim nigrescit, tingiturque illa secundum diversas terras in quibus gignitur. Dicamus itaque Sory, Chalcitin, Mysi, & Melanteriam esse species chalcanthi: & per chalcanthum, intelligamus omnes species chalcanthi. Nam aquæ, quæ habent succum hujus vel illius speciei chalcanthi eundem ferme habent saporem eandémq; naturam, differuntque tantùm secundum magis & minùs. Immo tantum est consortium inter quatuor species chalcanthi, ut facilè ex una specie corrupta generetur altera. Præterea omnia hæc genera esse salis species dicemus, adeò ut cùm plures sint salis species & differentiæ, pariter etiam plures species chalcanthi ad invicem distinguuntur.

Melanteria secundum Sylvaticum *quid.*

Melanteria triplex secundum Dioscoridem.

Melant. electio.

Hactenus de Vitriolo & generibus ex veterum opinione: nunc de opinione recentium, quæ magis arridet, dicamus.

Vitrioli ex Neotericorum sententia consideratio.

Vitriolum, quod ut plurimùm ab antiquis Atramentum dicitur, nunc tripliciter consideratur. Etenim vitriolum simpliciter, aut Vitriolum *Romanum* nihil aliud est quam *Coppa rosa*. Vitriolum autem quod vocabant *Cyprium*, est propriè illud cœruleum quod nunc effoditur in *Germania*: quod quiddam de natura æris participat. Nam levi artificio ex illo æs extrahitur, ob id chalcanthum appellatur, Gallis *vitriol d' Alemaigne*. Atramentum autem nigrum nunc reperitur in *Liguria*. & est quodammodo ferrugineum, id est, naturam ferri sapiens, & ex illo ferrum per artificium mutatur in æs, quod nihil aliud est quam colcotar. Atramenta hęc omnia, ceu Vitriola, sunt quædam mediæ dispositionis inter alumina & sulphura, ex utrísque enim participant, sicuti alumina constituuntur inter Sales & Vitriola.

Vires à *Mesue* dictatæ.

Ad vulnera ubi est sanguis; & ad apostemata pestilentia, exituras, adustionem, compressionem & attractionem valet.

CAP.

CAP. XV.

Emplastrum contra rupturam, seu de pelle arietina *Præpositi* ex 6. Particula, lib. 2.

Vera *Præpositi* descriptio.

[a] *Picem illam navalem quam fabricatores navium ex vetustis navibus deradunt accipe, aut ejus loco illam qua calcearii in compingendis calceis utuntur.*

[b] *Lithargyrium Aureum sume.*

[c] *Ceram novam hoc loco intelligere licet recens expressam, quæ adhuc mellis odorem retinet, & sic flavescit, ut ad rubrum accedat. Dixit verò rubeam, ad differentiam albæ quæ Galeno libris secundum genera (ubi docet confect. Emplastrorum) Pontica dicitur, extremè alba & naturaliter talis.*

[d] *Aristolochiæ utriusque radices.*

[e] *Thus masculum quod nos Olibanum vocamus sume.*

[f] *Ysculi sunt terrestres vermes qui in vino austero lavari debent & elibano modicè calido desiccari, priùs tamen lotionibus pluribus in aqua lavari, ut à terra separentur.*

[g] *Gallas non perforatas virides & firmas intellige: eo quòd acerbiores sunt perforatis.*

[h] *Utriusque consolidæ radices accipe: hoc in loco* Præpositus *non determinat liquorem in quo debeat pellis arietina decoqui: vide infrà in nostra methodo.*

℞. [a] Picis navalis.

Aloes. an. unc. 3

[b] Lithargyrii.

[c] Ceræ rubeæ.

Colophoniæ,

Galbani,

Ammoniaci, an. unc. 2.

Viſci quercini, ℥ 6

Gipſi uſti,

[d] Vtriuſque Ariſtolochiæ, an. ℥ 4.

Myrrhæ,

[e] Thuris, an. unc. 6

Terebinthinæ, ℥ 2

[f] Yſculi,

[g] Gallarum,

[h] Utriuſque conſolidæ,

Boli Armeniæ, an. unc. 4.

Sanguinis humani, libr. 1.

Confice ſic: Primo ponatur viſcus quercinus, & dimittatur bullire in aqua decoctionis pellis arietinæ ſicut removetur ab ariete, quæ debet decoqui per diem & noctem, poſteà deponatur ab igne, & ponatur Terebinthina, Lithargyrium & Colophonia, poſteà Maſtiche & Thus, Yſculi, Myrrha, Galbanum, & Ammoniacum: paulopoſt conſolida major & minor, Gipſus, & Bolus Armena: Poſteà ſuper ignem ponatur, & im-

& imponatur ſanguis humanus, conſequenter Ariſtolochia longa, & rotunda, & ad ultimum Aloe, & ſemper agitari debet ſine intermiſſione fortiter cum ſpatula. Signum decoctionis eſt, quando digitis non adhæret: poſteà ponatur ſuper marmor unctum Oleo Violato & manibus malaxetur poſteà teratur iterum aſſiduè per duos, vel tres dies, deinde uſui reſerva.

SCHOLIA.

ANtequam methodum hujuſce Emplaſtri aggrediamur, notandum erit quantitatem Picis, Ceræ, & Colophoniæ, tum & Gummi diſſoluta, & cocta, Viſcum & Bitumen pellis, quæ omnia corpus Emplaſtri hujus faciunt, minimè ſufficere ad debitam Emplaſtri conſiſtentiam, & craſſitiem, quam ligationem appellamus, niſi pondus Ceræ & Terebinthinæ augeatur: vel ſi illorum pondus nolis augere, addenda eſt libr. 1. aut unc. 9. Olei convenientis effectui Emplaſtri: vel Olei loco poteris addere libr. ſeni. vel unc. 9. ad ſummum Unguenti Comitiſſæ, quod maximè mihi videtur ad hujus Emplaſtri naturam & proprietatem accidere. Quod ſi neque *pondus prædictorum augeamus, aut nihil* Olei, vel unguenti addamus, ſucceſſu temporis Emplaſtrum nullam conſiſtentiam, aut corpus habebit, ſed potius formam pulveris, ut multoties expertus ſum. Quare conſulerem ut hac ſequenti methodo componeretur, valde enim Emplaſtica & methodica eſt.

Integram arietis pellem, ſtatim ubi ipſa ab ariete divellitur, accipere convenit, eámque in minutiſſimas partes dividere, & in lib. circiter 100. aquæ pluvialis & aceti, diutiſſimè coquere, donec maneant tantum pili. Tunc totum decoctum calidum intorqueatur & exprimatur. Expreſſionis ipſius quantitas ſufficiens refrigerata in Gelatinæ, aut Bituminis modum condenſata (quod erit ſignum perfectæ coctionis, & diſſolutionis ad pulveres congregandos & incorporandos) accipiatur, in quo diſſolve Viſcum quercinum præparatum, quo diſſoluto totum igni levi appones, & ſtatim ceram minutim conciſam, ut liquefiat, conjicies: deinde picem fruſtulatim diviſam pariter, ut liquefiat impones. His omnibus liquatis, & ab igne depoſitis, & parum refrigeratis, libr. ſem. ad ſummum unc. 9. unguenti Comitiſſæ commiſcebis, ad ligationem. Paulo pòſt Galbanum, & Ammoniacum ſeorſim vino auſtero diſſolutum (vult *Guido* in aceto diſſolvi) & coctum, unà cum Terebinthina incorporatum, ſpatula tamen movendo, conjunges (modus autem ſolutionis, ac coctionis, ſatis à nobis hac *Sect. Cap. 9.* explicatus fuit) deſuper ſimplicia arida ſeparatim & tenuiſſimè pulverizata & cribrata ordine, & hac methodo ſequenti inſperges, ut Lithargyrium præparatum, Gypſum, Bolum Armenam cum aqua Roſacea vel Plantagine lotam, Ariſtolochiam, & utrámque conſolidam, Yſculos præparatos, Sanguinem humanum optimè collectum. Ultimo verò Myrrham, Thus, Colophoniam, & Aloen: agitabiſque ſimul omnia ſine ulla intermiſſione cum ſpatula eouſque dum ſint ſubacta & mixta omnia. Inſuper ſpatio unius diei, ut exactior fiat incorporatio & permixtio, in mortario cum piſtillo mediocriter calido maſſam tractabis. Peracta autem agitatione & tractatione, manibus Oleo Violaceo unctis, ſuper marmoreo Oleo eodem uncto, magdaleones formabis, quos ad uſum ſervabis.

Guido addit lib. ſe. tanquam pro materiali decoctionis ipſius pellis arietinæ: quâ vis Præpoſitus in methodo faciendi vult omnia diſſolvi in toto cremore decoctionis pellis arietinæ cujus receptavaria eſt ab iſta.

Colophoniæ.] Colophoniæ pro Reſinarum ratione, ex quibus conficitur variæ ſunt ſpecies, unde alia candida, alia mollis, crudáque eſt, à Pineo, vel Piceo caudice emanans, & Olei colorem referens. Pinguis quæ vera eſt Colophonia olim ad nos ex *Colophone Joniæ* urbe, unde nomen ſumpſit, deferebatur. Alia ſicca, cocta ſive fricta, lucida, quæ nihil aliud eſt, quam fæx diſtillatæ Terebinthinæ, aut Terebinthina arte in hunc modum cocta, videlicet, ex partibus duabus Terebinthinæ, cum parte una aquæ pluvialis, quæ hodie in officinis noſtris Colophonia cognominata eſt. Sed quia vera deſideratur, ejus inopia priore utimur, quæ probatur lucida, levis, odorata, calculorum expers. Si plura deſideras, poteris ſuprà hac *Sectione prima cap.* 8. legere ubi agitur de Pice.

Colophoniæ factitiæ parandæ ratio.

Colophoniæ factitiæ electio.

Viſcus quercinus quid, & in quibus arboribus gignatur.

Viſci Quercini.] Viſcus per ſe non eſt arbor, ſed in arboribus vivit, præcipuè in Quercu,

Quercu, sudorque arboris dicitur. Gignitur quoque in malo, piro, & plerisque aliis arboribus: quinetiam in quorundam fructuum radicibus. Fitque pluribus ac diversis modis, verùm præstantissimus secundum *Dioscoridem lib. 3 cap. 87.* est qui è granis in Quercu nascentibus extrahitur, & probatur recens, intus porraceus, extrà fulvus, sine cortice, levissimus, qui nihil asperi furfurosique conceperit, & ille sumendus est, in omnibus compositionibus, quæ immodicam virtutem habent astringendi. *Visci quercini electio.*

Gypsi usti.] Lutetiana urbs nostra maximè Gypso abundat, ibique commodè, & frequenter nativum seu crudum eruitur, deinde coctum ad ædificia fabricanda expetitur. *Albertus magnus* vult quasi extremitatem lapidis specularis esse: alii genus lapidis similis nitro habentis venas latas esse. Res admodum cognata est calci, non tamen ita est calida, differtque à calce: nam calx restincta humore aliquo non Oleaginoso acquirit calorem, Gypsum verò restinctum non accenditur, neque calet. Est autem Gypsum duplex. Unum quod dicitur asini speculum, squamosum, & lucidum: aliud concretum non squamosum, néque lucidum. Præstantissimum est recens, lucidum non diu asservatum, post coctionem aquæ immistum ægrè lapidescit ac coit. Uritur autem sic. *Gypsi consideratio. Gypsum secundum* Albertum magnum *quid. Gypsum & Calx quomodo differant. Gypsi duo genera. Gypsi electio secundum* Dioscoridem. *Gypsi ustio.*

Gypsum lucidum squamosum & integrum accipito, & in crucibulo fusorióque furno ubi sint carbones accensi circumcirca imponito, ignem continuando eousque dum peralbum nivis modo deveniat, læve, ac friabile, & si digitis moveatur, in pollinem abeat: hoc enim modo ad usum dictum id accipiendum. Hactenus de Gypso, Plura *Plinius lib. 36. cap. 24.* & *Georgius Agricola lib. 5.* Fossilium genera multa annumerat.

Sanguinis humani.] *Propositus* in hoc Emplastro sanguinem humanum requirit, qui sententia plurimorum eligi debet ab homine, qui à vigesimo quinto anno ad trigesimum accedat, qui uxorem non duxerit, nec rem eum ulla habuerit, nec obnoxius sit morbis, qui in lætitia vixerit absque ebrietate, séque exercuerit in equorum agitatione, aut in pila palmaria (si talem reperire possis) non autem ex homine ruffo, ut plurimi sentiunt, cùm temperamento is sit magis Bilioso, & melancholico: talis enim sanguis minimè idoneus est, facileque putrescit. Quid verò si nullo pacto talis possit reperiri, nec ab homine ruffo & temperato, ut sufficiat ad compositionem? Censerem hic ubi sanguis deficit, suillum sumendum, *Galeni* authoritate *lib. 10. Simpl. cap. 1.* ubi de sanguine, dicit, sanguinem intelligendum esse animalis secundum naturam se habentis, alterius verò sanguinem humore aliquo mixtum esse, qui quovis tempore facilè ad manum haberi potest: cùm etiam ex *Galeno lib. 10. Simpl. cap. 2.* maximè temperie sit humano similis. Probatque *Galenus* eos qui sanguinis humani loco in morbis suillum commendant. Cujus sententiæ *Avicenna libro secundo tractatu 2. capite 610.* astipulatur, dicens, in omni re sanguinem humanum & suillum similem esse. Alii autem recentiores medici bovillum fibrosum ad astrictionis scopum potius assumunt, quod re vera melior propter astrictionem sit. Hactenus de sanguine humano. Nunc ad illius collectionem accedamus. Accipiatur sanguis humanus ex homine boni habitus, benéque temperati, & medius fluens, quia tenuior est: in olla fictili bene cocta & plumbata in qua quieverit & incocta fuerit aliquot horis aqua pura, & sincera, ut odor terrestris deperdatur, vel si mavis vase vitreo excipiatur & linteolo raro contegatur, solique, eousque dum siccum sit, exponatur. *Sanguis humanus à quibus bominibus accipiatur. Sanguinis humani loco quid sumendum, ex Gal. & Avice. sententia. Sanguinis humani loco quid sumendum secundum recentiores. Sanguinis humani electio, & desiccatio.*

Vires à medicis præscriptæ.

Solenne est ad enterocelem, & intestinorum ramicem & ad herniam.

CAP. XVI.

Emplastrum de granis Lauri, ex distinct. 11. *Mesue* de Unguentis & Emplastris. Usuale.

Vera *Mesuæ* descriptio quadruplicata ponderibus.

℞. Olibani.

Mastiches.

Myrrhæ ana unc. 4.

[a] Granorum lauri unc. 8.

Cyperi.

[b] Costi ana unc. 2.

Mellis colati quantum sufficit ad aggregandum: & extendatur in panno, & calidum superponatur, ubi oportet. Si autem triplicatur in eo Cyperum, & ponatur de stercore caprarum, aut vaccarum sicco ad pondus omnium, invenitur mirabile ad hydropisin.

[a] *Grana lauri excorticata sume.*

[b] *Costi amari radices intellige.*

Mellis quantum sufficit, hoc est, tantum quantum pulveres possunt suscipere & re vera videntur pro quantitate specierum unc. 6. sufficere, si debitam formam & Emplasticam habere velimus.

SCHOLIA.

PEr angustissimum cribrum hæc omnia electa, secundum veram illorum electionem, in tenuissimum pulverem separatim tundito, & cribrato, deinde cum sufficienti quantitate Mellis optimi crudi non autem cocti (quia mel nusquam in Emplastris & Ceratis coqui debet propter tenacitatem) sed modicè calidi excipiantur: dempto olibano, Mastiche & Myrrha, quæ cum massa tota frigida fuerit simul permisceantur: & Magdaleones ad usum formentur.

Verùm in conficiendo hoc medicamento caveat Myropola simplicia ista, scilicet Myrrham, Mastichen, & olibanum melle calido inspergere, & conjungere, ne in grumos abeat.

Caprini & vaccini Stercoris collectio.

Stercoris caprarum aut vaccarum.] Caprarum sylvestrium juvenum pilulas recentes, cùm herbas pabulantur, tempore veris excipe, & in paropside munda linteolo cooperta ad siccandum soli expone: desiccatæ necessitati serventur. Sic humidum & recens stercus vaccinum, cùm vaccæ depascuntur herbas vere (propter mollificationem & resolutionem) accipito, & in disco terreo, linteolo cooperto, sub dio exponito, quousque arefactum sit: arefactum ad usum condito.

Vires à *Mesue* probatæ.

Ad dolores à frigiditate & ventositate factos, & propriè ad dolores ventris, & Stomachi, & Renum, & Matricum, & Vesicæ, & Aliorum viscerum maximè confert.

CAP.

CAP. XVII.

Emplastrum de Mucaginibus authoris incerti quod *Fuchsius* 16. Sectione de Emplastris inseruit, & *Præpositus* 6. particula secundi libri, Usuale.

Verus illorum Textus.

[a] *Semen Lini ad Mucaginem faciendam minimè contundi debet, pariter & semen Fœnugræci.*

[b] *Alii conficiunt Mucaginem ex semine Altheæ loco rad.*

[c] Cordus *tantum ponit, an. unc.* 4.

[d] *Oleum de Lilio Chamæmel. & Anethinum* Mesuæ *descriptionis, accipe.*

[e] *Ceram citrinam intellige & per libram unc.* 12. *accipe, non autem unc.* 16. *pro libra, ut nonnulli faciunt.*

℞. Mucag. [a] seminis Lini,
Mucag. [b] radicum Altheæ,
Mucag. seminis Fœnugræci,
Mucag. mediani Corticis ulmi, an. [c] unc. 4. sem.

[d] Oleorum Liliacei,
Chamæmelini,
Anethini, an. unc. 1. sem.
Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, an. unc. sem.
Croci, drach. 2.

[e] Ceræ novæ, lib. 1. unc. 8.
Terebinthinæ, unc. 2.

Fiat Emplastrum.

SCHOLIA.

VT superiori hujusce *Sectionis cap.* 5. docuimus portionem radicum, seminum, aquæ, ad infusionem, ut ab his Mucagines extrahantur, simili modo quantitas Mucaginum huic Emplastro præscripta extrahi debet: deinde extractæ una cum oleo Liliaceo, Chamæmelino, Anethino, & Cera frustatim secta & cum oleis liquata ad eorum ferè consumptionem incoqui, spatula lignea inter coquendum, ne urantur, celerrimè agitari debent: quantitate autem consumpta, totumque ab igne semotum, fortiter agitetur, donec omnino intepidetur. Tunc quatuor gummi genera decocto Chamæmeli, Meliloti aut aceto vel vino per se soluta, coctaque, non ad naturalis humidi, sed ad decocti vel aceti, aut vini peremptionem, & cum quantitate Terebinthinæ hic descriptæ incorporentur. Demum Crocum optimè pulverizatum absque ulla mistione (quia aliquando solent Pharmacopœi tyrones Amygdalas decorticatas ad colorandum, & ad pondus augendum ponere) in medicamine ita parato adjunges, Magdaleonesque ad usum effinges. Alii cùm Magdaleones effingunt, super marmore Crocum aspergunt, quod minimè approbo.

Vires à Medicis quibuſdam notatæ.

Maturat apoſtemata, & mollit durities, partim reſolvit, & partim digerit, abſtergitque ſaniem ruptorum apoſtematum, & ſanat Phlegmonas.

CAP. XVIII.

Emplaſtrum de Minio, *Joannis de Vigo*, quod *lib. 5. practicæ compendioſæ*, qui intitulatur de additione auxiliorum multorum facientium ſub nomine unguenti ponit, Uſuale.

Verus *Joannis de Vigo* Textus.

[a] *Oleum Roſatum factum ex Olivis & Roſis immaturis* Meſuæque *deſcriptionis intellige. Sunt qui loco unc. 4. lib. 1. ſe. aſſumunt, ſed male ratione doſis, mineralium.*

[b] *Oleum Myrtinum ſimplex* Meſuæ *deſcriptionis accipe.*

[c] *Sepum caſtratum ex Ove maſcula ſume.*

[d] *Pinguedinem porcinam dixit ad differentiam axungiæ quæ ſalita eſt & antiqua, quam gallicè* (viel oing) *dicimus : & legendum eſt unc. 10. loco unc. 7.*

[e] *Lithargyrium utrûmque præparatum cape.*

[f] *Ceruſam lotam intellige.*

[g] *Legendum eſt Terebinthinæ unc. 4.*

[h] *Ceram albam nullam licet addi, quia Cera additur ad ligationem, vel emplaſt. vel cerati, non autem ut vis habeatur : ſed ut expertus ſum, ſatis emplaſtica eſt hæc compoſitio ſine cera.*

℞. [a] Olei Roſati,

[b] Olei Myrtini,

Unguenti populei, an. unc. 4.

Pinguedinis gallinæ, unc. 2.

[c] Sepi caſtrati,

Sepi vaccini, an. unc. 6.

[d] Pinguedinis porcinæ, unc. 7.

[e] Utriuſque Lithargyrii, an. unc. 3. ſem.

[f] Ceruſæ, unc. 4.

Minii, unc. 3.

Bulliant omnia ſimul baculo agitando lento igne donec acquirant colorem nigrum, quo facto ignem fortificando, iterum bulliant per dimidium horæ : deinde addantur.

[g] Terebinthinæ clariſſ. unc. 10.

[h] Ceræ albæ quantum ſufficit.

Et iterum bulliendo fiat ceratũ molle.

SCHOLIA.

SUmma diligentia ſeparatim utrumque Lithargyrium, Ceruſa & Minium du-cantur ſuper Porphyrium, quouſque optimam levigationem, quemadmodum ſuperioribus Emplaſtris docuimus, adepta ſint, interdum molula movendo, liquoréque compoſitioni convenienti aſperſo, ut facillimè in tenuiſſimum pulverem abeant. Liquor autem aqua Roſacea erit. Deinde optimè levigata, unà cum Oleo Roſaceo, Myrtino,

Myrtino, spatula lignea ad nutritionem in lebete amplo tractentur & super prunas leves indesinenter spatula agitando coquantur, donec parùm concrescant, & in compagem abeant. Mox pinguedinem porci & Gallinæ injicies & percoques, eousque dum coctio sit in formam Cerati & nigrescere videatur. Tunc sepum castratum, & vaccinum confractum simul ut liquescant impones. Quibus liquatis & ab igne depositis, Populeonis Unguentum conjunges, paulo post Terebinthinam permiscebis, hisque omnibus simul mixtis, manibus tractando, & versando Magdaleones formabis. Insuper si ceram in hoc Emplastro placet addere, ea quamvis non sit opus, poteris frustatim incisam addere, postquam mineralia abierint in compagem, aut ad mellis crassitiem.

Minii.] Diversa apud authores omnes de Minio est opinio. Nos quid sentiant, hic narrabimus. Alii idem cum Cinnabari esse volunt. *Dioscorides cap.69.lib.* 5.diversum quid à Cinnabari esse vult, his verbis.Hallucinantur qui Cinnabarim Minio eandem esse existimant, verùm nullas illorum adfert differentias, nisi ratione loci, nec eorum naturam explicat, dicit enim minium in *Hispaniis* ex quodam lapide argenteæ arenæ permixto temperari solere, alioqui non dignosci: fornacibus verò in florentissimum & flagrantissimum colorem permutari: in metallis strangulantem halitum eructare,ob idque incolas faciem vesicis obvelare, ne eo halitu infestentur: eôque pictores uti ad sumptuosa parietum ornamenta.Cinnabarim verò ex *Ægypto* deferri,& magno constare,atque hactenus non inveniri,ut vericoloribus pictorum lineis satisfaciat, & hinc quosdam existimasse, sanguinem esse draconis,vimque habere eandem cum hæmatite lapillo: hæc *Dioscorides*. Quid verò sit Cinnabaris,non explicat: unde variæ authorum sententiæ. *Plinius lib.* 33. *cap.* 7. *& Solinus cap.* 38. aiunt esse sanguinem draconis elisi Elephantorum morientium pondere permixto utriusque animalis sanguine. Totam historiam lege, apud *Plinium cap.*12. *lib.*8. qui minium in argentariis vult Metallis iuveniri diversisque modis alterari. Sed quia *Theophrastus*, & multi alii viri graves, Cinnabarim cum minio confundunt, de his simul dicemus:& primùm de minio factitio,cujus sunt tres species. Prima fiebat ex arena quadam rubea & splendente,*Cilicianis* agris propè *Ephesum* quam emolliebant, & abluebant & Cinnabarim conficiebant: cujus rei author fuit *Callias Atheniensis*, qui coquens arenam illam,& existimans se ex ea aurum posse conficere,minium confecit: & hæc species Cinnabaris est, miniúmque artificiale antiquorum. Altera species fiebat ex plumbo adusto, & vocabatur minium secundarium,eò quòd secundum locum præstantiorem obtineret. Tertia Cinnabaris, ceu minii species antiquorum erat, quam conficiebant ex illo lapide, qui vocatur anthrax (id est) carbunculus: qui lapis subrubri coloris est, in speciem terri, & ex hoc lapide, (teste *Vitruvio cap.*8. *lib.*7.de Architectura)crebræ Lacrymæ argenti vivi emanant,quæ à fossoribusstatim colliguntur&dum coquitur,maximam copiamArgenti vivi emittit:quodArgentum ubi extraxerunt lapidem iterum coquunt,& ex eo Cinnabarim conficiunt. Triplex ergo antiquis Cinnabaris artificiosa erat. Una ex arena rubra,alia ex plumbo usto, tertia ex Anthrace lapide. Apud nos verò, duplex tantum est. Unum, quod fit ex longa coctione,(artificio Chimistarum)Argenti vivi,& sulphuris:& Cinnabaris vel Cinnabrium apud nos Pharmacopœos dicitur.Alterum minium in nostris officinis reperitur, quod fit ex Cerusa exusta,& nihil aliud est quàm vera sandix antiquorum, cujus meminisse videtur *Plinius cap.* 6.*lib.* 35. naturalis historiæ, etsi *Virgilius egloga* 4. herbam esse putaverit hoc versu. *Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.* Et hæc quidem de Cinnabari arte facta, quæ à *Plinio*, & *Vitruvio* minium appellatur. *Theophrasto* vero, tria sunt naturalis minii genera. Unum fossile, durum, lapideum, ex fodinis argenti effossum,quod in usu habetur,& officinis, Cinnabaris fossilis dicitur. Secundum sagittis decutiebatur ex altissimis, & inaccessis rupibus, quod nobis ignotum est. Tertium erat cinis coloratus, qui in eisdem fodinis reperiebatur, & de hoc genere Cinnabaris loquuti sunt *Græci*, *Dioscoride* excepto. Unde *Galenus lib.* 9. *de Simpl. medicament. facult. cap.* 39. Cinnabaris modicè acrem facultatem obtinet: habet verò astrictionis quidpiam, & est metallicum quiddam, ideóque erodit. Dignoscitur autem Cinnabaris vera à factitia & artificiali, hoc modo. Accipe laminam ferream, ignitam,& super ipsam pone Cinnabarim: deinde cum incanduerit, refrigerare

Minium secundum Dioscoridem *quid.*

Cinnabaris secundum quosdam quid.

Cinnabaris secundum Plinium *& Solinum quid.*

Minii factitii tria genera.

Minii factitii primum genus.

Minii factitii secundum genus.

Minii factitii tertium genus.

Cinnabaris secundum antiquos triplex.

Cinnabaris secundum neotericos duplex.

Sandix antiquorum quid.

Minii nativi genera tria.

Primum genus.

Secundum genus

Tertium genus.

gerare permitte: si colorem retinuerit, vera est & nativa; si nigrescat, factitia & artificialis. Et (ut verum fatear) minium verum colore, & pondere, Cinnabarim factitiam refert, quanquam nonnihil ea lucidius & lividius sit: ut videatur artem natura imitata: estque id minium sapore acerbo & astringente. Quantum vero ad Cinnabarim *Dioscoridis* spectat, *Matheolus in Dioscoridem* capite de Cinnabari, & *Fallopius* tractatu de metallis seu fossilibus, aliique recentiores, non vulgaris authoritatis viri volunt, sanguinem draconis esse Cinnabarim *Dioscoridis*. Estque gummi colore & substantia sanguini simile, quod non aliunde, quàm ex *Africa* defertur, nec inde copiosum pictoribus expetitum, ut intento ejus colore, purpureas rubentésque concinnent umbras: quod viribus hæmatitæ lapillo omnino respondet. Nam (ut experientia docet) vi astringendi pollet, & majore quidem quam hæmatites. Quod si plura requiras, lege *Matheolum* in *Dioscoridem* loco suprà citato.

Vires à medicis probatæ.

Valet ad ulcera mala & antiqua, quod probatum fuit & expertum à Joanne de Vigo.

CAP. XIX.

Emplastrum Apostolicum ex 6. particula secundi libri *Præpositi*, Usuale.

Textus verus.

[a] *Lithargyrium aureum accipe. Pro unc.* Alexandrinus *capit drach.*

[b] *Ceram rubeam illam, scilicet quæ tendit in rubedinem accipe: non autem rubeam factitiam.*

[c] *Pro propoli Cera citrina duplo pondere bene mellita magis eligenda venit: nam rubea non longè abest à propoli.*

[d] *Lapidem calaminarem illum fossilem lapidosum, quem* Albertus Magnus *lapidem dæmonis appellat letumque, hoc loco intellige.*

[e] *Chalcos cecaumenos, est ustum, vide infra.*

℞. [a] Lithargyrii unc. 6.

[b] Ceræ rubeæ.

Colophoniæ ana unc. 2.

[c] Propoleos.

Visci quercini ana unc. 1.

Ammoniaci.

[d] Lapidis calaminaris ana drach. 6

Mastiches.

Olibani ana unc. sem.

Mumiæ.

Terebinthinæ.

Bdellii.

Galbani.

Mirrhæ.

[e] Chalcu cecaumenu.

Sarcocollæ

Sarcocollæ,

[f] Lepidos Chalcu,

Dictamni,

Aristolochiæ rotundæ,

Prassii viridis,

Opopanacis, an. drach. 3.

[f] *Lepis Chalcu est squamma æris: scilicet, squamma illa æris, quæ à* Dioscoride *helitis, hoc est, clavaris nominatur: quam hoc in loco intellige, vide infra, videlicet, in hoc capite.*

Confice sic: Galbanum, Ammoniacum & Opopanax aliquantulum trita, ponantur in Vino, ita ut bene cooperiantur per noctem, & mane bulliant, donec liquefiant, & per [g] cassiam colentur, & iterum bulliant usque ad consumptionem. [h] Deinde Lithargyrium subtilissimè pulverizatum cum sufficienti [i] Oleo in caldario distemperetur, & super ignem ponatur, & cum Spatula semper agitando tamdiu bulliat, donec super lapidem positum in modum ceræ, vel mellis inspissetur, & statim addatur cera. Et ea prius apponenda sunt, quæ magis humida, vel viscosa. Liquefacta cera, addatur Colophonia postea Mastix & Olibanum: deinde ponatur Myrrha, & facto intervallo ponatur Bdellium, deinde Viscus quercinus, & liquefacto visco ponatur Terebinthina, & ea liquefacta, ponatur caldarium in terra, & tunc gummi in ipso paulatim ponantur, non cum impetu quia exundarent è stagnato: & iterum super ignem ponantur cum spatula agitando, & aliquantulum bullire dimittantur. posteà addatur Sarcocolla, & consequenter lapis Calaminaris: & facto intervallo flos æris, & lepis Chalcu: posthæc Chalcos cecaumenos semper spatula agitando, donec rubere aliquantulum incipiat: ad ultimum Dictamnus, & Aristolochia rotunda superinfundatur. Signum decoctionis est, quando pars fusa in aqua frigida, moderatè fit dura, & digitis malaxata non adhæresit: demum fundatur in aqua frigida & aqua extractum manibus exprimendo ita tractetur, ut tota aqua exeat, & unctis manibus oleo Laurino, Magdaleones formerentur, & usui reserventur.

[g] *Per cassiam cribrum intellige.*

[h] *Videlicet Vini.*

[i] *Oleum vetus magis convenit quàm recens pro scopo emplastri.*

SCHOLIA.

Lithargyrium tenuissimè levigatum cum sufficienti Olei veteris quantitate nutriatur, & coquatur, perpetuò Spatula lignea agitando donec, ad crassitiem, & consistentiam mellis deveniat, in quod ita coctum nec ab igne semotum viscum quercinum injice, parvâque mora interposita florem æris seu viride Æs (alii in fine mixtionis ponunt, sed melius initio) paulopost ceram minutissimè confractam, ut liquefiat, injice, deinde vas ab igne depone, mox Colophoniam, propolim, aut ejus loco Succedaneum commisce, dein Ammoniacum, Galbanum, & Opopanacem arte soluta, & ad humidi ferè consumptionem cocta, simúlque cum Terebinthina incorporata addantur optimèque misceantur: desuper Chalcos cecaumenos, Lepis Chalcu,

Per sufficientem olei quantitatem unc. 9. intellige.

cu, & Lapis Calaminaris ſuper porphyrio ſeorſim tenuiſſiméque levigata inſpergantur: ſtatim Ariſtolochiam rotundam pulverizatam, cribratam, & Dictamnum immiſce: poſtremò, Myrrham, Olibanum, Maſtichen, & Bdellium, ſi ſiccum ſit, exactè pulverizabis: ſi verò molle, ut Gummi genera diſſolves, & cæteris admiſcebis. Ultimo pulverem Mummiæ & Sarcocollæ. Ex quibus omnibus ſimul mixtis & incorporatis Magdaleones finges ad uſum ſuper marmore oleo Laurino inuncto, & manibus eodem Oleo perunctis. In hoc verò animadvertendum Lithargyrium non debere ad perfectam coctionem decoqui propter quantitatem pulverum ſimplicium, qui ingrediuntur: nam ſi juſtam & legitimam concoctionem adeptum ſit Emplaſtrum nimis ſiccum & aridum eſſet.

Æs uſtum quid.

Chalcos Cecaumenos.] Dictio eſt Græca, Latinis & Pharmacopœis æs uſtum dicitur. Æs autem uſtum nihil aliud eſt quam cadaver æris. Nam ſi ad ignem iterum ponatur, non liquatur amplius, nec alia patitur, quæ æs pati ſolet, antequam comburatur. Eſt autem duplex, duplicique fit ratione. Unum quidem rubicundum, quod *Venetiis* affertur, non nobis copioſum, nec frequens in officinis noſtris habetur, quod ſi digitis atteratur tingit ipſos, ac ſi eſſet cinnabaris: tale eſt, quod *Præpoſitus* in hoc Emplaſtro conficiendo intelligit. Quod hoc pacto fit. Accipe quantitatem ſufficientem æris & in minutas parteis divide: quæ ponantur in fictili cocto abſque operculo, conſtituatúrque in furno fuſorio, undique carbonibus accenſis circundetur, ſemper ignem continuando, donec æs rubicundum ſit, poſtquam refrixerit, digitiſque fit friabile, & contactu, ut cinnabaris, inficiat. Alterum verò officinis frequens nigrum eſt, nihilque ad cinnabaris colorem accedens, fitque ſecundum *Servitorem* hac methodo. Accipe limaturæ æris quantum volueris: adde ſulphuris, & ſalis an. unc. 2. quæ ſimul permixta ponantur in vaſe fictili non cocto, adverte tamen vas ſatis amplum ſumendum eſſe, ut ad dimidium tantum repleatur, quo liberè ſpiritus ſpatiari poſſint, diligentérque luto vel argilla obturetur, & circumlinatur, ne ſpiritus evaneſcant: ſicque vas præparatum fuſoria fornace imponatur, & ſpatio unius diei, vel donec fictile ſit perfectè coctum dimittatur (quod aduſtionis ſignum erit) ſed, ut ſæpiſſimè ſum expertus, ſine ſale & ſulphure poteſt æs uri. Nam ſi ſulphur & ſal ſecundum *Servitorem* addamus, facilè ut priore modo uritur, ſed magis nigrum redditur. Tandem antequam ad uſum aptetur, lotione quâdam parari debet, quæ ſimilis ſit lotioni ſquammæ æris, de qua ſtatim dicemus. Cæterum animadvertendum, ante uſtionem & dum à terra deductum, & ſeparatum eſt æs, licet remaneat parum, non tamen ita purum & ſincerum, quin aliquid adhuc excrementi retineat, ſed coctione excrementum illud deperditur. Materiáque eſt multorum ſimplicium à natura & arte factorum, qualia ſunt ipſum æs uſtum, ſpodia, diverſæ cadmiæ & pompholiges, flos æris, ſquamma æris, ærugo raſilis, ſeu viride æs, ærugo ſcoletia, calcitidis genera circiter ſeptem, diphryges, alumen ſchiſton. Tria genera *Plinius* facit *lib.* 24. *cap.*2. ſic inquiens. Unum candidum, argento nitori quàm proximè accedens, in quo miſtura illa prævaluit: alterum in quo fulva natura, tertium in quo æqualis omnium temperies fuit. Præter hæc eſt æs, cujus ratio reddi non poteſt, ſuo colore pretioſum ad jecinoris colorem vergens, quod hepatizon *Plinius* eodem libro appellat. De ære uſto, & non uſto hæc ſufficient: nunc ad ſquammam æris accedamus.

Æris uſti duo genera

Æs uſtum verum, modus conficiendi verus non uſitatus.

Æs uſtum modus conficiendi ex Servitore uſitatus.

Æs quorundam ſimplicium vera materia.

Æris tria genera ſecundum Plinium.

Squamma æris quid.

Squamma æris duplex.

Squamma æris ſecundum Dioſcorid. duplex.

Squamma æris electio.

Lepidos Chalcu.] Latinis ſquamma, vel battitura æris nominatur. Eſt autem ſuperficialis pars & ſumma æris combuſta. Quæ fit duobus modis: Uno dum æs ignitum malleolorum ictibus decutitur: id enim quod ex ære ipſo erumpit, & ab incude in terram cadit, ſquamma vel battitura æris eſt. Altero, dum æs ignitum extinguitur in aqua, qua extinctione fit, ut ſquamma concidat in aquam, & cùm reſederit in vaſis fundo, ſquamma appellatur. *Dioſcorides lib.* 5. pariter duas æris ſquammæ facit ſpecies, de quibus his verbis differit. Probatiſſima æris ſquamma eſt, quæ in *Cypriis* officinis æris excutitur ex clavis *Cyprio* ære confectis, craſſa, & helitis, id eſt, clavaris, propriè dicta, alia quæ ex vulgari ære candido conficitur, tenuis, infirma, quam nos reprobamus. De his duabus ſcripſit *Galenus lib.* 9. *de Simpl. Medicament. facultatibus.* Et *Paulus Ægineta lib.* 7o. *& Ætius lib.* 2. Legitima autem, quam nos hoc in loco intelligere debemus, illa eſt, quæ

helitis

helitis appellatur quæ probatur crassa, Rufa, præsertim si aceti respersu æruginem contrahat: quæ sanè ante usum, propter mordicationem, & vim erodentem, hoc pacto lavari debet. Superficiales partes æris siccas quantitate sufficiente accipito, eásq; optimè tere, tritas figulinæ paropsidi impone, deinde super prunas leves apponantur, ut aliquantulum torreantur, area rudicula movendo ad viscidum attenuandum (nam *Galeni* sententia metalla omnia habent aliquam visciditatem) torrefactas, ter aut quater in mortario marmoreo, pistillo ligneo tractando, cum aceto acerrimo ablue, abjiciendo, & innovando tamen quacunque vice acetum: dejecto aceto, siccare permitte, & ut siccentur, ista præparatio diebus calidis seu canicularibus fieri debet, siccatæ iterum vino albo odorifero bis aut ter, ut prius laventur, & sub dio desiccentur: desiccatæ ter, aut quater, rursus aqua Rosacea, ut removeatur sapor aceti, & vini colluantur, collutæ sole arefiant. Ita arefactæ, & ablutæ omnem vim erodentem amittunt, sicque in eis pura remanet caliditas. *Dioscorides lib. 5. cap. 49.* squammam hac methodo abluit, sicce squammæ æris quantitatem quam lubet, in mortario, vel alio vase collocabis, aquam pluvialem nitidam desuper infundendo manu diu agitabis, & confricabis, deinde hanc impositam aquam fæculentam, & sordidam abjicies, aliámque puram affundes, manu ut prius fricando, ut si quæ fæces & sordes ex priori lotione remanserint, hac secunda depurgentur, & cum aqua abjiciantur. Tunc videbis, an squamma sit omnibus sordibus repurgata, quod si non satis tibi videatur, quo superius modo lotiones reiterabis peractis lotionibus, manibus squammam æris comprimes, ut ab aqua depuretur, quæ si pura sit, squammam optimè lotam esse credito; deinde illam vase quodam linteo cooperto, ne aliquæ sordes incidant, ad desiccandum expones & ad usum repones. *Plinius* inquit squammam abluendam esse ut abluitur Cadmia. Tamen consulo, si quis eam velit abluere, ut abluat secundum primum modum à nobis descriptum qui parum evariat à modo tradito à *Galeno*, propter rationem quam suprà diximus, quia per hujusmodi lotionem amittit vim erodentem, & remanet pura caliditas: sed si abluatur ea ratione quam docet *Dioscorides*, & *Plinius*, nullo modo vis erodens ab ea auferetur: lavántque eam ut solummodo sordes abjiciantur. Cæterum id notandum erit, cùm abluitur, sæpissimè oriuntur duo genera. Unum, quod vocatur flos squammæ, quæ pars est tenuior squammæ. Alterum verò, quod residet in fundo vasis, sedimentum squammæ dicitur, quæ est pars crassior. Hactenus de squamma æris; ea enim sunt quæ ab authoribus accepimus.

Squammæ æris, lotio vera.

Squammæ æris lotio ex Dioscor.

Squammæ æris ablutæ duo genera.

Prassii viridis.] Quamvis ex authoris sententia in hujus Emplastri componendi methodo, pro prassio viridi sumendum videatur viride æs (ut nos Pharmacopœi semper interpretari solemus) si quis tamen pro animi arbitrio prassium pro *marrubio legere velit, non longe recedet à scopo confectionis: quia* ad vulnera maligna & curatu difficilia usurpatur, quemadmodum & marrubium eandem vim habere dicitur secundum *Galenum lib. sec. gen.*

Vires à doctissimis notatæ, & præcipue ab *Alexandrino*.

Auxiliatur cervicis dolori: & scrophulas sæpius usurpatum maturat, rumpit, & cicatrizat, ut indicium cicatricis non appareat. Aliquando etiam diaphoresim faciendo tales collectiones sine eruptione sanat. Apostemata in pectore, seu in pulmone, in stomacho aut in hepate, in diaphragmate, vel sub costis nata, assidue inductum maturat, & rumpit, tumores & durities splenis solvit. Et adhuc plura facit si perquiras Alexand. lib. de composit. medicament. secundum loca cap. 285.

CAP. XX.

Emplastrum pro Stomacho, incerti authoris, in officinis tamen Usuale, quod *Præpositus* in additione particulæ 6. lib. secundi inseruit.

Verus *Præpositi* textus.

[a] *Rosas exungatas intellige.*

℞. [a] Rosarum rubearum unc. 1.

[b] *Absinthium commune & siccum accipe.*

[b] Absinthii.

[c] *Mentham nostram vulgarem siccam accipe & per manipulum hoc in loco unc. se. intellige.*

[c] Menthæ ana M. 1.

[d] *Spicam Indicam sume.*

[d] Spicæ.

Cinnamomi.

Ligni aloes ana unc. sem.

Galangæ.

Calami aromatici ana drach. 2.

Caryophyllorum.

Macis ana drach. 1.

Mastiches unc. 1. sem.

Styracis calamites unc. 2.

[e] *Ladanum purum & molle intellige, nam* Galenus lib. secundum genera, *cùm loquutus est de ladano de molli semper intellexit.*

[e] Ladani puri.

[f] *Ceram flavam cape.*

[f] Ceræ ana unc. 7.

Terebinthinæ unc. 1.

Pulverisanda pulverisentur, deinde irrorentur cum vino cotoneorum & in mortario conterantur: & fiat ceratum cum

[g] *Oleum de spica nardi, & Myrtillorum* Præpositi *descript. & legendum est. ana unc. 1.*

[g] Olei de spica nardi.

Olei myrtillorum ana unc. 3.

In mortario calido cum pistillo calido.

SCHOLIA.

LAdanum purum in minutissimas partes divisum cum oleis de Spica nardi & Myrtillorum igne maximè lento liquabis postea Ceram in partes confractam injicies: qua liquata ab igne removebis: tum Terebinthinam infundes, deinde Styracem molle factum conjunges. Sic autem Styracem mollem reddes: in mortario modicè

Styracis mollitio.

modicè calido, pistillo pariter calido Styracem tractabis, vino aut succo Cotoneorum modicè paulatim aspersо donec mollescat. Quibus ita paratis pulveres simplicium præscriptorum simul, vel per se pulverizatorum ex artis præscripto projicies. Demum totam massam in mortario modice calido & pistillo calido diligenter tractabis, ita ut nullum ab altero secerni possit. Sícque Emplastrum arte quàm maximè elaboratum habebis. Notandum tamen simplicia dum teruntur, vino, & Cotoneorum succo madefacienda, & aspergenda esse ne subtilior pars tenues vanescat in auras. Quod si istud Emplastrum in forma solida conficere velimus unc. 2. Ceræ addendæ erunt, aut dosis oleorum minuenda, & olei de Spica Nardi & Myrtillorum an. unc. 1. affundenda. Si verò in forma cerati liquidi, vel unguenti, authoris descriptio erit imitanda. Sed ut verum fateamur, in nostris officinis in Emplastri formam conficimus, & habetur paratum.

Vires à Medicis designatæ.

Efficax ad temperiem ventriculi frigidam & humidam, aëre præsertim frigido, quod vitium sæpissimè apud quasdam regiones & cœli intemperantis ingluviei ratione latè serpit.

CAP. XXI.

Emplastrum de Meliloto *Mesuæ* ex Distinctione 11. de Unguentis & Emplastris, Usuale.

Mesuæ vera descriptio.

[a] *Meliloti summitates intellige.*

℞ [a] Meliloti, unc. 6.
Florum Chamæmeli,
Seminis Fœnugræci,

[b] *Grana lauri excorticata sume.*

[b] Granorum Lauri,
Radicum Altheæ,

[c] *Absinthium vulgare accipe, vel illud descriptum à* Mesue.

[c] Absinthii, an. drach. 3.
Seminis Apii,

[d] *Per Cordumenum semen carui accipe.* Fuchsius, Cordus & Sylvius *loco Cordumeni, Cardamomum habent.*

[d] Cordumeni,
Ireos,
Cyperi,

[e] *Ammeos semen intellige.*

[e] Ammeos,
Spicæ Nardi,

[f] *Per cassiam ligneam nostrum vulgare Cinnamomum intellige: legendumque est an. drach. 2. sem. loco drach. 1. sem.*

[f] Cass. Ligneæ, an. drach. 1. semis.

[g] *Per Sampsuchum, majoranam intelligit Author.*

[g] Sampsuchi, drach. 3.
Ammoniaci, drach. 10.
Styracis Calamitæ,

Bdellii, an. drach. 5.

Terebinthinæ, unc. 1. ſem.

Ficuum pinguium, num. 12.

Sepi Caprini,

Reſinæ, an. unc. 2. ſem.

[h] Ceræ, unc. 5.

[i] Olei Sampſuchini,

Olei de Spica quantum ſufficit,

[k] Aquæ decoctionis Fœnugræci,

Chamæmeli,

Meliloti quantum ſufficit.

Ad infundendum infuſione diligenti miſceantur & conficiantur.

[h] *Ceram flavam accipe, alias, unc. 6.*

[i] *Oleum de Sampſucho & de Spica Nardi* Meſuæ *deſcript. intellige, & per quantum ſufficit, excipe an. unc. ſe. alii, an. unc. 1. ponunt.*

[k] *Aquæ decoctionis Fœnugræci Chamæmeli & Meliloti, videlicet, unc. 12. ſecundum authoris intentionem, cum dicit quantum ſufficit. In aliis deſcriptionibus non legitur aquæ decoctionis Fœnug. Chamæmeli & Meliloti quod ſufficit ad infundendum, ſed in oleis infundi, & macerari materialia volunt: non eſt tamen id meo judicio præter rem.*

SCHOLIA.

IMprimis neceſſarium (ut ſingula quam optimè in hoc Emplaſtro præparentur) quædam ſimplicia Emplaſtrum ingredientia triturare, & contundere unumquodque ſuo ordine convenit. Nam minutim Cyperus ſecandus & obiter contundendus: deinde radices Altheæ mediocriter ſiccæ ac inciſæ, Fœnugræcum, Iris & Caſſia lignea leviter, quater, aut quinquies piſtillo tundenda, tum Spica Nardi in tenuiſſimas partes inciſa addenda, deinde Baccæ lauri & ſemina omnia, folia & flores, ut Abſinthium, Sampſuchus, Melilotum, Chamæmelum: paulo poſt Styrax (alii radices Altheæ & Fœnugræcum ſeparatum cum decoctione [a] ſufficienti Fœnugr. Chamæmeli, & Meliloti infundunt, ut ex eis Mucaginem habeant, deinde Mucaginibus extractis cum Ficubus tuſis conjungunt: pariter Styracem cum pauca decoctione prædicta molliunt, & poſtquam gummi genera ſoluta ſint, cum Cera & Sepo conjuncta & incorporata compoſitioni addunt) quæ omnia ſimplicia accurate trita & per cribrum tranſmiſſa ſervabis donec cætera ſint præparata. Deinde Ammoniacum & Bdellium (ſi molle ſit) ſeparatim infundes in quantitate ſufficienti decoctionis prædictæ (ſi verò ſiccum ſit Bdellium) in pulverem redigendum erit, ſuóque ordine, nempe, poſt Styracem imponendum. Alii in Aceto fortiſſimo ad duplum vel triplum, ut commodè ſolvantur, imbuunt, & ad humidi conſumptionem lento igne coquunt. Alii Ammoniacum cum prædictis ſimplicibus in pulverem redigunt, quod facillimè poteſt pulverizari, ut experientia nos docuit; verùm præſtat diſſolutio quam trituratio. Quibus ſolutis & coctis Terebinthina admiſceatur, tum hæc gummi ſeparatim, ut pulvis prædictus ſervantur. Poſtea Ficus minutim inciſæ in mortario lapideo cum piſtillo ligneo terantur paulatim adjecta pauca decoctione Fœnugr. Chamæmeli & Meliloti inter tundendum, deinde ſuper cribrum inverſum & anguſtum cochleari averſo tranſcolentur ad partémque ut ſupradicta ſerventur, donec ſimplicium omnium præparatorum commixtionem facias. Alii Ficus in ſubſtantia cum prædictis ſimplicibus tundunt, quod revera alienum eſt à vera methodo. His itaque ſic paratis maſſam Emplaſtri in hunc modum conficies.

[a] *Per ſufficientem decoctionem duplum aut triplum ſic intelligendum eſt: ſi ſint 5. drachmæ mollis Bdellii, & drach. 10. Ammoniaci. 4. aut 6. decoctionis prædictæ, aut Aceti unciæ ſunt neceſſariæ.*

Ceram

Ceram frustatim igne lento Baculo movendo liquabis, qua liquata sepum caprinum pariter divisum injicies, paulo post Resinam pulverisatam, quibus eliquatis, ab igneque semotis & parum refrigeratis, Gummi prius præparata una cum Styrace & pulpa ficuum conjunges movendo ut prius baculo: ad ultimum vero pulveres jam paratos addes: demum cum omnia optime commixta & incorporata fuerint, totam massam pones in mortario cum Pistillo modicè Calido, spatio duarum horarum contundes, ut conveniens omnium fiat mixtio, vel ut facilius permisceantur addendo oleum nardinum & Sampsuchinum. Deinde Magdaleones formabis.

Cavendum tamen in hoc parando ne plus olei quam par sit ponatur, alioqui tenerum ac molle esset Emplastrum. Præterea si quis in hoc Mucagines ex semine Fœnugræci, & radicibus altheæ, pro eorum substantia usurpare velit, diligenter animadvertat ne coctæ & transcolatæ pondus excedant simplicium quibus fiunt, quod itidem in ficubus observandum si ex eis Muccagines conficias, quod sanè ut diximus est præter artem manuariam: Rursus dosis aquæ decoctionis Chamæmeli & Melliloti à nobis in margine descriptionis hujusce Emplastri scripta sufficere videtur ad Maceranda ea quæ Macerari debent sive ad dissolutionem Gummi, sive ad Mucagines extrahendas: si verò velit Pharmacopœus tantum dissolutionem Gummi, minuenda erit dosis decoctionis prædictæ, sufficiéntque ana drach. 10. Quare diligenter perpendat antequam hoc Emplastrum aggrediatur, utrum malit substantiam totam quorundam simplicium vel mucaginosum liquorem.

Vires à *Mesue* descriptæ.

Mollificat Emplastrum de Meliloto omnem duritiem, quæ est in Stomacho, & Hepate, & splene & cæteris visceribus.

CAP. XXII.

Emplastrum pro matrice authoris incerti, quod à *Præposito* in fine 6. particulæ additionis lib. 2. describitur, Usuale.

Præpositi, veri textus quarta pars.

℞ Radicis bistortæ unc. 3.

Ligni aloes.

Santali moschatelini.

[a] Nucis moschatæ.

Berberis.

Antheræ ana drach. 2.

Cinnamomi.

Caryophyllorum.

Schœnanthi.

Florum chamæmeli ana drach. 1.

[b] Thuris.

Mastiches.

[a] *In aliis codicibus nux moschata omittitur.*

[b] *Thus musculum seu olibanum intellige.*

Maſtiches.

[c] *Aliptam & [d] Galliam moſchatam intelligit* Præpoſitus *illas confectiones quas in ſuo libro deſcripſit, & quas etiam Trochiſcos de Aliptæ & de Galliâ Moſchata appellat.*

[c] Aliptæ moſchatæ.

[d] Galliæ moſchatæ.

Styracis calamitæ.

[c] *Styracis rubei in aliis legitur ana drach. 6.*

[c] Styracis rubei ana gra. 15.

[f] *In alio legitur ſcru. 2. gr. 5.*

Moſchi [f] gra. 7. ſem.

Ceræ citrini unc. 1. ſem.

Terebinthinæ unc. 1. ſem.

[g] *Ladanum molle, ut monet* Galenus.

[g] Ladani puri lib. 1.

[h] *Picem illam quam hac* Sect. 1. cap. 10. *monuimus accipere, intellige.*

[h] Picis navalis unc. 9.

Fiat Emplaſtrum.

SCHOLIA.

Cera confracta, & Ladanum diviſum, cum unciis duabus olei convenientis compoſitioni (oleum verò nullum capit hæc deſcriptio, quale autem debeat ſumi, dubitari poſſet: nam ſi agatur de ſuffocatione Matricis, oleum Gagatis aut Ruthæ ſumi poteſt, ſin quæſtio eſt de frigiditate & humiditate Matricis corrigenda, nardinum Magiſtrale, aut Chamæmelinum ſufficere poteſt) igne lento ſpatula lignea agitando liquentur: liquatis, nec ab igne depoſitis, picem navalem, colatam, ut liqueſcat impone, mox cum ab igne depoſueris, Terebinthinam, & Styracem Calamitam cum oleo dicto ſolutam: cùm verò hæc omnia optimè liquata & commixta fuerint, & aliquid caloris depoſuerint, reliquorum ſimplicium pulveres arte præparatos in hæc inſperges, ſimúlque commiſcebis, ut radicem Biſtortæ, Santalum, Lignum aloes, Schœnanthum, Chamæmelum, Antheram, Berberim, Caryophylla, Cinnamomum, Nucem, Galliam & Aliptam Moſchatam, Styracem rubeam, ſtatim pulverem tenuiſſimum Maſtiches, & Olibani, celerrimè movendo, addes: paulò poſt Moſchum liquore minimè unctuoſo diſſolutum conjunges: cúmque omnia fuerint optimè commixta & ſubacta, totam maſſam in amplum mortarium metallicum, modicè calidum mitte, & probè piſtillo ferreo mediocriter calido tundito, ac tractato, donec perfectè in unum coeant: demum Magdaleones ad uſum fingito.

Picem Colatam, videlicet à ſordibus defæcatam.

Notandum tamen erit, multos Pharmacopœos eſſe, qui alia utantur methodo, quam etſi adhuc non obſervaverimus, eam tamen non improbamus; hæc autem talis eſt. Ceram igne lento liquant, deinde picem navalem percolatam addunt, poſtea ab igne deponunt & Terebinthinam infundunt, ſtatim pulveres ſimplicium ordine commiſcent: deinde cum omnino hæc refrixerint, pulverem Thuris & Maſtiches projiciunt, ſpatula ſemper ducendo, unamque Maſſam conficiunt, quam ſervant, donec Ladanum ſit liquefactum, ut facilius tota Maſſa prædicta cum Ladano miſceatur. Sic autem ladanum molle & liquidum reddunt. Ladanum fruſtatim incidunt, & in mortarium ſatis calidum projiciunt, ac piſtillo ſatis calido contundunt, & parum olei convenientis compoſitioni affundunt, deinde Magdaleones ad uſum conformant.

Cæterum (verum ſi fateri licet) vix hæc omnia poſſunt commiſceri, niſi aliquid olei compoſitioni convenientis addatur, ut multoties ſumus experti, quare quantitatem à nobis deſcriptam retinendam eſſe exiſtimamus.

Vires

Vires à Medicis probatæ.

Vteri imbecillitatem firmat, procidentiam reprimit, muliebribúsq; viciis ex nimia humorũ copia optimè succurrit, & locorum immoderatos motus sistit.

IOANNIS DV BOYS,

De VNGVENTIS,

Sectio II.

HActenus Ceratorum, & Emplastrorum in officinis nostris passim præstantium materiam, seu subjectum, necnon componendi methodum, quâ potuimus diligentia, & sedulitate pertractavimus. Reliquum est ut de Unguentis breviter percurramus : quorum subjectum non aliud est quàm Ceratorum & Emplastrorum, ut antea his verbis explicuimus. Neque enim inter se tam eorum ratione differunt, quæ ipsa ingrediuntur, quàm consistentia : nam quæ ingrediuntur Cerata, etiam in Emplastris & Unguentis admittuntur. His itaque sic definitis & constitutis ad unguentorum conficiendorum methodum accedentes ab unguenti primum definitione exordiemur. Est autem Unguentum mollis quædam confectio, ex stirpium partibus, metallicis, mineralibus, terra, & animalium partibus mediæ inter cerata & linimenta consistentiæ, quæ omnia præparantur & miscentur ad unguentum conficiendum eadem methodo, quæ prius à nobis descripta est in Ceratis & Emplastris. Fit autem unguentum duplici modo, videlicet, cum igne, & sine igne, cum igne, ut omnia unguenta, & consimilia quæ multa simplicia & Ceram, Lithargyrium, Axungiam recipiunt : sine igne, sola nutritione & subactione, ut Nutritum seu Tripharmacum. Différtque unguentum à linimento, quia in unguento conficiendo ponitur olei uncia una, pulverum drach. 1. ad summum drach. 1. sem. ceræ drach. 2. vel drach. 3. Tamen hodie componentis arbitrio relinquitur dosis ceræ, & à medicis sic (*ceræ quantum sufficit*) scribitur : dummodo ervetur consistentia corporis crassioris in ungento, liquidioris in linimento. Linimentum enim est mollius unguento & componitur ex his, quæ unguenti compositionem ingrediuntur cum minori cera vel in*crassantium portione*, vel ab quæ speciebus. Proportio linimenti est, ut pro olei uncia una ponatur ceræ drach. 1. Alii sextam partem unciæ ponunt : & cum aliquid siccum miscetur, de cera nonnihil detrahitur, sed sæpissimè conficitur cum cera & oleo, sine pulverum commixtura. Demum, ut nunc quæ antea diximus, dilucidius intelligantur, singulatim Unguenta à nobis Pharmacopœis usitata, & cognita, explicanda suscipiemus.

Vnguentum quid.

Vnguenti duplex.

Vnguenti & linimenti differentia.

Linimentum quid.

CAP. I.

Unguentum album authore *Rhasi* capit. 130. lib. 1. divisionum.

Rhasis verus Textus.

[a] *Cerussam lotam intellige.*

[b] *Oleum Rosatum immaturum accipe.*

[c] *Ceram* Ponticam *naturaliter albam author intelligit quæ sine acrimonia est.*

℞ [a] Cerussæ albæ,
[b] Olei Rosati,
[c] Ceræ albæ,
Fiat unguentum.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

Vera descriptio ipsius unguenti ponderibus restituta.

Rhasis eo in loco nullum pondus simplicium prædictorum scribit, nec tamen vult aliud unguentum, quàm aliis usitatum describere, sed pondera libera artificibus reliquit qui artem norunt. Quantitas autem simplicium à *Præposito* vera definitur, in additione *lib.* 2. *Particula.* 20. ex illius præscripto in officinis nostris paratur, usuíque est apud omnes. Talis autem est ejus descriptio quarta parte. ℞. *Olei Rosati, unc.* 9. *Cerussæ albæ, unc.* 3. *Ceræ albæ, unc.* 2. Confice sic: Manu fricetur super cribro tenuissimo Cerusa, ut transmittatur: transmissa in mortario metallico spatio aliquot horarum friando lævigetur, ut magis reducatur in pollinem. Deinde superinfunde Ceram liquatam in balneo mariæ cum Oleo Rosaceo: tum ducantur hæc atque agitentur (dum calet) celerrimè, pistillo ferreo, quoúsque omnia sint probè commixta. Et hoc modo unguentum erit paratum: quod ad usus necessarios recondes.

Alii alia methodo utuntur, nam ultra descriptionem prædictam, ovorum albumina, alii Lithargyrium, alii mucaginem Tragacanthi, alii Camphoram secundum morbum addunt.

Cerusa secundum Dioscoridem *quid.*

Cerusæ.] Plurimi Cerusam definiunt esse æruginem aut cinerem plumbi. Tamen, ut inquit *Dioscord. lib.* 5. *cap.* 63. Cerusa nihil aliud est, quàm plumbum nigrum acerrimi aceti halitu liquatum & incrassatum, & post in mola tritum, denuóque cribratum & in tenuissimum pulverem resolutum. Modum autem conficiendi lege apud eundem *Dioscor. lib. & cap. citato.* De lotione, electione, & repositione satis apertè in *prima Sectione hujus lib. cap.* 12. diximus. De viribus & facultatibus, consule *Serapionem, lib. aggreg. cap. affidegi* & *Avicennam lib.* 2. *de Cerusa. Plinium quoque lib.* 34. *cap.* 18. & *lib.* 35. *cap.* 6.

Vires à Medicis notatæ.

Adversus ulcera, scabiem & adustionem pollet.

CAP. II.

Unguentum Tripharmacum ceu nutritum ex 11. Distinctione *Mesuæ* de unguentis & Emplastris, Usuale.

Vera *Mesuæ* descriptio.

℞. [a] Lithargyrii triti sicut Alcool. P. 1.

Et funde super ipsum nunc

[b] Oleum,

Nunc,

[c] Acetum,

Et terantur & adæquentur, & proprie quantum sufficit.

[a] *Lithargyrium aureum lotum accipe: alii non lotum accipiunt.*

[b] *Olei Rosati non completi partésque duas intellige.*

[c] *Aceti Rosati partem semissem cape. Alii partem unam vel duas, & hoc fit secundum defensionem inflammationis. Nonnulli secundum* Galeni *mentem vinum loco Aceti superaffundunt, quibus intentio est digerendi cum aliqua astrictione: alii aquam vel solatri, vel Rosarum aut fontis loco Aceti aut vini affundunt, quibus est scopus simpliciter refrigerare sine ulla penetratione.*

SCHOLIA.

SCHOLIA.

Mesue neque Olei, neque Aceti quantitatem definit, cùm his verbis utitur, funde desuper nunc Oleum, nunc Acetum, &c. Existimo *Mesuem* quantitatem Olei & Aceti reliquisse arbitrio artificis, pro ratione usus unguenti : nam quia hoc unguentum sæpissimè usurpatur ad defensionem inflammationum, quæ aliquando leves, aliquando vehementiores sunt : tamen hoc non impedit, quò minus illud Unguentum in nostris officinis præparatum habeamus. Cujus descriptio talis est, ponderibus definita. ℞. *Lithargyrii aurei coloris triti & loti (secundum scopum) P. 1. Olei Rosati immaturi P. 2. Aceti Rosati P. sem.* Confice sic Lithargyrium tritum & lotum, in mortarium plumbeum conjice, illúdque cum quadam parte olei pistillo plumbeo agita & tracta, quousque Lithargyrium justam crassitiem consequùtum sit : tunc paulatim aceti portionem aliquam infunde, & ut prius tracta, donec acetum sit cum Lithargyro & Oleo commixtum : denuò residuum aceti & Olei affunde subagitando, videlicet nunc acetum, nunc oleum, donec totum acetum & oleum Lithargyrium imbiberit, & Unguenti formam adeptum fuerit. Deinde fictili pixide ad usum serva.

Per par. 1. lib. 1. vel unc. 1. vel drach. 1. vel scrup. 1. intellige vel aliud quodvis pondus.

Caveat tamen Pharmacopœus, illud cum volet præparare, initio multum olei & aceti super Lithargyrium affundere, ne submergat : nam cùm submergitur nunquam consistentiam Unguenti adipiscitur, nec incorporari potest. Et ideo nutritum vocatur ex conficiendi methodo (quia est Lithargyrii quædam nutritio) sitque solicitus hoc Unguentum subagitare spatio unius diei, si quàm optimum & probè ligatum velit habere.

Unguenti denominatio.

Lithargyrii auri.] Lithargyrium, & auri vel argenti spuma, idem sunt. Satis copiosè diximus de illius lotione in *Sect. prim. cap. 2.* Nunc de materia, variis generibus & extinctione (si in aliquo loco extinctio desideratur) dicendum venit. Lithargyrium non effoditur, nec reperitur naturale, sed paratur ex multiplici materia opportuna, quæ non unica ab authoribus proponitur. Videlicet, unam esse ajunt arenam plumbarem, aliam argentum, aliam plumbum, alteram aurum, alii unicam esse materiam, quod est plumbum, alii galenam esse materiam Lithargyrii, tamen pro diversitate materiæ diversa acquirit nomina. Sed antequam ultrà progrediamur illud definiamus. Est autem Lithargyrium, secundum quosdam spuma argenti continens adhuc aliquid argenti, vel plumbum exustum cum auro vel cum argento, cujus est usus nobis frequens in Unguentis & Emplastris. Sed ut verum fateamur, Materia Lithargyrii est plumbum exustum cum argento, vel cum auro in Catinis, in quibus concrescit & colliquatum est argentum vel aurum, non autem ex argento vel ex auro, tanquam materia, sed colorem argenti vel auri referens. Tres species facit *Dioscor. l. 5. c. 62. Plinius lib. 33. ca. 6.* Una, quæ Molybditis vocatur, altera argyritis, & chrysitis : Tertia plumbago seu Molybdena dicitur. Fit autem prima species, quam Molybditim appellamus ex arena in fornacibus conflata, cùm perfectè igni incanduerit. Argyritis ex argento fit. Chrysitis ex auro, non quòd sit ex argento, vel ex auro, sed quia argenti vel auri colorem refert. Plumbago seu Molybdena fit ex laminis plumbeis, hodie apud nos Pharmacopœos usitata. Præstantissima omnium est Chrysitis, quæ fulvo colore splendet. Quod si plura requiris, lege *Georgium Agricolam lib. 9. de natura Fossilium.* Si quis verò Lithargyro extincto egeat, sic extinguat. Accipe Lithargyrium, & frange minutim ad quantitatem nucis, & in crucibulo fusorióque furno ut ignetur, & in modum prunæ ardentis rubeat, expone. Deinde extrahe, illúdque in aceto, aut vino fortissimo aut liquore morbo convenienti extingue : hócque ter aut quater iterabis innovando acetum aut vinum, aut liquorem convenientissimum, sicque Lithargyrium extinctum ad usum habebis, si requiratur.

De Lithargyrio variæ opiniones.

Lithargyrii vera materia.

Lithargyrii secundum Dioscor. *& Plinium tres species.*

Molybditis quid.

Argyritis & Chrysitis quid.

Plumbago seu Molybdena, quid.

Lithargyrii extinctio.

Vires à *Mesue* & à quibusdam neotericis descriptæ.

Facit nasci carnem in ulceribus & consolidat eam. Ad Phlegmonas & erysipelata potissimum admovetur, habetque vim reprimendi & desiccandi.

CAP. III.

Unguentum aureum *Mesuæ* ex 11. distinct. de Unguentis & Emplastris, Usuale.

Mesuæ vera descriptio.

℞. Ceræ citrinæ unc. 6.

[a] *Oleum olivarum, vetus & maturum accipe, in alio lib. 2. se habetur, sed melius lib. 2.*

[a] Olei boni lib. 2.

Terebinthinæ unc. 2.

Resinæ.

Colophoniæ ana unc. 1. sem.

Olibani.

Mastiches ana unc. 1.

Croci drach. 1.

SCHOLIA.

IN vase ceram frustatim divisam, unà cum quadam Olei portione igni levi ad liquandum expones: qua liquata, Resinam, & Colophoniam confractam injicies ut simul fundantur. Tum ab igne sepone, & statim Terebinthinam infunde: quibus quam optimè refrigeratis, Olibanum & Mastichen per se pulverisata immisce, spatula lignea ducendo. Postremò Crocum cum reliqua portione conjunctum, vel si mavis dissolutum conjunges. His omnibus commixtis usui reserva: animadvertendum tamen, plures Pharmacopœos illud conficere absque Olibano, Mastiche & Croco ob nimios sumptus. De simplicibus nihil dicemus cum in *Sect. prima* abunde ea tractaverimus.

Vires à *Mesue* probatæ.

Curat, & solidat plagas, & est sanum & expertum.

CAP. IIII.

Unguentum Basilicon minus *Mesuæ* ex distinct. 11. de Unguentis & Emplastris, Usuale.

Verus textus *Mesuæ.*

℞. Resinæ.

[a] *Picem nigram intellige.*

[a] Picis.

[b] *Ceram citrinam accipe.*

[b] Ceræ ana.

[c] *Oleum olivarum vetus & maturum cape.*

[c] Olei quantum sufficit.

SCHOLIA.

POndera simplicium omisit *Mesue*, pariter *Fuchsius* & *Præpositus*, quam quidem descriptionem ex *Mesue* desumpserunt. Tandem ut experientia docuimus, ponderum certus numerus à nobis restitutus fuit, ut iis sequentibus descriptionibus videre licebit. ℞. *Resinæ, Picis nigræ, Ceræ citrinæ, an. unc. 2. sem. Olei veteris Olivarum maturi lib. 1. sem. si durior lib. 1.*

Alii recipiunt Resinæ, Picis an. unc. 2. Ceræ citrinæ, unc. 4. Olei veteris Olivarum maturi libr. sem. vel 2. Utraque dosis optima.

Confice sic Maturum & vetus Oleum in lebete amplo simul cum Cera in frusta divisa igne lento, spatula lignea ducendo liquefac: qua liquata Resinam & Picem percolatam confractámque impone, ut liquefiant, quibus liquatis & refrigeratis reconde.

Vires à *Mesue* scriptæ.

Conveniens est in principio ulcerum nervosorum, & est virtute sua minoris calefactionis, absersionis & consolidationis quàm magnum.

CAP. V.

Unguentum *Ægyptiacum* magnum ceu de melle, 11. Distinctione de unguentis & Emplastris *Mesuæ*, Usuale.

Mesuæ verus Textus.

[a] *Flos æris à nobis satis in* prima Sectione, cap. 9. *explicatus fuit, sed quia caremus dicto flore, viride æs sumendum erit.*

[b] *Per aureum intellige drach. 1. sem. hoc in loco, atq; etiam apud omnes Arabes.*

Tamen exactè inquirere oportet quantum aurei pondus drachmæ pondus exuperet, & videtur tantum exuperare scrup. sem.

℞. [a] Floris æris, [b] Anr. 5.

Mellis Aur. 14.

Aceti fortis, Aur. 7.

Coque super ignem donec inspissetur: & sunt qui addunt ei,

Olibani Masculi triti, Aur. 2. sem.

SCHOLIA.

IGne lento Mel cum aceto & flore æris, aut viridi ære pulverizato (quod inter pulverizandum pauco aceto aspergi debet, ne feriat nares) ad aceti consumptionem coquatur. His omnibus coctis, & omnino refrigeratis, Olibanum probè pulverizatum immisce, semper spatula lignea agitando, ut melius commisceatur. Vas autem in quo mel & flos æris, vel viride æs, & acetum coquuntur fictile esse debet, ne augeatur in alio vase acrimonia floris æris, vel viridis æris, & aceti: reponatúrque in fictili optimè obtuso. *Mesue* Unguentum *Ægyptiacum* magnum vocavit, non ad differentiam parvi, sed dixit magnum propter magnas vires, quas possidet.

Vires à *Mesue* probatæ.

Confert ad vulnera antiqua, & fistulas, quæ indigent mundificatione.

CAP. VI.

Unguentum populeon *Myrepsi* ex Sect. 3. de Unguentis, cap. vel num. 45. Usuale.

Vera *Myrepsi* descriptio.

℞. Oculorum in summo arboris populi

Quando floret apparentium, lib. 1. se.

Foliorum papaveris nigri,

Foliorum Mandragoræ,

[a] Foliorum rubiæ,

Foliorum Hyosciami,

Foliorum Solani,

[b] Vermicularis,

Lactucæ foliorum,

[c] Sempervivi,

Foliorum Violæ,

Cymbalii foliorum nominati Cortali, nascentis in figulinis & muris.

[d] Singulorum, unc. sem.

Adipis suilli recentis expertis salis.

Paratur autem in hunc modum. Accipiuntur herbæ, & cum adipe in mortario tunduntur, fiúntq; veluti fermentum, & sinuntur sub ea forma diebus octo. Deinde gladiolo inciduntur in tenues partes, inque lebetem conjiciuntur, & lento igne bulliunt cum

[e] Vini boni. lib. 1.

Donec totum assumptum fuerit. Postea per linteum tenue colantur, & reponuntur in vase.

[a] *Folia rubi teneriora, quæ à prima germinatione & in summa sui parte profert, intellige.*

[b] *Pro vermiculari, sempervivum minus cum albis floribus linguam non mordicans sume.*

[c] *Per sempervivum, intellige sedum majus,* Myrepsus *eodem capit. vel numero.*

[d] *Alii legunt Sing. unc. 1. sem. alii Sing. unc. 3. quod melius; præcipuè si addantur axungiæ lib. 2. uti plerúmque fieri solet: tandem videtur dosis ista foliorum & germinum quæ fit per unc. præter morem præscripta esse.*

[e] *Videtur ista additio vini esse præter scopum unguenti: quod ad refrigerationem tantùm adhibetur. Itaque mallem cum aceto coquere.*

SCHOLIA.

TUndantur per se oculi populi & folia Violarum incisa in mortario lapideo cum pistillo ligneo, & unà cum axungia præparata posita intra vas fictile coopertum

loco

loco modicè Calido recondantur (ſicuti reconduntur conſervæ Oleorum) donec cætera ſint collecta ac præparata, hoc eſt, duos aut tres menſes, vel eouſque dum Cæteræ herbæ ſint in vigore: oculi enim populi, & Violarum folia primo ſtatim vere, nempe menſe Martio erumpunt. Aliæ autem Majo vel Junio menſe vigent. Has ubi per temporis occaſionem collegeris, inciſas per ſe in mortario prius dicto cum piſtillo optimè contunde, & cum prædicta fermentatione ceu commixtione oculorum populi commiſce deſuper affundendo aceti optimi lib. 1. & iterum loco tepido ſpatio octo dierum reconde, quibus elapſis totum in cineribus calidis aut vaſe duplici coquatur, donec omnis humiditas evanuerit. Signum autem coctionis tale erit. Accipias aliquid de decocto cum ſpatula lignea, vel Baculo, & injiciatur in carbones accenſos, ſi ſtrepitum nullum emittit coctum erit, ſi verò emittit non ſatis erit. Tunc ab igne ſepone & calidè linteolo tenui & forti probè exprimendo percola, & infrigidari ſinito, deinde in vaſe optimè obturato in uſum ſerva. *Oculorum populi vera collectio.*

Notandum, *Myrepſum* tantùm octo dierum ſpatio in infuſione Unguentum iſtud detinere: revera id fieri minimè poteſt ob diverſitatem temporis, quo herbæ colliguntur, nam aliæ veris initio, aliæ æſtate proveniunt. Præterea plurimi ſunt qui folia Bardanæ huic Unguento addunt, *Myrepſus* verò omiſit: idcirco cenſerem addendam eſſe Bardanam ad quantitatem prædictorum germinum.

Adipis ſuilli.] In hac *Myrepſi* compoſitione deeſt pondus adipis, forſan Bibliopolæ negligentia. Quare cenſerem ut ſæpiſſimè expertus ſum, pro quantitate herbarum lib. 2. adipis in hoc addendas eſſe: quamvis *Fuchſius* dicat lib. 1. ſufficere. De adipis autem collectione, præparatione, & repoſitione, ſuprà *Sect. prima cap.* 2. ſatis diximus.

Vires à *Myrepſo* deſignatæ.

Somnum conciliat, febrientibus ac dolentibus caput propter calorem, inunctum temporibus prodeſt. Febricitantibus palmæ manuum ac plantæ pedum, & pulſus inunguntur. Irrigandum autem cum oleo Roſaceo aut Violaceo.

CAP. VII.

Unguentum de Althæa *Myrepſi* ex Sect. 3. de Unguentis, num. 49. Uſuale.

Verus *Myrepſi* textus.

[a] *Per Malvam Sylveſtrem Althæam intellige.*

℞ [a] Radicis malvæ Sylveſtris lib. 1.

Seminis lini.

Fœnugræci. Singul. lib. ſem.

[b] *Scyllæ magnæ neque enormis laminas accipe, prius cultello eburneo, vel aliquo ligneo inciſas.*

[b] Scyllæ unc. 3.

Radices bene contuſæ conjiciantur in

[c] *Aquam fontanam accipe.*

[c] Aquæ lib. 3. ſem.

Deinde dies tres in ea maceratæ ebulliant, donec Succi craſſitudinem acquirant, & per linteum tenue colentur. Poſt accipiatur ſucci hujus lib. 1. & injiciantur ei,

[d] Olei

[d] *Oleum vetus insulsum accipe: nota tamen* Præpositum *lib. 1. se. Olei tantum capere.*

[d]Olei lib. 2.

Et rursus bulliant donec [Succus absumptus fuerit. Deinde adjiciantur,

[e] *Ceram citrinam accipe.*

[e]Ceræ lib. sem.

Terebinthinæ.

Galbani.

Gummi hederæ aut ejus

[f] Fuchsius. *Sing. drach. 1. ca.*

[f] Succi. Singul. unc. 1.

Postremum imponatur.

[g] *Colophoniæ & resinæ ana unc. 3. hoc in loco intellige.*

[g]Colophonia bene trita &

Resina alba pura.

Concussa, agitatáque probè, ut in lebete eliquentur, ab igne removeto, & justo tempore, ut refrigerentur, conquassato & vase recondito.

SCHOLIA.

RAdices malvæ Sylvestris, & Scyllæ laminæ frusta per se divisa: semen itidem lini, & fœnugr. separatim singula in vasis fictilibus diversis, coopertis cum lib. 5 sem. aut 6. ad summum aquæ maxime calid: (pro æquali portione radicum & seminum) spatio trium dierum macerentur (quanquam alii trium, aut sex horarum tantum spatio id faciunt) infusione autem peracta iisdem vasibus concoqui debent separatim igne lento, spatula semper movendo, donec aqua, infusionis causa imposita, consumpta sit, & supersint mucagines colatæ, Singu. unc. 3. deinde torquendo omnia seorsim exprimere debes: expressum cum oleo prædicto eodem igne coquatur spatula lignea agitando ad unc. sem. ferè consumptionem Mucaginis expressæ. Mox ceram minutim confractam, ut liquefiat, injicies, quæ ubi liquata erit, ab igne sepones & frigescere permittes: quæ ubi refrixerint, Galbanum dissolutum (cujus dissolutionis require modum suprà *Sect. prima*) & cum Terebinthina incorporatum admiscebis: desuper pulverem quàm tenuissimum, Gummi hederæ, Colophoniæ & Resinæ adjicies (alii post ceram liquatam Colophoniam & Resinam addunt, ut unà liquantur & melius. Quæ omnia commixta & optimè incorporata in vase ad usum recondito.

In hoc Unguento parando plura sunt notatu digna: imprimis *Myrepsum* pondera Colophoniæ & Resinæ omisisse. Sed *Fuchsius* de componendis medicament. *Sect.* 15. *de Unguentis*, & *Præpositus* particula 20. *lib.* 2. pondus restituerunt, scilicet singulorum unc. 3. Præterea cùm *Myrepsus*, & alii qui hoc Unguentum à *Myrepso* desumpserunt, tres tantum libras aquæ determinarunt ad infusionem & decoctionem radicum & seminum (licet in aliquibus *Præpositi* libris. 7. libræ legantur) maximè meo quidem judicio falluntur hi, cùm totæ radices, & semina sint in pondere duarum librarum & trium unciarum, sunt tantum unciæ decem & semis aquæ pro unoquoque simplici, quæ non sufficiunt, cùm tribus diebus continuis igne lento macerari debeant ante decoctionem: quæ aquæ proportio tum infusionis tum coctionis tanto spatio posset consumi, & radices & semina aduri defectu humoris. Unde (salvo meliori judicio) si hoc unguentum voluerint Pharmacopœi conficere, ut author præscribit

scribit legendum erit, aquæ lib. 8. aut novem, secundum regulam *Servitoris*. Sed quia in dictis simplicibus est humiditas satis multa, ut quæ portionis alicujus aquæ vices suplere possit, non tam exactè juxta regulam *Servitoris* quinque lib. cum sem. aut sex ad summum contenti esse poterunt, si perfectam velint habere mucaginem, ne radices & semina urantur infundendo & coquendo. Nam ea regula cùm sit universalis, modificatione tamen aliqua conscribi potest, pro ratione corporum coquendorum, quæ quantitas aquæ melior & certior sit ad seminum & radicum mucagines extrahendas: id quod maximè à peritorum artificum, & probatorum authorum judicio dependet. Rursus notandum, *Myrepsum* quærere solùm lib. 1. mucaginum coctarum ad crassitiem: coctæ verò, vult, ut consumantur cum oleo prædicto. Revera facilè lib. 1. mucaginum potest cum libris duabus olei coqui, sed quantitas radicum & seminum hoc loco descripta mihi videtur excedere ad libram mucaginum conficiendam. Nam est regula generalis apud omnes Pharmacopœos, authoritate *Servitoris* & *Præpositi*, ad mucagines conficiendas, ut pro libra una aquæ, sumamus unc. 3. ad summum unc 4. radicum vel seminum.

Vires à *Myrepso* notatæ.

Ad nervorum interciſionem, lateris dolores, omnémque incontinentiam, & duritiem nervorum, atque reſolutionem utile eſt.

CAP. VIII.

Unguentum *Agrippæ Myrepsi* ex Sectione 3. de Unguentis, num. 43. Usuale.

Veræ *Myrepsi* descriptionis pars media.

[a] *Bryoniæ radicem hoc loco sume.*

℞. [a] Bryoniæ, lib. sem.

Radices Althææ Sylvest.

[b] *Scyllæ laminas albas cultello eburneo divisas accipe.*

[b] Scyllæ, Singul. lib. 2. sem.

[c] *Iridis* Illiricæ *radices recentes accipe: vel illarum loco nostrates sume.*

[c] Iridis, drach. 6.

Radicis filicis,

[d] *Ebuli radices intellige.*

[d] Ebuli,

[e] *Tribuli marini radicum medullam cape.*

[e] Tribuli marini, singul. unc. sem.

Tusa hæc imponantur in

[f] *Oleum Olivarum antiquum & maturum accipe.*

[f] Olei, libr. sem.

Et subigantur simul ac reponantur in vase diebus tribus: dein injiciantur in lebetem, & bulliant, subactáque jam probè colentur, siccáque abjiciantur, liquidum autem in lebetem conjiciatur, & adde

[g] *Permulti ceræ, unc. 1 drach. 1. legunt: alii unc. 2. & melius, ratione dosis Olei. Multi ceram albam hoc loco sumunt, sed præstat citrina, ratione caliditatis.*

[g] Ceræ puræ, unc. 3.

Sic paratum reconde in vase.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

REcentes omnes radices tempore & loco legantur, térque aut quater abluantur, ſemper aquam mutando, ſindonéque munda abſtergantur, & in minutiſſimas partes incidantur, deinde omnes per ſe in mortario lapideo piſtillo ligneo tundantur perfectè, fictilíque plumbato ſtricti orificii unà cum Oleo, ſpatio trium dierum, aut (ut alii octo) ut melius & efficacius macerentur, ſuper cineres calidos conſtituantur, & vas diligenter cooperiatur, interdum tamen ſpatula agitari debent, ut melius imbuantur, deinde maceratione peracta coquantur ad humidi conſumptionem, vel donec tota humiditas radicum ſit conſumpta, & oleum, dum cum radicibus coquitur, totam vim radicum imbiberit. Mox dum calet, percoletur, & radices ſiccæ projiciantur. Liquidum oleum rurſus ſuper ignem levem apponatur: ſtatim cera conciſa ad liquandum injiciatur: qua liquata refrigeſcere ſinito agitando, refrigerato ad uſum in pixide ſervato.

Circa hoc unguentum notandum *Alexandrinum lib.* de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, *cap.* 995. & *Præpoſitum lib.* 2. *Particula* 20. non convenire in ſimplicibus, neque in ponderibus, illorúmque deſcriptiones ab hac *Myrepſi* maximè differre. Uſualis tamen & vera deſcriptio eſt *Myrepſi*, quia primus eam uſurpavit & deſcripſit. Quantum autem ad ſimplicia loco radicis Althęæ, ponunt alii (& melius) radicem Cucumeris aſinini, quæ purgatrix eſt, & ideo facit, ut multi medici præſcribant ad hydropicos. Quantum ad doſes ſic variant: nam alii Bryoniæ lib. 2. radicis Cucumeris aſinini lib. 1. Scyllæ unc. 6. Iridis unc. 3. radicis Filicis, radicis Ebuli & Tribuli marini an. unc. 2. olei Olivarum maturi & antiqui lib. 4. Ceræ unc. 15. Quod verò ſpectat ad confecturæ rationem, videtur deſcriptio *Myrepſi* deficere in quantitate olei pro quantitate ſimplicium, & ſimiliter in cera pro quantitate olei. Itaque addendum mihi videtur oleum in majori quantitate & ſimiliter cera pro ratione olei. Et quia in hoc *Myrepſi* ad coctionem radicum tantæ quantitatis, & earundem macerationem non poſſet eſſe adhuc ſufficiens quantitas olei, non erit præter rem aliquid liquoris permiſcere, vini ſcilicet, vel aquæ, ne uratur oleum. Vinum tamen in hoc præſtat.

Præpoſiti vera deſcriptio, mihi frequens & uſualis.

Vires à *Myrepſo* ſcriptæ.

Ad Hydropicos, lienoſos & ventre dolentes (iis enim abſterſorium fit) utile.

CAP. IX.

Unguentum Roſatum *Meſuæ* ex 11. Diſtinctione de Unguentis & Emplaſtris, interdum Uſuale.

Textus *Meſuæ* verus.

Rc. [a] Axung. porcinæ recentis quantitatem quam volueris.

Et lavetur in aqua calida nonies, & tantundem cum aqua frigida, lavatione ultima: deinde terantur cum ea,

[b] Roſarum rubearum recentium quantum ipſa eſt.

[a] *Quamvis diximus axungiam ſumi pro veteri & ſalita pinguedine porci, hic tamen recentem intelligere oportet, quæ vulgo* (ſain doux) *dicitur & per quantum volueris, lib.* 8. *intellige.*

[b] *Roſas albas permulti accipiunt: & per* quantum ipſa eſt, *videlicet, ex pinguedine, hoc eſt, lib.* 8.

Et

Et dimittantur marceſcere per dies ſeptem : deinde coquantur cum facilitate & colentur. Et iterum tantundem Roſarum teratur & dimittatur per alios ſeptem dies & funde ſuper ea,

[b] *Per partem dimidiam lib. 4 accipe.*

[b] Succi Roſarum circiter Partem ſem.

[c] *Oleum Amygdalinum ſine igne factum accipe : ſufficit lib. ſem. ſi vis Unguentum facere, ut experientia docti ſumus.*

[c] Olei Amygdalini. Part. 6.

Et iterum coquantur cum facilitate, uſq; ad ſucci conſumptionem, deinde reponatur & adminiſtretur : & quandóque diſrumpitur in Aqua roſata parum opii, & projicitur in decoctione, & eſt mirabile, ubi oportet, & propriè quando vigiliæ adſunt.

SCHOLIA.

VT docuimus antea *Sect. prima cap.* 2. accipe axungiæ porci recentis & à membranis exactè purgatæ lib. 8. quam probè in vaſe fictili plumbato, lati orificii, ſemper ſpatula lignea tractando, nonies aqua calente lavabis, donec frigeſcat axungia, aquam ſemper cùm frigida erit, ejiciendo, & aliam calidam aſſumendo, & toties poſtea aqua frigida tractando lavabis ſemper innovando aquam : deinde cum optimè lota erit, in alio fictili ſtricti orificii axungia reponatur : unà cum lib. 8. Roſarum Rubearum prius in mortario lapideo vel marmóreo cum piſtillo ligneo tuſarum, diligentérque fictile cooperiatur, & igni lento, nempe cineribus Calidis aut diplomati per modum infuſionis, diebus ſeptem appones, & concoques, ut ſit quaſi non coctio, ſed potius maceratio, & humidi ſuperflui conſumptio, radicalis verò Roſarum reſervatio. His peractis totum extorquendo calide coletur, & colaturæ tantundem Roſarum rubearum recentium, ut prius contuſarum, in vaſe prædicto cooperto unà cum ſucci Roſarum lib. 4. ſpatio ſeptem dierum cineribus calidis, aut diplomate, ut omnia ſimul macerentur, & tota Roſarum humiditas, & ſuccoſa ſubſtantia in axungiam abeat, iterum repones, & ut prius concoques. Tum axungiam colabis, & ſiccis Roſis abjectis refrigerari permittes, & diligenter axungiam ita paratam vaſe nitido cooperto ad uſum ſervabis.

Noſtrum vulgus dempto oleo Amygdalarum & opio, iſtud Ungentum conficit. At ſi quærat quis, quare oleum & opium prętermittamus, dicemus. Oleum magis liquidum Unguentum reddere, ob magnam olei copiam, nam ſi addere volumus ſecundum authoris intentionem, revera ſufficiunt ad hoc Unguentum parandum unc. 6. vt in margine videre erit. Opium verò poteſt ex præſcripto medici, & non uſualiter, admiſceri, ad errores vitandos, diſſolutum cum pauca aqua Roſacea.

Vires à *Meſue* denuntiatæ.

Sedativum inflammationum, & Eryſipelatis, & ignis Perſici : & confert ſodæ Calidæ, & inflammationi ſtomachi & hepatis.

CAP. X.

Unguentum Inulatum ex 20. particula *Præpositi*; Usuale.

Verus *Præpositi* textus.

℞. Radicis Inulæ campanæ coctæ cum aceto & pistatæ ut decet. lib. sem.

[a] Axungiæ porci unc. 1.

[b] Olei communis unc. 1. sem.

[c] Ceræ novæ unc. sem.

[d] Argenti vivi extincti.

Terebinthinæ lotæ ana unc. 1.

Salis communis pulverisati. drach. 2.

Incorporentur ut decet.

[a] *Axungia vetus & salita hoc loco sumenda, ratione caliditatis & virtutis deficcativæ. In alio unc. 1. sem.*

[b] *Oleum commune vetus & maturũ Olivarũ sume, & loco, unc. 1. sem. legendum unt. 2.*

[c] *Ceram citrinam intellige.*

[d] *Argentum vivum extinctum, & à plumbo separatum accipe: modum autem separandi & incorporandi, vide infrà ubi agitur de argento vivo: verùm loco argenti vivi hic nonnulli tantundem sulphuris adduunt, ubi sola intentio est resiccandi & abstergendi.*

SCHOLIA.

RAdices inulæ tempore & loco collectæ in aqua clara laventur, donec omnes sordes deposuerint: deinde linteolo mundo & rudi detergantur, frustulatimque incidantur: & in fictili cum aceti lib. 3. secundum communem usum coquantur: quia tamen acriorem quandam qualitatem acetum cum radicibus coctum acquirere potest, & absumere inulæ coquendo quandam virtutis portionem, melior videtur prima coctio, & veluti cruditatis effractio, si fiat cum aquæ media parte: perficienda verò sub finem aceti reliqua portione, donec totus liquor absumptus, & coctæ radices sint. Postea refrigescere permitte super cribrum rarum, ut liquid superfit aquæ & aceti effluat: ubi refrigeratæ erunt, in mortario lapideo pistillo ligneo (non autem æreo, nec metallico propter aceti vim, alias enim longè diversam qualitatem acquireret) contundes: tandem dicto raro cribro, manu vel spatula comprimens lignea, transcolabis & colatum cum axungia porcina in fictili lati orificii concoques igne lento, spatula semper inter coquendum agitando, donec pars superflua liquoris in auras abeat: & continuo salem optimè pulverisatum & cribratum commiscebis, paulò post ceram cum oleo liquatam conjunges (alii ceram cum oleo liquant, qua liquata radices colatas & ad humidi superflui consumptionem coctas una cum axungia, & prædicta cera jungunt. desuper salem optimè pulverisatum inspergunt.) Tunc totum ab igne sepones, & ubi omnia bene commixta optimèque refrigerata erunt, argentum vivum cum hominis jejuni saliva probè incorporatum & cum Terebinthina involutum permiscebis, prius tamen aceto maceratum diligenter frequentérque agitatum in mortario marmoreo cum pistillo ligneo spatio unius horæ, vel donec acetum sordes crassas argenti vivi imbuerit: tunc acetum istud dejiciatur & aliud clarum ac nitidum imponatur, agitetúrque ut prius, hæcque agitatio seu maceratio ter aut quater repetetur semper innovando acetum pro quacumque vice: agitatione autem facta si aliquid in eo terræ aut plumbi aut stanni sit, id ut auferatur transcolari debet per alutam comprimendo. Sícque paratum ad usum unguentum habebis fictilíque reservabis. Cæterùm notandum erit authorem petere Terebinthinam

Argenti vivi depuratio, secundum scopum compositionis.

thinam lotam. Sanè ego habeo ex doctrina medicorum integram meliorem esse, ut quæ, cum amarorem & caliditatem retineat, permeabilior sit, & majoris virtutis ad penetrandum & deficcandum.

Argenti vivi.] Chymistæ argentum vivum mercurium vocant: alii hydrargyron, alii præcipitatum: alii matrem metallorum & mineralium: alii cinnabarim. Verum argentum vivum nihil aliud est, quàm aqua viscosa in visceribus terræ, subtilis, terræ albæ temperati caloris virtute exquisitè permista, perque minima, quousque humidum fuerit temperatum à sicco, & siccum ab humido æqualiter. Alii per se inveniri in argenti fodinarum tectis stillatim concretum asserunt. Est autem duplex: Nativum, scilicet, & artificiale: Nativum sui coloris sine excoctione, quod tale reperitur intra metalla, in lacubus, in quos è fibris effluxit. Artificiale ex minio, sive ex vena minii conficitur, seu coquitur, ad eum modum quem *Dioscorides tradit, lib. 5. cap. 70. & Plinius lib. 33. cap. 6. & 8.* Quod si plura requiris, lege eosdem authores, & pariter *Lodoicum Cælium lib. 26. cap. 30. Fuchsium lib. 9. de Simp. medicament. facultatibus Sect. 3. cap. 32.* Notandum tamen erit argentum vivum, dum est liquidum, crudum & vivum appellari: dum est mortificatum in quibusdam officinis concrematum dici, & à nobis Sublimatum. Efficitur etiam à nobis præcipitatum cum aqua forti, coctione, ad evaporationem ipsius aquæ, videlicet, ex P. 3. argenti vivi & aquæ fortis P. 1. quod in officinis nostris argentum vivum rubeum vocatur. Extinguitur, seu incorporatur sic: Accipe argenti vivi quantum volueris, & mortario metallico impone, & diutissimè pistillo ferreo agita cum pauca hominis jejuni temperati saliva, vel cum pauca axungia Porcina, Ursina, oleo Terebinthinæ, Juniperi, Butyro recenti, Sulphure vivo, & cocto pulverizato, Styrace liquida, Castoreo liquido, Terebinthina, & cum pluribus aliis simplicibus pro diversis medicandi scopis, donec nullæ scintillæ appareant. Sicque extinctum vel dissolutum commiscere poteris, scilicet in omnibus unguentis aut emplastris, cum refrigerata fuerint. Sed antequam extinguatur, debet eligi. Eligitur autem & probatur nativum, seu fossile à plumbo depuratum: cujus depuratio talis erit. Accipe alutam fortem, & satis amplam pro quantitate argenti vivi, & in eam argentum vivum include: inclusum & alutam optimè ligatam manu stringe & comprime in aliquo vase, statimque videbis argentum vivum ab aluta exire, & plumbum si adsit remanere in aluta.

Argenti vivi varia nomina.

Argentum vivum quid, variæ opiniones.

Argenti vivi duo genera.

Per officinam hoc loco intellige locum ubi metalla præparantur.

Argenti vivi extinctio, seu incorporatio.

Argenti vivi antequam extinguatur translatio.

Vires à quibusdam Medicis notatæ.

Ad omnimodam scabiem carnis ex humore melancholico factam, & salsa putrefacta pituita, admodum utile.

CAP. XI.

Unguentum Diapompholygos *Alexandrini* ex lib. de compositi. medicament. secundum loca, cap. 1038. Usuale.

Alexandrini veri textus pars media.

℞. [a] Olei Rosati,

[b] Ceræ albæ, an. unc. 3.

[c] Succi fructus uvæ lupinæ quod sufficit,

[a] *Oleum Rosarum immaturum descriptum ab* Alexandrino, *accipe, & loco unc. 3. olei legendum est unc. 9. vel unc. 10.*

[b] *Ceram albam crudam, & lotam intelligit author: sed ejus loco nostram albã factitiã usurpamus.*

[c] *Per uvam lupinam, intellige solanum hortense, & per quantum sufficit unc. 4.*

[d] *Per psimmythium Cerusam lotam cum aqua Rosarum intelligit: modum autem lavandi require supra* prima Sect. cap. 12.

[e] *Pompholyx vel spodium videlicet,* Græcorum: *sed præstat in hac compositione pompholyx quàm spodium, quia magis subtilis minúsque sordida quam spodium: quid autem sit pompholyx & spodium, & quommodo differant, lege infrà, ubi agetur de pompholyge.*

[f] *Per Olibanum purum Thus masculum accipe.*

[d] Psimmythii, unc. 1.

[e] Pompholygos vel spodii,

Plumbi usti & loti,

[f] Olibani puri, an. unc. sem.

In oleo Ceram lento igne liquefac, & ab igne subductis specierum pulverem adde, & in marmorea pila diutius commisce, sæpius suprascriptum succum superfundendo, cúmque per quinque aut sex horas ad solem cum pistillo subacta fuerint, in loco frigido coaguletur: si quid succi supernataverit abjiciatur: & linteo inductum locis vulneratis impone.

SCHOLIA.

SUcci à maturis baccis solani extrahe quantitatem sufficientem, videlicet, unc. 4. (quanquam tamen nonnulli existimant ab immaturis extrahendum tanquam à magis astringentibus & refrigerantibus, quod ego aliter puto) & cum oleo Rosaceo in lebete igni lento excoque ad succi consumptionem, spatula assiduè movendo (sunt autem qui succum addendum putant, ut eo nutriatur calide cerusa & reliqua, simplicia dempto Olibano) deinde Ceram frustulatim divisam in prædicto oleo, ut liquescat injicito: qua liquata lebetem ab igne sepones & spodium, plumbum, & cerusam separatim tritam & levigatam, semper spatha agitando, ut probè commisceantur conjicies: quibus optimè commixtis & omnino refrigeratis pulverem tenuissimum Olibani insperges, & subiges, eousque dum omnia sint optimè mixta & confusa, ita ut unum ab altero discerni minimè possit: hac enim methodo unguentum secundum artem habebis factum.

Animadvertemus autem in hoc unguento quantitatem olei non sufficere ad perfectam omnium consistentiam, & unguenti formam, nisi ultra authoris descriptionem addentur olei unc. 6. quod ego certè facio, dum illud paro, eo quod nimis siccum & durum esset, nisi tantum olei adderetur, aut aliquid de cera detraheretur. Pariter notabimus *Alexandrinum* non præscribere pondus succi uvæ lupinæ cùm dicit quod sufficit, sufficiunt tamen pro quantitate olei unc. 4. Idem *Præpositus* 20. Particula lib. 2. illud unguentum describit, consentitque cum *Alexandrino* in simplicibus, sed in ponderibus minimè, quæritque *Alexandrinus* ceram simpliciter, *Præpositus* verò ceram lotam, quæ sane lavari debet propter acrimoniam à melle contractam, huic unguento minimè convenientem. *Galenus Tract.* 20. *ad Glauconem,* capite de curatione cancri, seu cancrosi ulceris, unguentum istud describit ab eo *Alexandrini* maximè diversum.

Plumbum quid. Plumbi tres species. Plumbū album antiquorum quid Plumbi secundum Avicennam duæ species. Plumbi nigri origo.

Plumbi Usti & Loti.] Plumbum corpus est metallicum, lividum, terreum, ponderosum, modicè particeps albedinis. Nec reperitur in fodinis purum plumbum, cujuscunque sit coloris. Quod excoquitur triplex, scilicet, Nigrum, quod verum est plumbum: Cinereum, quod *Fallopius lib. de Metal. seu de Fossi. cap.* 22. Marchesitam librariorum vel impressorum vocat: quod nihil aliud esse videtur quam stybium Candidum quod est stannum, & antiquorum plumbum album. *Avicen.* 2. *Canone, cap.* 2. duas tantùm species definit. *Plinius* antiquis duplex esse ait (cum ipse tria genera ponat,) Nigrum & Cinereum: Nigrum fit ex lapide pyrite coloris argentei: nam pyrites ille argentei coloris argentum continet & æs: aliquando solum æs, aliquando

argentum

argentum solum, aliquando utrúmque simul, aliquando argentum & plumbum nigrum, aliquando plura metalla, aliquando omnino sterilis reperitur pyrites. Cinereum verò distat à nigro & candido plumbo colore: estque quasi sui generis metallum, quod *Græci*, tum *Latini* scriptores ignorasse videntur. Quod candidum vere est plumbum, impropriè à vulgaribus plumbum nigrum appellatur. Candidum verò plumbum stannum illis dicitur. Tamen non sunt eadem, ut hactenus voluerunt stannum & plumbum candidum. Nam stannum ex terra effoditur & in mineris invenitur in frustra divisum, testis *Serapio lib. aggregat. cap. Femezeg.* Sed plumbum nostrum candidum ex Galena in quibusdam locis conflatur, ut plumbum nigrum. Et ut vult *Plinius lib. 34. cap. 16.* coquitur ex lapillis nigris candore variatis, qui lapides nigri nonnullis locis magni reperiuntur: interdum verò ut arena, scribitque in *Britannia*, item in *Gallitia* provenire, cùm in *Gallitia* minimè fiat nigrum. Sed de plumbo & illius generibus & origine satis, si plura requiris, consule *Galenum lib. 9. Simplic. medicament.* Et *Plinium lib. 34. cap. 16, 17, 18. Dioscor. lib. 5. cap. 47. & 48. Georgium Agricolam & Fallopium.* Nunc de ejus præparatione est nobis dicendum, quæ fit duobus modis: ustione & lotione. Vritur autem secundum *Dioscorid. lib. 5. cap* 56. hoc modo. Super tenuissimas plumbi laminas fictili novo inditas, sulphur inspergito: additisq; rursus aliis laminis, interjecto semper sulphure, donec vas expleveris succendito: flagrans autem jam plumbum ferrea rude versato, donec perfectè redigatur in cinerem, nihilque è plumbo non ustum hæserit: tum demum obstructis naribus extrahito: alioquin fumus plumbi maximè noxius sentitur. Sic *Dioscoridis* & *Servitoris* sententia plumbum uritur, sed hujusmodi ustio difficilis admodum nobis videtur propter damnum, quódque cinerem nigrum reddit, & depravat colorem Unguenti si observare volueris. Illa sequens ustio quæ fit absque sulphure, perfacilis est, minimèque nocua. Vas fictile non vitreatum (ne inter urendum quid adhæreat) accipito, & furno fusorio, ubi sint carbones accensi appone: idque fictile carbonibus ardentibus undique circunda, in eóque quantum plumbi volueris impone, & liqua: quod illico fiet. Prius tamen bis aut ter in aceto fortissimo plumbum extinguatur, quæ extinctio similis est extinctioni lapidis calaminaris, & tutiæ *Græcorum*: de qua vide infrà in Unguento desiccativo. Liquato plumbo ignis augeatur, & ferrea spatula semper agitetur, paulatim à lateribus vasis spumam ejiciendo, quousque totum in spumam devenerit, nihilque è plumbo usto adhæserit. Spumam autem illam, quæ veluti cinis, & revera cinis est, in dicto furno, ignem augendo, circumcirca concóques, donec colorem retineat album citrinitati permixtum. Hac enim methodo non nocebit, nec nigrum erit. At quia *Alexandrinus* plumbum ustum & lotum requirit, sic præparatum lavari debet, quamvis in eo mordacitas aut acrimonia nulla sit. Sed est intentio *Alexandrini* fortasse ipsum lavare, ut tenuius sit, & sic facilius permeet poros cutis, dum parti alicui applicatur, vel ut nova qualitas per ablutionem addatur, aut auferatur, vel ut corrosiva & acris vis in eo arte acquisita tollatur. Scio autem (ut prædixi) non esse acre neque corrosivum, nec edit effectum calidum aut siccum ante ustionem, sed ex sententia *Galeni* potius frigefacit & humectat. Quod si verò volueris ipsum lavare hoc modo lavabis. Accipe cinerem plumbi tali modo, ut jam diximus factum, & illum in mortario marmoreo desuper parum aquæ cœlestis vel Rosarum affundendo aliquot horis pistillo ligneo, vel spatula lignea agitato, donec aqua sit fœculenta vel turbida, quam dejicies in quoddam fictile, & aliam aquam iterum affundes, & ut prius tractabis ac movebis, semper aquam turbidam & fœculentam dejiciendo in supradictum fictile usui futurum, & aliam in mortarium itidem infundendo, atque hæc toties repetes, donec pars subtilior plumbi usti assumpta sit cum prædicta aqua effusa: crassior autem pars, quæ residet in fundo mortarii rejiciatur tanquam plumbi sit excrementum nulliúsque efficaci. Tunc totam partem subtiliorem plumbi usti, quæ cum aqua assumpta fuerat quiescere permitte, quousque ea clara & sincera videatur, & plumbum ustum in fundo fictilis residere, quod sub dio siccabis: siccatum ad usum servabis. Alii hac lavandi utuntur ratione. Pulverem plumbi usti in mortario infusa aqua agitant, donec ea aqua plane sit turbida, quam tum residere & clarescere permittunt, & tunc demum ejiciunt, nec in alio vase conservant: idque sæpius iterant, dum aqua non amplius turbetur,

Plumbi cinerei origo.

Stannum & plumbum candidum inter se differunt.

Stanni origo.

Plumbi candidi origo.

Plumbi ustio secundum Dioscor. *& Servitorem.*

Plumbi ustio perfacilis.

Plumbi usti lotio.

sed

sed prorsus clara & indefœcata appareat. Tunc denique quod in fundo mortarii residet, id ad usum reponunt. Qua ex lotione ego quidem judico subtiliorem plumbi partem à crassiore exactè separatam non esse: nec id sedimentum authoris menti respondere: neque pro facultate huic Unguento adscripta, satis desiccare. Cum igitur à medicis præscribetur plumbum lotum sic priori modo lavabis, mutando tamen liquorem pro scopo compositionis, & intentione medici.

Pompholygos vel spodii.] Pompholyx, Tutia *Arabibus* dicta. Vera autem Pompholyx cinis est metallicus, levissimus, qui ex æris, vel Cadmiæ favilla in summitate fornacum, aut parietibus, vel etiam domunculorum, extrà farinæ modo dispergitur, quod septasiis Nil album vocatur, & à *Germanis* Nili pinguis: estque is cinis candidus & usqueadeo levis, ut in auras evolare possit. Alii volunt quid album esse (quasi bullam seu ampullam, unde nomen apud Græcos sortitur) purum, pingue, ac leve: quod colligitur & fit in summitate fornacum, differtque secundum diversitatem metallorum, & ratione locorum in quibus colligitur: ut si in oris fornacum, tum Cadmia capnitis: si à lateribus & summis cameris est pompholyx: pars quæ in summitate dependet pompholyx etiam dicitur: pars verò quæ parietibus & pavimentis adhæret spodium appellatur (ut sæpissimè in hac urbe, vico divi *Martini*, & in pluribus locis observavimus in fornacibus, ubi æs conflatur) differtque pompholyx sola specie, candore, vel levitate, non genere, à spodio. Siquidem spodium magis nigrescit, & ponderosum pilisque plenum est, tanquam excrementis collectis ab ærariarum officinarum, & fornacum pavimentis. Materia autem pompholygis & spodii est æs, vel lapis calaminaris, qui *Arabicè* climia: & *Græcè* Cadmia dicitur. Probatur autem pompholyx *Cypria*, quæ superfusa aceto halitum æris præstat, colore aliquantulum piceo, sapore cœni, horrido, & statim si fraudem non est experta flagranti imposita carboni inferveſcit, & cœruleum colorem contrahit. Cujus secundum *Dioscoridem lib. 5. cap. 46.* duo fuerunt genera. Unum ad æris colorem vergens, subpingue: alterum candidum & maximè leve. Candida enim fit pompholyx, quoties in perficiendo ære fabri præstantius facere volentes detritam Cadmiam cumulatius inspergunt: namque levissima favilla, quæ defertur, in pompholygem coit. Hæc *Dioscorides, lib. & cap. citato.*

Pompholyx vera quid.

Pompholygis, Cadmiæ, capnitis, & spodii origo.

Pompholygis, & spodii differentia.

Pompholygis electio.

Pompholygis genera duo secundum Dioscoridem.

Vires ab *Alexandrino* desumptæ.

Ad exiccanda Erysipelata, vulnera sordida, & ad sananda tibiarum ulcera aliorumque locorum concava, vel dissipata replet, refrigerat & cicatrizat.

CAP. XII.

Unguentum Apostolorum *Avicennæ* lib. 5. Summa prima tractat. 19. de Unguentis & Emplastris, Usuale.

Verus *Avicennæ* textus.

℞. [a] Terebinthinæ.

[b] Ceræ albæ.

[c] Resinæ. Omnium. ana drach. 14.

Opopanacis &

Floris æris. Amborum, ana drach. 2.

[d] Ammoniaci. Pondus. drach. 14.

[a] *Terebinthinam illam quæ è Terebintho fluit sponte, quam sol non attigit, sume.*

[b] *Ceram albam naturaliter &* Ponticam *author intelligit, sed ejus loco nostrâ albam factitiam usurpamus.*

[c] *Resinam illam quæ sponte fluit è Terebintho, & solis calore condensatur, hoc in loco sume, ac in omnibus cõpositionibus ubi resina requiritur.*

[d] *Per Aristolochiam longam, radices intellige.*

Aristo-

Aristolochiæ longæ, &

Thuris Masculi. Amborum, an. ʒ. 6.

Myrrhæ, &

Galbani. Amborum. an. drach. 4.

[c] Bdellii. Pondus, drach. 6.

[f] Lithargyrii. Pondus, drach. 9.

Infundatur Bdellium in [g] Aceto vini & decoquantur in æstate, cum

[h] Olei, libr. 2.

Et in hyeme, cum libr. 3.

[c] *Bdellium molle accipe.*

[f] *Lithargyrium aureum sume.*

[g] *Acetum vini dixit author, ad differentiam aceti compositi ex ficubus, & aliis fructibus, ut docet* Columella lib. de Re Rustica, *ita tamen sit acetum vini, ut nihil redoleat vini, alias non esset acetum verum: quia acetum est vinum mortuum.*

[h] *Oleum Olivarum maturum & insulsum accipe, sufficiunt que æstate sive hyeme lib. 2.*

SCHOLIA.

LIthargyrium (ut antea in Emplastris diximus) electum, tritum, & præparatum, in lebete cum unc. 2. olei prædicti, spatio quinque horarum, aut sex nutriatur: deinde igni lento ad mellis crassitiem, vel ad unguenti mediocriter duri formam coquatur, spatula semper agitando, ne in vasis fundo subsideat, subsidendóque uratur: quod ubi coctum, & ab igne depositum fuerit, ceram in minutissimas partes divisam, & in reliqua parte olei liquatam, unà cum resina confracta calidè affundes & refrigerare permittes: ubi hæc refrixerint, Ammoniacum, Galbanum, Opopanacem, Bdellium (si molle sit, si verò siccum, in pulverem tenuissimum rediges, & in numero pulverum collocabis) arte soluta, & cocta in Aceto aut Vino, ut superioribus Emplastris & Unguentis solvendi & coquendi modum docuimus, & cum Terebinthina incorporata immiscebis. His itaque optimè commixtis, & omnino refrigeratis, pulveres tenuissimè per se tritos, ut Aristolochiæ longæ, Myrrhæ, Thuris permiscebis, semper spatula agitando. Hoc itaque modo paratum habebis unguentum, addendo pulverem tenuissimum floris æris.

Vires ab *Avicenna* descriptæ.

Latificans cum facilitate fistulas difficiles, scrophulas parvas, nec est aliquid simile ei, & mundificat vulnera ex carne mortua & pus, & consolidat.

CAP. XIII.

Unguentum desiccativum rubeum ex 20. Particula secundi libri *Præpositi*, Usuale.

Præpositi vera descriptio.

℞. [a] Lapidis calaminaris,

[b] Terræ sigillatæ, an. unc. 4.

[c] Lithargyrii Auri,

[d] Cerussæ, an. unc. 3.

Camphoræ, drach. 1.

[c] Ceræ,

[a] *Lapidem calaminarem illum quam cadmiam lapidosam appellamus, extinctum, & lotũ sume,*

[b] *Terrã sigillatam illã, quam sacerdotes* Dianæ *signabant imagine* Dianæ *in cujus tutela erat, vel illam terram, quam caprino sanguine miscebant, hoc loco sume, sed quia vera ad nos non defertur, Bolum Armenam ejus loco usurpamus.*

[c] *Lithargyrium lotum accipe*

[d] *Cerusam lotam cape.*

[e] *Ceram albam naturaliter & Ponticam hoc loco intelligit author, sed ejus loco albam factitiam usurpamus, & loco unc. 5. legendum, unc. 4.*

[f g] *Oleum Rosarum rude, crudum ac immaturum, & Violatum à Mesue descriptum accipe.*

[e] Ceræ, unc. 5.

[f] Olei Rosati,

[g] Olei Violati, an. unc. 6.

Fiat Unguentum.

SCHOLIA.

CEram frustatim divisam, unà cùm Oleis, lento igne ut solvatur, cacabo impones (melius, si solveretur, cum solo Rosato crudo, deficcationis causa) in quam solutam ab igne depositam, & refrigefactam, projice tenuissimum pulverem simplicium per se pulverisatorum ut, Lithargyrii, Ceruſæ, Lapidis Calaminaris, terræ sigillatæ (aut succedanei ejus) spatula lignea semper movendo. Paulò post, Camphoram unà cum pauco Oleo Rosato crudo, vel cum pauca aqua Rosacea dissolutam. Sunt qui in hoc unguento conficiendo levi igne Lithargyrium, & Cerusam, unà cum oleis ad syrupi mediocriter cocti consistentiam spatula ducendo decoquunt: deinde ceram confractam in Lithargyrio cocto solvunt, & ubi omnia ferè frigida sunt, pulveres reliquorum simplicium admiscent: post Camphoram arte solutam addunt. Utérque modus optimus: sed prior officinis nostris & usitatior est, & certior.

Cæterùm notandum erit, deficcativum rubeum (licet rubeum in titulo describat) nisi loco terræ sigillatæ, Bolus Armenia admisceretur, verè rubeum esse non posse.

Lapis calaminaris quid.

Lapidis Calaminaris.] Lapis Calaminaris *Arabice* dicitur Climia, & *Græce* Cadmia, tamen vulgò eadem sunt nomina: dicitúrque noster lapis verus calaminaris Cadmia lapidosa, vel æraria, quia artifices eo utuntur ad componendum æs luteum, quod Orichalcum appellamus, (vulgo *Lethon*) quamvis plures sint Cadmiæ species. Cadmia autem duplex; nativa, & factitia: Nativa iterum duplex: una quæ reperitur in montibus, & rivulis, necnon aliquando in torrentibus: & plures Iridem gemmam esse existimant, quæ à quibusdam crystalli radix dicitur. Altera in fodinis metallorum reperitur, fossilis, & lapidosa metalli expers, & Pharmacopœis lapis verus Calaminaris nuncupatur, qui admodum durus, sublutei coloris, & accensus luteum edens colorem: sine eo Orichalcum confici non potest, isque hoc loco est sumendus. Estque ille lapis bicolor, quem *Albertus Magnus* Lapidem dæmonis appellat. Factitiæ autem Cadmiæ quinque sunt species. Prima Botryitis, quæ duplex: una quasi acinosa, & racemosa (quæ à *Sylvio* fornicaria vocatur) in summa fornace æratiorum affixa densa, modicè gravis, in levitatem magis inclinans, colore spodii, & quæ fracta cinerulenta, & ærugino-

Cadmia duplex. Cadmia nativa duplex.

Lapidis calaminaris, vel Cadmiæ lapidosæ, electio.

Cadmiæ factitiæ, species quinque.

Botryitis species Cadmiæ factitiæ duplex.

Onychitis species Cadmiæ factitiæ quid.

Placodes species Cadmiæ factitiæ quid.

Ostracitis species Cadmiæ factitiæ quid.

Capnitis species Cadmiæ factitiæ quid.

sa apparet. Altera Botryitis species quæ fit casu in carbonibus arte & hasta ferrea, & hanc cadmiam *Alexandrinam* plurimi appellant. Secunda Onychitis, quæ ut vult *Dioscorides lib. 5. cap. 46.* à veteribus metallis effoditur Onychitæ lapidi similis. Tertia à *Dioscoride* loco citato Placodes dicitur, id est, crustosa: nam plurimis crustis, & quibusdam quasi zonis cincta est, & ob id zonitis etiam appellatur: quem *Arabes* Tutiam finissimam nominant: nobisq; Pharmacopœis ea est frequens. Quarta ab eodem *Dioscoride* loco dicto ostracitis nominatur, gracilis & magna ex parte nigra, sed quæ testaceam faciem habet & terram amplexa est, improbatur candida, quam *Arabes* Tutiam crassam appellant: nobisque etiam frequens hæc & usitata est. Quinta capnitis vocatur, id est, furnaria, quæ firme spodium sive pompholyx, sive nil est, reperitúrque in oris fornacum, & in summis fornacibus. Itaque his explicatis parva videtur esse differentia inter illas species cadmiarum factitiarum. Immò unum & idem sunt, & ex eadem materia, iisdémque viribus, fossilis cadmia lapidosa, pompholyx, & spodium: possunt tamen discerni propter diversa loca, in quibus fiunt. Quomodo autem conficiantur species cadmiæ factitiæ, lege *Dioscoridem lib. 5. capit. 46.* Præterea etiam de illarum differentiis lege *Georgium Agricolam. & Cardanum, & Fallopium* quoque *lib. de Metallis, seu Fossilibus,*

capit.

cap. 12. *& Christophorum Encelium Salveldensem lib.* 1. *cap.* 21, 22, 23. *de varietate*, & natura corporum metallicorum, lapidum & gemmarum: & alios qui de re metallica scripserunt. Et quia aliquando lotum quærit lapidem calaminarem author: sane antequam lavetur, extingui debet: sicque eum extingues. Accipe lapidem calaminarem (hoc est, Cadmiam illam lapidosam & æreriam) qui expers metalli, saporis alieni, igne manans, & qui fuliginem edit luteam vel æream, in farinam tritus, aceto subactus & in sole siccatus coit in lapidem: eumque frustatim frange fractum ac divisum vasculo fictili, quali utuntur aurarii, ad liquandum aurum impone, & vasculum in furno fusorio, ubi sint carbones accensi, appone, & illic dimitte, donec rubescat lapis: tunc ab igne aufer vasculum, & lapidem ignitum in acetum fortissimum projice, ut extinguatur, quo extincto acetum abjice: abjecto aceto rursus lapidem vasculo infunde: rursusque supradicto furno appone, ut ignetur: ignitum ab igne depone, & iterum in acetum fortissimum, ut prius conjice, ut extinguatur: eo extincto acetum ejice, eo ejecto, rursus lapidem (ut prius) in supradicto vasculo igni que supradicto appone, donec candeat: & cum candebit, ab igne sepone, & statim illum in aquam dulcem, vel pluvialem projice ut extinguatur. Extinctione facta aquam abjicies ad vices tertias semper abjiciendo aquam in qua extinctus fuerit, & aliam pro quacumque vice iterando. *Dioscorides lib. & cap. prius citato*, illum qui ad Emplastra præparatur, igniri sive accendi, extingui, & lavari jubet, in vino *Aminæo*, sed qui ad psorica medicamenta præparatur, in aceto fortissimo. Omnis autem talis, aut alia accedens præparatio, eo scopo fit, ut magis siccet, terreamque aut metallicam substantiam deponat, visque desiccativa major acquiratur: Alii secundum diversitates ægritudinum in liquore proprio illum extinguunt. Quare si quis egeat Cadmia extincta, consulerem eam extinguere secundum morbum & locum affectum patientis. Sicque extinctus, lavatur ut plumbum (cujus lotionem perquire in præce lenti capite) permutando pro quacumque vice aquam dulcem vel liquorem illi idoneum. Similiter quoque tutia *Græcorum* extinguitur & lavatur.

Lapidis calaminaris, extinctio.

Vires à quibusdam medicis descriptæ.

Ad scabiem humidam ex pituita putri & salsa solenne: eam enim exiccat, & pruritum compescit, magisque siccaret & stringeret si ex solo oleo Rosato Omphacino, & non addito oleo Violaceo conficeretur.

CAP. XIIII.

Unguentum martiatum magnum *Myrepsi* ex Sect. 3. de Unguentis numero 46 Usuale.

Vera *Myrepsi* descriptio ponderibus duplicatis.

[a] *Ceram naturaliter albam sume, qualis est* Pontica, *sed ejus loco factitiam usurpamus.*
[b] *Oleum antiquum maturum Olivarum accipe.*
[c] *Rosmarinum cum floribus cape.*
[d] *Tamaricis summitates intellige: alii loco Tamaricis, Amarici legunt.*

℞ [a] Ceræ albæ lib. 2.
[b] Olei communis lib. 8.
[c] Rosmarini.
Foliorum lauri. Singul. unc. 8.
[d] Tamaricis unc. 6.

[e] *Rutæ folia tenuiora sunt accipienda, alii loco unc. 8. habent unc. 7.*

e Rutæ unc. 8.

f Ebuli.

[f] *Ebuli folia accipe. Latini codices legunt esbrii, pro majorana.*

g Sabinæ.

[g] *Sabinæ partes tenerrimas accipe.*

Balsamitæ. Ocymi.

Salviæ. Polii.

Calaminthæ. Artemisiæ.

[h] *Inulæ radices accipe.*

h Helenii.

[i] *Betonicæ folia cape.*

i Betonicæ.

Brancæ ursinæ.

[k] *Per spargulam, apparinam intellige.*

k Spargulæ.

[l] *Per herbam venti, anemonem sylvestrem sume.*

l Herbæ venti.

Pimpinellæ.

[m] *Agrimoniæ folia accipe.*

m Agrimoniæ.

[n] *Absinthii summitates intellige.*

n Absinthii.

[o] *Per herbam* Sancti Petri, *herbam paralysis accipe: alii verbascũ odoratum accipiunt.*

o Herbæ *sancti Petri.* Sing. unc. 4. se.

[p] *Costi herbæ loco,* Præpositus *legit herbam* Sanctæ Mariæ, *quæ est secundum* Ruellium *Mentha Sarracenica, vel Ageratum* Matheoli.

p Costi herbæ.

[q] *Sambuci foliorum loco, alii cymarum sambuci.*

q Sambuci foliorum.

Sempervivi minoris.

Herbæ millefoliæ.

[r] *Sempervivi majoris, alii herbam crassulam quod est Telephium leg. Gallicè* (Orpin.)

r Sempervivi majoris.

Chamedyros.

[s] *Quinquenervia à* Præpositio *omittitur, & per quinquenerviam, plantaginem majorem vel minorem hoc loco accipe.*

s Quinquenerviæ.

Centaurii. Fragariæ.

[t] *Per Quinquefolium, vulgare nostrum vel Tormentillam intellige.*

t Quinque folii. Singul. unc. 4. sem.

[u] *Per Maluam sylvestrem Althæam vel Ibiscum accipe.*

u Malvæ Sylvest. rad.

[x] *Cumini semen, accipe.*

x Cumini.

Myrrhæ. Singul. unc. 3.

[y] *Fœnugræci semen, sume, & per exagia novem unc. 1. sem. vel drach. 12. intellige.*

y Fœnigræci. Exag. 9.

[z] *Butyrũ recens sine sale sume* Præpositus *unc. 1. drach. 2. ca.*

z Butyri unc. 1. sem.

Seminis

[*] *Per Mentham*, Sarracenicam *tellige.*

[a] *Rubiæ loco, alii Papaveris rubri legunt, quod non probo.*

[b] *Per Cardiobotanum herbam cardiacam sume:* Præpositus *Cardumcelli capit, quod explicant & dicunt esse Carduum Benedictum.*

[c] *Per Matrissyluam Author Caprifolium intelligit.*

[d] *Per herbam Moschatam, primam Geranii speciem odoratã accipe.*

[e] *Chamæmeli flores omittit* Præpositus.

[f] *Crispulam Barbari Oculum bovis interpretantur: quare hoc loco Buphthalmum* Græcorum & Latinorum *accipe: alii Cotulam non fœtidam accipiunt.*

[g] *Per herbam Caphuratam, Abrotanum, quo hodie passim pro fœmina nos omnes utimur, sume.*

[h] *Styracem Calamitem accipe.*

[i] *Axungiæ hæ omnes accipiendæ sunt recentes & non rancidæ neque fœtidæ.*

[k] *Thus Masculum vel Olibanum sume.*

[l] *Olei Nardini Præpositus legit unc. 2. videlicet,* Myrepsi *descriptionis, aut* Alexandrini; *nulla enim penitus differentia est inter oleum nardinum* Alexand. *& oleum nardinum* Myrepsi *scriptum* Sect. 16. num. 31. *sed quia videtur jam multa quantitas olei communis, si duæ unciæ addentur, dosis videbitur ad unguenti consistentiam minùs commoda. Itaque videtur oleum nardinum ad solum odorem conciliandum in pauca quantitate permixtum secundum authoris mentem.*

Seminis urticæ, Violarum,

Papaveris albi,

[*] Menthæ,

[a] Rubiæ, Menthæ agrestis,

Lapathi, Polytrichi,

[b] Cardiobotani,

[c] Matrissylvæ,

[d] Herbæ Moschatæ,

[e] Florum Chamæmeli,

Scolopendrii,

[f] Crispulæ,

[g] Herbæ Champhuratæ,

[h] Styracis,

Medullæ ossium Cervi, sing. Exag. 3.

[i] Axung. Ursinæ,

Galinæ, &

Anseris,

Mastiches, Singul. unc. 1.

[k] Thuris, unc. sem.

[l] Olei Nardini, drach. 2. sem.

Herbas tritas impone vino bono die uno: altero autem die auferè vino herbas, & contunde, conjicitóque in alterum vinum bonum, & illic sinito diebus septem. Octavo autem die accipe has cum vino, & decoque, donec dimidium ejus absumatur; dein injice oleum, & denuo decoquito, quoad totum vinum consumatur. Posthæc amoveto ab igne, & colato, atque oleum rursus in lebetem conjice: & ubi parum lento igne fuerit excalfactum, injice Styracem, postea Butyrum, & adipes, Oleum Nardinum, Mastichen, Thus, postremo omnium ceram, omnibúsque lento igne dissolutis, auferi tandem ab igne, & reconditoin vase ac utere.

SCHOLIA.

HErbæ recentes omnes, ſcilicet, calidæ, & odoriferæ, ut ſalvia, polium, calamentum, arthemiſia, abſinthium, & cæteræ aliæ ſimiles, poſtquam floruerint, vel in flore, vel poſt deperditum florem colligantur: quæ verò frigidæ & humidæ, ut duæ ſpecies ſempervivi, quinquenervia, & aliæ ſimiles, cùm juſtam magnitudinem aſſequutæ fuerint, legantur: & à caulibus purgentur. Calidas & odoriferas ſeparatim à frigidis & humidis minutiſſimè incides, ac probe contundes, poſtea eas omnes fictili ſtricti orificii cum lib. 14. vini odoriferi ſpatio octo dierum ad infundendum, unà cum radicibus inciſis & tuſis, Althææ & Fœnugræci ſemine non contuſo, cineribus calidis appones, vaſe tamen obturato. Alii per ſe aliquot horis infundunt Althæam & Fœnugræcum ad mucaginem conficiendam: confectam autem mucaginem, poſtquam cera eſt liquata, refrigeratáque cum oleo conjungunt. Peracta autem infuſione in lebete ad mediæ partis vini conſumptionem, igne lento decoque. Deinde oleum commune antiquum prædictum adjicies, & denuo omnia ſimul eodem lento igne concoques, donec totum vinum & aqueus humor herbarum in vaporem reſolvatur. Tunc linteolo aſpero calidè tranſcolantur, herbas valde extorquendo, ut nihil olei remaneat in herbis: colaturæ verò ſtatim ceram confractam, ut liquefiat injicies: qua liquata Butyrum, urſi, galinæ, & anſeris axungias adjicies: his omnibus liquatis, ab igne lebetem ſepones, & medullam cervi inipones, mox ſtyracem calamitem cum pauco oleo nardino ſolutam addes & commiſcebis, interdum tamen ſpatula lignea agitando: quibus optimè commixtis & omnino refrigeratis, pulverem tenuiſſimum myrrhæ & thuris deſuper inſperges: denique reliquum nardini olei infundes, & vaſe unguentario uſui reſervabis.

Cæterum notandum erit, *Myrepſum Sect. 3. de Unguentis, num.* 3, 4, 5. tres habere deſcriptiones præter iſtam uſualem: *Paulum Æginetam lib.* 7. *cap.* 8. & *Ætium lib.* 12. *cap.* 44. maximè diverſas in ſimplicibus & ponderibus. Præterea *Alexandrinus lib.* de compoſitione medicamentorum ſecundum loca *cap.* 993. hanc habet uſualem deſcriptionem, convenítque in ſimplicibus, in ponderibus verò minimè, & ultrà deſcriptionem hanc *Myrepſi* addit Marathrum, nec axungiam anſeris habet. *Prapoſitus* vero *Particula* 20. *lib.* 2. herbam Tetrahit adjicit, & Maturellam (quæ deſcribitur à nonnullis, pro morella) præter deſcriptionem hanc: & anſeris axungiam prætermittit, variatque in ponderibus quorundam ſimplicium. *Fuchſius* quoque, qui hoc unguentum uſuale deſcribit, diverſæ eſt opinionis in quorundum ponderibus. Rurſus animadvertendum eſt, *Myrepſum* in ponderibus uti Exagio. Exagium autem apud *Græcos* eſt pondus 4. ſcrup. Proinde in omnibus compoſitionibus *Græcorum* ubi reperietur ſcriptum exagium ſcrup. 4. intellige. De ſimplicibus nihil dicemus: cum *Dioſcorides, Plinius, Fuchſius,* abunde de his tractarunt. Siquis plura ſcire cupiat, legat authores ſuprà ſcriptos

Exagium Græcorum quid.

Vires à *Myrepſo* notatæ.

Confert ad refrigerationem capitis, pectoris, ſtomachi, lienis, jecoris, aliòſque dolores à frigiditate natos, & lienem induratum: Præcipuè verò ad hydropicos, & lienoſos expertum eſt.

CAP. XV.

Unguentum reſumptivum ex 20. Particula ſecundi libri *Præpoſiti,* Uſuale.

Verus *Præpoſiti* Textus.

[a] *Per quartum unum unc.* 3. ℞. Axungiæ porci recentis [a] quart. 1. *intellige.*

Axung.

Axung. Gallinaceæ.

Axung. anſeris.

Axung. anatis ana unc. 2.

Oeſypi humidæ unc. ſem.

[b] *Oleum Violatum & chamæmelinum & anethinum à* Meſue *deſcriptum accipe.*

[b] Olei violati.

Olei chamæmelini.

Olei anethini ana unc. 2.

Butyri recentis lib. 1.

[c] *Ceram naturaliter albam &* Ponticam *intellige, ſed ejus loco albam noſtram factitiam uſurpamus.*

[c] Ceræ albæ unc. 6.

Mucag. tragacanthi.

Mucag. ſeminis cotoneorum.

Mucag. ſeminis lini.

Mucag. radicis Biſmalvæ.

Mucag. Gummi arabici. ana unc. ſem.

Miſce, fiat unguentum.

SCHOLIA.

CEram confractam unà cum Oleis in diplomate ad liquandum appones: ſtatim Butyrum cum Axungiis ut ſolvantur, in Ceram liquatam injicies: demum Oeſypum, lignea ſpatula movendo: quibus diſſolutis, & à diplomate ſepoſitis & refrigeratis, Mucagines radicum Biſmalvæ, Seminum lini, Seminum cotoneorum, Tragacanthi, & Gummi arabici arte, probè, & ſeparatim extractas, in mortario lapideo cum piſtillo ligneo celeriter agitando, unà cum ſupradictis paratis conjunges, donec formam habeat unguenti. Alii Mucagines factas conſumunt cum oleis, quod minimè fieri debet. Omnibus itaque mixtis & conjunctis, optiméque incorporatis, unguentum ad uſum ſervabis.

Hoc unum hic eſt notandum, unguentum iſtud recens, quàm vetus efficacius eſſe: quia ſi diu ſervatur vetuſtate luteum colorem, & rancorem, tum calorem acquirit, ob axung. in ipſum ingredientes, niſi diligenter abſumatur lenta & longa coctione humidum excrementitium mucaginum, abluanturque axungiæ & olea, tum etiam niſi aſſervatur in pixide marmorea, in loco neque rancido neque calido: hoc verò potius ad temperandum & mediocriter refrigerandum comparatur: unde (ſalvo meliori judicio) ubi uſus illius requiritur, recens componi debet nec aſſervari: licet id à multis Pharmacopœis non obſervetur. Præterea notandum, *Fuchſium lib. 2. de compoſitione medicament. Sect. 15.* illud deſcribere: ſed in ſimplicibus quidem convenire, in ponderibus maximè variare, oleumque Chamæmeli, & anethi prætermittere propter caliditatem.

Axung. porci, galinæ, &c.] de tempore collectionis, de electione, præparatione, repoſitione, & differentiis ipſarum axungiarum, pinguedinum, & adipum, pariter de extractione Mucag. ſatis apertè diximus hoc *lib. Sect. 1. de Ceratis & Emplaſtris cap. 1. & 2.*

Vires

Vires à quibuſdam medicis deſignatæ.

Dolores pectoris, & tuſſim mitigat, digerit, ſputum facilitat, & pleuritidem reſolvit.

CAP. XVI.

Unguentum citrinum in antidotario *Nicolai* in fine lib. *Meſuæ* ſcriptum, & à *Myrepſo Sect.* 3. de Unguentis num. 42. repertum, Uſuale.

Verus illorum textus.

[a] *Plurimi codices legunt unc. 2. pro drach. 2.*

℞. [a] Boracis drach. 2.
Camphoræ drach. 1.
Coralli albi unc. ſem.

[b] Myrepſus *habet drach.* 3.

[b] Amianti dulcis unc. 1.
Umbilici marini.
Tragacanthi albi.
Amyli.
Cryſtali.
Antali. Dentali.
Olibani.
Nitri ana drach. 3.
Marmoris albi drach. 2.
Gerſæ ſerpentariæ unc. 1.

[c] *Alii codices unc. 1. legunt loco unc. 6.*

Ceruſæ communis [c] unc. 6.

Tere Tragacanth. & umbilicos marinos in mortario marmoreo cum piſtillo ferreo in ſimul, cætera ſigillatim in eodem mortario terantur, & cum panno tubtili i albo cribrentur, & cum

[d] Myrepſus *nullum pondus axungiæ porcinæ determinat, ac ſepum caprinum & axungiam gallinaceam in deſcriptione ſua omiſit.*

[d] Axungia porcina novella albiſſ. lib. 1. ſe.
Sepi pecorini vel caprini unc. 1. ſem.
Axungiæ gallinaceæ unc. 1.

Confice ſic. Caldarium plenum aqua ſuper ignem bulliat, & cacabus cum

cum axungiis in caldario pendeat in ipsa aqua, & de ipso calore aquæ liquefiant axungiæ,& liquefactæ per subtilem pannum album colentur in catinum, & mox totus pulvis apponatur præter Camphuram & Boracem,cum spatula semper agitando, ut omnium bona fiat incorporatio. Hoc facto in uno citro cavato vel duobus mittatur, & ponatur,cum spatula,semper agitando,bulliant,& cùm incipit bullire,iterum in caldario ponatur, & cum spatula semper agitando, pulvis Camphuræ & Boracis,donec incipiat frigere,agitetur semper,&cùm infrigidatum fuerit recondatur.Et nota,quòd ad l.1. pulveris debent poni li.8.axungiæ.

Myrepsius loco jam citato sic conficit. Terantur in mortario cum adipe suillo, dein cavato citri carnem adipe dissoluto, & sine ut coquantur ebullitione una in cavitate citri: postea accipiantur species supradictæ,tenuiter tritæ, & injiciantur in cavitatem citri cum adipe, & subacta probè repone in vase,atque dato.

SCHOLIA.

IN mortario ex porphyrio, tum pistillo ex eodem porphyrio facto, corallum album, umbilicum marinum, crystallum, antalem, dentalem, & album marmor in minutissimas partes comminue: deinde sejunctim super porphyrio molula è porphyrio succo limonum irrorato, ne quod tenuissimum est evanescat, ducantur, donec nulla prorsus asperitas sentiatur lingua admota, quod perfectæ levigationis verum est indicium: hæc ubi levigata fuerint, cætera simplicia,ut cerussam, amiantum, Boracem, Nitrum, Amylum, Tragacanthum, Gersam serpentariam, Thus masculum per se in pollinem rediges: redacta cum prædicto pulvere, prius parato, in eodem mortario porphyrio pistillo ligneo paulatim ducendo commiscebis: commixta omnia conservabis, quoad cætera sint præparata. Tunc axungias omnes optimè collectas, & præparatas, in diplomate liquatas, coctásque unà cum duobus aut tribus malis citreis in frusta divisis, non excorticatis (si odorem cum detersione requiras)ad citreorum succi totius consumptionem(quia in his vis est mundificandi) deinde per pannum lineum colatas, & refrigeratas pedetentim super pulveres prædictos semper pistillo ligneo ducendo affundes: desuper Camphuram parte solutam conjunges ac commiscebis,donec omnia sint quam optimè mixta, & tota mixtio & compositio agitatione instar nivis splendeat, quam fictili nitido diligenter servabis.

Circa hoc unguentum plura notare debemus:imprimis,istud non posse diu in suo statu servari propter rancorem & calorem, quem successu temporis acquiret.Quare (alvo meliore judicio) monemus pulverem per se in vase vitreo diligenter servandum & axungias præparatas in alio fictili reponendas, & cum usus erit necessarius modo sequenti componatur. Accipe pulveris prædicti drach. 6. & axungiæ unc.6. quæ dosis convenit cum ea, quæ scripta est apud *Mesuen* in antidotario *Nicolai*, nimpe pro lib.8.axungiæ, sumatur lib.1. pulveris. Satius tamen esset admiscere dupicatum pondus pulverum, ut fiat unguentum spissius & melius cohærens. Prætera observa *Myrepsum* omisisse axungiam galinaceam, & sepum caprinum,& pondus axungiæ porcinæ, restitutáque fuisse,ut in hac descriptione videre licebit. Caterum & *Alexandrinum* unum describere tum ponderibus, tum simplicibus ab hoc maximè diversum satis constat.

Boracis.] A *Græcis* Chrysocolla, *Latinis* Auri gluten dicitur. *Arabice* Tincar. Et autem duplex.Nativa & Factitia. Nativa in fibris & venis gignitur,aut plerumq; arenæ similis reperitur, aut materiæ metallicæ adhæret, atque inde abrasa cujusdam arenæ similitudinem gerit, & cum aqua lavatur, pulveri simili subsidet. Factitia triplex, Una ex dura natura fit, tingiturque lutea herba, ob idque herbacea dicta. Alia, qua aurifices ad conglutinandum aurum utuntur, fit ex puerorum urina: cujus tres. *Chrysocolla duplex.* *Chrysocollæ nativæ variæ species.* *Chrysocollæ factitiæ species tres.*

conficiendæ

conficiendæ modum perquiras apud *Dioscorid. lib. 2. cap. 74.* de urina, hâncque ideni *Dioscorid. lib. 5. cap. 52.* inter ærugines enumerat, vocátque æruginem scoleciam. *Plinius* Santernam nominat. Ultima quæ fit ex nitro fossili, *Plinius lib. 33. cap. 5.* Chrysocollam nativam esse ait humorem in puteos per venam auri defluentem crassescente limo rigoribus hybernis usque in duritiem pumicis. *Serapius lib. aggregat. capit. Tincar.* Chrysocollam in ripis maris nativam inveniri dicit, & esse ex speciebus salis, calidam & siccam in quarto gradu. Sane ad nos allata fuit Chrysocolla è *Portugalia*, proveniens (ut conjicio) in ripis maris, lutulenta, sordida, admodum crassa & unctuosa, facilè in aquam liquescens, si in loco humido recondetur, quam puto nostram esse Chrysocollam usualem, rectè si purgata esset. *Platearius* ait esse gummi cujusdam arboris nascentis in transmarinis partibus, quod in æstate fluit, & extractione caloris condensatur & induratur. Quid sit autem Chrysocolla, ut planè intelligatur, dicamus authoritate *Plinii lib.* & *capit. citato*. Nihil aliud est quam vena putris, quæ pauca admodum in nostris officinis reperitur. Probatur autem quæ è fodinis ærariis accipitur: proxime, quæ in argentariis fodinis invenitur: etiam & in plumbariis reperitur: vilior auraria. Unde, ut ingenuè fateamur, dicemus authoritate *Matheoli commentario lib. 5. Dioscorid. cap. 64.* Chrysocollam varium sibi colorem vendicare, pro metallorum, in quibus foditur, ratione. Quæ enim in plumbeis accipitur, nigricat: quæ in argenteis albicat: & quæ in aureis, pallescit. Deficiente vera, uti debemus nostra usuali quæ Venetiis defertur, quæque etiam alba arte admodum fit. Memini me vidisse Chrysocollam veram antiquorum, quam diligentissimè Dominus *Nicolaus Rassius Lutetianus*, vir quidem chirurgiæ peritissimus, & in simplicibus examinandis sagacissimus (ut & plura alia simplicia notatu digna) servabat, colore subviridem, per laminas separatam, crusta intermedia, habentémque notas à *Dioscoride lib. & capit. prius citato* distinctas.

Chrysocolla nativa quid, variæ sententiæ.

Chrysocollæ proprie quid. Chrysocollæ electiones variæ.

Chrysocollæ veræ electio.

Amianti.] *Dioscorides lib. 5. cap. 113.* amiantum ait esse lapidem, & in *Cypro* nasci, sciisso alumini similem. *Plinius lib. 36. cap. 19.* inquit amiantum similimum alumini, nihilque igni deperdere. *Matthæus Sylvaticus* vult esse vitrum coctum, vel testas ovorum, ex quibus pulli à nido eruperunt. *Theophrastus lib. 3. plantarum cap. 17.* nomen arboris constituit. *Alexandrinus lib.* de compositione medicamentorum, secundum loca *capit. 1009.* confirmat opinionem *Dioscoridis* & *Plinii*: & *cap. 1039.* dicit se vidisse in unguento citrino gypsum coctum. Tandem verus amantus (ut conjicere possumus) authoritate *Dioscoridis* & *Plinii*, est similis alumini sciisso, ex albo viridis, qui in fila deducitur utrinque lapide duro septus, saponem olente, qui in ignem projectus non uritur, ut nec alumen nostrum plumosum. Igitur haud dubiè credendum est alumen nostrum plumeum vulgare, alteram esse speciem amianti, cum parum differat ab amianto lapide. Et quia locuti sumus de amianto lapide: qui est alumini sciisso similis; dicamus quid sit verum alumen sciissum. Est autem alumen verum sciissum, quod in fila deducitur, coloris subviridis, & nitentis, gustu valde astringens ad ignem liquabile.

De Amianto lapide variæ opiniones.

Amiantus verus quid, & electio. Alumen plumosum nostrum non est alumen sciscile Dioscoridis. Sed potest sub 2 specie amianti reponi. Alumen sciissum, vel plumeum verum quid.

Umbilici Marini.] Umbilicus marinus est lapis, seu gemma coloris interdum rubei aut candidi, in litore maris inventus: à quibusdam umbilicus veneris dicitur, quod refert umbilicum puellæ formosæ rotundum, & quasi humani umbilici figuram. Hæc *Christophorus Encelius Salueldensis medicus lib. 3. cap. 8.* de Origine, varietate & natura corporum, lapidum, & gemmarum.

Umbilicus marinus quid, & unde nomen acceperit.

Chrystalli.] Secundum *Albertum magnum*, est lapis, qui aliquando fit à frigore, aliquando autem ex nive, sicut sæpe se expertum dicit. Qua in re *Plinius Alberto* consentit, *lib. 7. cap. 2.* Gelu vehementiore concrescit, nec alibi reperitur, quàm ubi maximè hybernæ nives rigent, glaciémque esse certum est, quia impatiens est caloris. Mittit illud *Oriens, India, Asia, Cyprus*, juga Alpum. *Julius Solinus* improbat in *Polyhistore suo cap. 20.* Crystallum meram esse glaciem: Etenim si aqua concreta esset gelu, nec *Alabanda Asiæ*, nec *Cyprus* Insula, hanc materiam procrearent, quibus regionibus incitatissimus calor est: immo etiam igni, vel solis fervore statim liquesceret. Alii effodi aiunt ex marmorum saxorúmque canalibus, ac veru & aratro excitari, & ad torrentes deferri, reperiríque in venis tam metallicis quàm propriis in multis regionibus. *Diodorus lib. 3. antiquorum*

De Chrystallo variæ sententiæ.

gestorum

geſtorum cap. de Indis, ait, eſſe lapidem ex aqua pura ortum, & congelatum non quidem frigore, ſed divini caloris vi, quam diutiem ſervat varioſque ſuſcipit colores. Proinde quid ſit, & quo loco inveniatur, in hoc *Diodoro* aſſentimur, fieri ex puriſſimo humore lapideſcente in viſceribus terræ, & concreſcere, ac tandem tractu temporis, pluviarumque impetu, quæ in præruptis montium univerſam deradunt terram, apparere. Præſtantiſſimum autem eſt album, aquæ clariſſimæ modo perlucens. *Chryſtallum verum quid.* *Chriſtalli electio.*

Antalii.] Antalium eſt teſtaceum quoddam marinum, fiſtulæ modo longum, & concavum, foris ſtrictum, longitudine digiti parvi, cujus effigiem *Matheolus*, *inter Buccina in lib. 2. cap. 4. Dioſcoridis* depinxit, ut videre licebit. *Antalium quid.*

Dentali.] Dentalium eſt parva concha marina dentalem rimam habens, & à recentioribus dentalium appellatur, quod cùm dentibus maximè caninis ſimilitudinem habeat. Cæterum notabimus, hæc duo ſimplicia non eſſe lapides (ut plurimi volunt) ſed potius è concharum genere. de his ſatis *Plinius lib. 9. cap. 36.* de purpuris & Buccinis. *Dentalium quid.*

Nitri.] Nitrum vel litrum ab *Arabibus* Baurach dicitur. Eſt autem nitrum res cognata ſali, & veluti ſpecies ſalis. Hinc ſal lucidum, ſal *Alexandrinum*, ſal *Anderene*, ſal nitrum, unum & idem ſunt. Nitrum duplex. Nativum, & Factitium. Nativum fit ex terra nitroſa, aqua perfuſa & ſole ſiccata. Nec id aliorum foſſilium modo cæditur, aut ligone à montibus effoditur, aut ex terraneo ſpecu excavatur, aut ex ſolitudine in campis concretum legitur. Probatur nativum nitrum leve, colore purpureo, aut candido, in foramina dehiſcens, quaſi quid ſpongioſum, ſalſum, mordax, quale ex Brumis affertur. Factitii nitri plura ſunt genera. Unum ex nili aquis, nitrariis infuſis & quadraginta diebus exſiccatis fit: ut teſtatur *Plinius lib. 31. cap. 10.* De aliis generibus lege eundem *Plinium eodem lib. & cap.* Et *Galenum lib. 2. de Simpl. medicament. faculiatibus cap. 20.* Ac de nitro hæc ſufficiant. Nunc ad aphronitrum accedamus. Aphronitri duo ſunt genera. Unum quod ex ſpeluncarum cameris, ſtiriarum inſtar concretum pendet. Id quia in ſe terram nullam, vel gravitatem, aut craſſitiem habet, optimum à *Galeno* & album appellatur. Alterum eſt quod liquidum adhuc excidens in terram defertur. Id ob admixtam ſibi terram grave eſt, terreamque craſſitiem habet: ob id nigrius & deterius exiſtit. *Plinius* unum duntaxat facit, idque eſſe ſcribit, quod in ſpeluncis, & antris mollibus diſtillans colligitur. Id, quia ſpumæ concretæ ſimile eſt conjunctis duabus vocibus aphronitrum nominarunt: ut illud à ſpuma nitri, quæ non ita compacta & concreta eſt, ſed aſpectu triticeæ farinæ ſimilis: nam ſeparatis nominibus ſpumam nitri *Græci* ἀφρὸν νίτρου dicunt. Alii, ut ſal & ſpuma ſalis ſe habent ad invicem, ita volunt nitrum & ſpumam nitri, ad invicem ſe habere. Eſtque ſalis ad nitrum, & contra nitri ad ſalem eadem ratio. Item ſpumæ ſalis ad ſpumam nitri magna cognatio. Cæterum ſpuma nitri, aphronitrum, flos petræ, vel parietis quod halinitrum dicitur (vulgo *Salpetre*) eſt res leviſſima, gleboſa, friabilis, ſpumoſa, mordens, coloris pene purpurei, & hæc optima. Verum ſecundum *Galenum lib. 9. de ſimplicium medicament. facultatibus*, ſpuma nitri, & aphronitrum in hoc differunt, quod ſpuma nitri aſpectu triticeæ farinæ ſimilis ſit: hoc eſt, laxa, diſſoluta & candida: aphronitrum autem farinæ ſpeciem non habeat, neque ita diſſolutum, aut laxum, ſed concretum, coactum & compactum ſit: ut hinc pateat ſpumam nitri conſiſtentia, quam aphronitrum, tenuiorem eſſe. Halinitrum autem colligitur ex parietibus, & rupibus vetuſtiſſimis, atque ut lixivium tranſcolatur, & igne coneoquitur ex arbitrio artificis: eóq; utimur ad conficiendum pulverem tormentorum & bombardarum. Sed quia ad manum nitrum, aut aphronitrum, vel nitri ſpumam, habere non poſſumus, illorum loco vulgari noſtro halinitro utimur, ſed præparato, ut ſolet quotidie ab artificibus præparari. *Nitri variæ appellationes.* *Nitri duo genera.* *Nitrum nativum quid.* *Nitri nativi electio.* *Nitri factitii genera plura.* *Aphronitri genera duo.* *Aphronitri primum genus.* *Aphronitri ſecundum genus.* *De Aphronitro Plinii opinio.* *Halinitrum quid, & electio.* *Spumæ nitri & Aphronitri differentia.* *Nitri veri, ſpumæ nitri & Aphronitri ſuccedaneum.*

Gerſæ ſerpentariæ.] Eſt Ceruſa. Per hanc autem ceruſam intelligamus eam factam ex radicibus draconteæ minoris, vel ex radicibus ari, tamen radices ari non præſtant ſecundum mentem *Gal. lib. 11. ſimpl. med.* ubi ita ſcribit. Arum terrena eſſentia conſtat, ſed calida: proinde extergendi vim poſſidet, verum non valentem, ſicut dracontium. *Meſue* ſententiam confirmat *Galeni* in ſuis ſimplicibus *cap. de luf.* aitque luf criſpum quod eſt dracontea minor, magis abſterſivum quam planum. Igitur authoritate *Gerſa ſerpentaria quid.* *Draconteæ minoris electio.*

thoritate *Galeni* & *Meſuæ* radices draconteæ minoris potius hoc loco accipiendæ ſunt, quam Ari radices : quæ conficitur in hunc modum. Radices draconteæ minoris (quæ folio conſtat hederaceo, magno, candidis notis inſigni, caule recto, Bicubitali, verſicolore maculis reſperſo purpureis, ita ut anguem plane referat, Bacculi craſſitudine, fructu ſummo in caule racematim cohærente : quam hodie nonnulli Pharmacopœi male majorem draconteam appellant, ut videre erit apud *Dioſcoridem lib.* 2. *cap.* 161.) hujus inquam radices ſufficienti quantitate tempore veris lectas, videlicet Martio, vel Aprili, ſecundum mentem *Arnaldi de Villa nova*, à terra lutóque mundabis, eáſque depurabis & ad ſolem deſiccabis ad humidi radicalis conſumptionem. Deſiccatæ ſubtiliſſime in mortario marmoreo cum piſtillo ligneo terantur, & in fictili vitreato ponantur : deſuper aquæ Roſaceæ quantitatem ſufficientem affunde (nempe ſi ſint unc. 12. radices, aquæ lib. 1. ſem.) tractando leviter ſpatula lignea, ut imbuantur & commiſceantur. Tum linteolo cooperiantur, ne pulvis extraneus incidat : & ſoli exponantur, ut ſiccentur, ſpatula aliquoties moveantur. At ubi jam totum optime ſiccatum fuerit, tantundem deſuper aquæ Roſarum iterum affundes, agitando ut ſupra : váſque cooperies & ſoli denuò ad ſiccandum appones. Deinde ubi totum rurſus ſiccatum erit, adhuc tantundem aquæ Roſarum ſuperimpones ducendo ut prius ſpatula lignea, ac vas cooperi, & ad ſolem ſiccato. Hancque præparationem adhuc ſemel vel bis repetes, ſemper in ſole ſiccando. Denique ſiccatam farinam pauco vino albo, & odorifero, aut ſucco citreorum immerge, & Trochiſcos effinge, quos in vaſe vitreo ſtricti orificii, ut facilius tegantur, ad uſum repone. Alii ceruſam vel gerſam è radicibus draconteis, ut Amylum ex frumento conficint: utérque modus optimus, ſed prior efficaciſſimus.

Quorundam Pharmacopœorum opinio reprobata.

Gerſam ſerpentariam conficiendi modus.

Vires ex antidotario *Nicolai*.

Pulchram reddit faciem: lentigines de facie tollit, nigredinem a ſole inductam delet, & puſtulas in quacunque parte corporis ortas ſalſi phlegmatis mirabiliter reprimit & aufert : cicatricem in corpore ſubtiliat, leproſi faciem ſi ex eo unguatur multum emundat : rubori, oculorum pruritui, & pallori, & eryſipelati conducit.

CAP. XV.

Unguentum ad ſcabiem expertum incerto authore, interdum Uſuale.

Vera deſcriptio in codice manuſcripto reperta.

℞. Butyri recentis ſine ſale.

Axungiæ porcinæ recen.

Succi fumariæ non depurati.

Sulphuris [a] communis ana unc. 1.

Miſce, fiat Unguentum.

[a] *Per ſulphur commune, factitium intellige.*

SCHOLIA.

SCHOLIA.

AXungiam porci collectam & præparatam, secundum modum à nobis præscriptum in Emplastris, unà cum Butyro recenti in mortario plumbeo pistillo pariter plumbeo friando contundes. Deinde sulphuris pulverem tenuissimum desuper insperges, semper pistillo ducendo, ut commisceantur : quibus rite mixtis guttatim succum fumariæ affundes pistillo agitando ut prius, donec pars succi probè imbuta fuerit, hæcque agitatio repetetur quotiescunque succum alium immiscebis. Quantitas verò præscripta succi pedetentim injecta & omnino imbuta, spatio duarum horarum, iterum totum, ut rite succus permisceatur, & ab eis non separetur subagitabis, sicque præparatum ad usum servabis.

Sulphuris communis.] Sulphur Chibur, vel Albusac *Arabicè* dicitur. *Aristoteles, Sect.* 24. *ultimo problemate* ait antiquos vocavisse sulphur, sacrum : atque is idem sulphur appellat pabulum ignis subterranei. Est autem sulphur de genere metallorum mediorum secundum *Fallopium lib.* de medicatis aquis, atque fossilibus *cap.* 8. & secundum *Christophorum Encelium Salueldensem Medicum lib.* de Origine, varietate, & natura corporum metallicorum, lapidum & gemmarum. Sulphur terra est actione caloris exacte in essentiam sulphuream commutata, aquosis, terrestribus, & igneis transeuntibus : vel pinguedo terræ, in minera terræ per temperatam decoctionem inspissata, quousque sit indurata, & sicca facta. Alii id *generari ex* purissima siccitate terræ in qua omnibus modis prædominetur ignis, aiunt & quasi esse vaporem calidum, & siccum. Tamen ut verum fateamur, sulphur est vera pinguedo terræ, in minera terræ per temperatam decoctionem inspissata, &c. ut satis docte *Fallopius* & *Christophorus Encelius lib. & cap. prius citatis* docuerunt. Chymistæ principium, & patrem metallorum, & partem lapidis Philosophorum esse dicunt. Duplex autem sulphur : Fossile seu Nativum, & Factitium : Fossile effoditur in quibusdam paludibus & montibus *Islandiæ*, & *Græcis* ἄπυρον dicitur (id est) ignem non expertum, vel quasi sine igne : à *Latinis* & Pharmacopœis, Vivum appellatur, quod ex vena sua sine aliqua coctura accipiatur, vel quod nondum liquefactum, & in frustula fusum sit. *Matheolus* in *Comment. lib.* 5. *cap.* 83. *Dioscoridis*, ait effodi aperto undique cœlo, non autem in cuniculis & subterraneis specubus. Probatur nativum seu fossile, & quod apyron vocamus, secundum *Dioscoridem lib. & cap. citato*, nitidulæ ac fulguris modo splendidum, perIncens, minimè lapidosum, quodque sit effosum : factitium, quod arte paratur perfectum, ignémque expertum. Fit autem diversis modis : Nam aut ex aquis coquitur, aut ex gleba effosa, & in vasis coctis perficitur igne. De aliis modis conficiendi lege *Dioscoridem lib. & cap. citato. Fallopium eodem lib. & capit. dicto. Christophorum Encelium lib.* 1. *cap.* 2. de Origine varietate & natura corporum metallicorum, &c. Laudatur factitium, extinctum, sive mortuum quo enim virentius, quo magis oleosum, & pingue, eo melius. Et hæc sunt, quæ novi & legi de sulphure : quod si plura voles, require apud *Georgium Agricolam in fine lib.* 3. *Fossilium. Plinium lib.* 35. *cap.* 15. *Avicennam lib.* 2. *cap. de Sulphure.*

Sulphuris varia nomina secundum Arabes, *& secundum* Aristotelem.

Sulphur quid. variæ opiniones.

Sulphur propriè quid.

Sulphuris genera duo.

Sulphuris nativi effodiatio.

Matheoli opinio.

Sulphuris nativi electio.

Sulphuris factitii conficiendi varii modi.

Sulphuris factitii electio.

Vires ab eodem Authore manu-scripto.

Scabiei & Morphææ quod vulgus (mal de saint Main) *appellant, maximè confert.*

CAP. XVIII.

Unguentum Comitissæ descriptum à *Guilielmo Varignano*, in *Tract.* 16. *cap.* 4. de retentione menstruorum & oris matricis & exuccatione ejus, Usuale.

Varignanæ textus Verus.

℞. Corticum medianorum castanearũ.

Glandium corticum medianorum.

Arboris Glandiũ corticũ medianorũ.

[a] *Myrtillorum semen, sume.*

[a] Myrtillorum,

[b] *Per caudam caballinam, equinam intellige.*

[b] Candæ Caballinæ,

[c] *Gallas non perforatas, virides, & firmas intellige: eo quod acerbiores sunt perforatis.*

[c] Gallarum,

[d] *Cortices fabarum parvarum & nigrarum accipe.*

[d] Corticum fabarum,

[e] *Ozimorum vel arillorum vuarum maturorum cape, qui acini dicuntur quia tunc matureſcente uva ſicciores fiunt.*

[e] Ozimorum vel Arillorum uvarum,

[f] *Sorba immatura ad humidi conſumptionem ſiccata, accipe.*

[f] Sorbellarum Siccarum,

[g] *Meſpilla immatura, non autem ſiccata cape, ut nonnulli volunt: nam tantum abeſt, ut ſiccari poſſint ut putreſcant & matureſcant magis.*

[g] Meſpillorum,

Radicum Chelidoniæ,

Foliorum Pruni ſylveſtris [h] an.

[h] *Per an. author intelligit partes æquales, videlicet, unc.* 1. *ſem.*

Terantur groſſe, & coquantur in

Aquæ plantaginis, lib. 8.

perfecte & colentur.

℞. Ergo [i] Ceram quantumvis,

[i] *Ceram citrinam accipe & per quantumvis unc.* 8. *ſem. intellige ſecundum exigentiam confectionis unguenti,*

Diſſolve cum

Oleo Myrtino,

Et lavetur novies cum [k] aqua prædicta ſemper innovando quacunq; vice, poſtea

[k] *Cum aqua prædicta, hoc eſt, prædicta decoctione.*

℞. Corticum prædictarum [l] caſtanearum.

[l] *Caſtanearum cortices medianos accipe.*

[m] Glandium, & arboris ejus,

[m] *Glandium, & arboris ejus cortices medianos ſume.*

[n] Gallarum, an. [o] P. 1.

[n] *Gallas virides & non perforatas accipe.*

[o] *Per P.* 1. *unc.* 1. *intellige.*

Cineris

Cineris ossium cruris bovis.

Seminis myrtillorum.

Ozimorum alias arillorum ana P. sem.

p Terantur, & fiat pulvis tenuissimus.

℞. Ergo istius pulveris. P. 2.

q Trochisci de Carabe. P. sem. alias Par. 1.

Misceantur, & cum prædicta cera & oleo myrtino lotis addito eis

r Oleum Mastichinum non lotum quod suffi.

p *Post Ozimorum alias arillorum sequitur sorba & mespilla, & omissa fuerunt à bibliopola, idcirco apponendæ sunt unc. sem. quæ faciunt P. sem.*

q *Trochiscos de carabe*, Varignanæ *descriptionis scilicet, si reperiantur in suo antidotario, si vero non, Trochiscos illos de carabe à* Mesue *descriptos. Et per P. sem. vel P. 1. unc. sem. vel unc. 1. intellige.*

r *Oleum Mastichinum Varignanæ descriptionis, si in suo antidotario reperiatur; si vero non inveniatur scriptum, istud* Mesues *accipe, & per quod suffi. unc. 4. intellige. Nihilominus tamen si astringentius recuperetur, intentione & scopo unguenti felicius usurpare poterimus.*

SCHOLIA.

ANtequam ad methodum conficiendi hoc unguentum deveniamus, quid author velit intelligere, videamus. Cum dicit. Recipe ergo istius pulveris P. 2. Trochiscorum de Carabe P. sem. alias P. 1. &c. *sic* (*ut mea fert opinio*) intelligere debemus. Si Pharmacopœus nolit totam compositionem facere, sed partem aliquam, accipiat pro partibus duabus istius pulveris, Trochisc. de carabe P. sem. vel unam, Ceræ lotæ novies cum prædicta decoctione Par. 6. olei Myrtillorum loti novies cum prædicta decoctione Par. 16. olei Mastichini non loti P. 2. Sed si totum velit componere, assumat Par. 1. sem. vel tres Trochiscorum de carabe, Olei Mastichini unc. 4. cum prædictis ante paratis, relinquendo textum illum ℞. Istius pulveris Par. 2. &c. Præterea satis nobis apparet, pondus & dosim simplicium decoctionem ingredientium, omissa fuisse: quare autem *Varignana* omiserit, ignoramus, & pariter dosim ceræ, & olei: nisi forsan (salvo meliori judicio) quia sunt menstruorum fluxus, aliis quam aliis vehementiores, aut parciores, unde aliis magis quam aliis major, aut parcior requiritur astrictio: ea de causa dicemus præstantius esse, ut qui hoc unguento voluerit uti, præscribat simpliciam omnia pondera pro ratione fluxus menstrui: vel erratum tradictori aut Typographo attribuemus. Tamen ne desit nobis hoc unguentum necessitatis tempore propter pondera simplicium omissa, consuevimus in nostris officinis hoc transcriptum à *Præposito* unguentum præparare, definitis, & determinatis ponderibus, cujus descriptio talis est.

Præpositi vera descriptio.

℞. Corticum medianorum castanearum.

Corticum medianorum arboris Glandium, & Glandium.

Myrtillorum.

Caudæ equinæ.

[a] *Inter caudam equinam & cortices fabarum* Præpositus *omisit gallas, & addendæ sunt.*

[a] Corticum fabarum.

Acinorum uvarum.

Sorbarum siccarum immaturarum,

Mespillorum immaturarum.

Radicum chelidoniæ.

Foliorum prunorum sylvestrium ana unc. 1. sem.

Terantur grosso modo & coquantur in

Aquæ plantag. lib. 8.

Usque ad consumptionem medietatis, & tunc

℞. Ceræ novæ unc. 8. sem.

Olei myrtillorum lib. 2. sem.

Misce & lava oleum & ceram cum suprascripta decoctione novies, semper renovando aquam: & cum hoc factum fuerit

℞. Corticum castanearum.

Glandium.

Corticum medianorum arboris Glandium.

Gallarum ana unc. 1.

Cineris ossium cruris bovis.

Myrtillorum.

Acinorum uvarum.

Sorbarum siccarum ana unc. sem.

[b] *Alii legunt unc. 1. sem. sed si valentius, astringentius expectemus, legendum erit, unc. 2. se. vel 3.*

Trochiscorum de Carabe. [b] unc. 2.

Pulverisentur subtiliter pulverisanda, & cum prædictis cera & oleo lotis cum supradicta decoctione fiat unguentum. Hic finitur textus *Præpositi*: nunc accedamus ad veram methodum conficiendi.

Unguenti hujus conficiendi vera methodus.

REcentia simplicia secundum naturam, quamin se habent (nam alia aliis citius vel tardius recuperantur) tempore & loco collecta, crassiuscule in mortario æreo, cum pistillo ferreo, ordine trita in lib. 8. aquæ plantaginis, ad mediæ partis consumptionem coquantur: ut cortex medianus arboris quercini, acini uvarum, radix Chelidoniæ, Mespilla, Sorba, Cauda equina, semen Myrtillorum, Pruni sylvestris Folia, Cortices Fabarum, mediani glandium, castanearum cortices, & gallas: quæ omnia ubi rectè cocta erunt, duarum horarum spatio in infusione permittes: signum autem perfectæ co ionis, & infusionis tale est. Accipe gladium maximè nitidum & politum ex ferro factum, immitte in decoctum: si cum extrahis, sit lividius, & nigrescens cum adhæsione difficulter eluibili, tum concoctio, & infusio perfecta & peracta, quam infusionem mediocriter calidam velociter extorquendo colabis, & colaturam in novem partes divides: postea ceram minutatim incisam, una cum oleo Myrtino in diplomate liquatam, & adhuc calentem lavabis cum prima parte colaturæ calidæ, agitando aut versando donec refrigeretur: deinde vase duplici liquabis, & refrigerare permittes aquam, quam subsidentem ex lotione dejicies: ea ejecta ceram iterum eodem vase, eodémque igne liquabis: & cum secunda parte decocti calidi lavabis, tractando ut prius, donec frigescat: & aquam ut antea dejicies: sicque septies etiam iterabis, donec nulla pars prædictæ colaturæ superlit: postremò totum probè ablutum in diplomate liquabis, & pulverem tenuissimum ossium cruris bovis duriter agitando immiscebis: paulo post pulveres sequentium pertenues & in pollinem redactos ordine, ut corticum mediorum arboris quercini, & mediorum corticum glandium, corticum mediorum, castanearum, gallarum, sorborum, mespillorum, seminum myrtillorum, acinorum uvarum, insperges, desuper trochiscos de carabe celeriter & diu agitando conjunges, & subiges: subactaque omnia simul & complexa ad consistentiæ spissitudinem servabis ad usum. In hoc animadvertendum, *Varignanam* in pulvere hujusce unguenti sorba & mespilla, omisisse, & *Præpositum* in eodem pulvere mespilla, & gallas in decoctione, quas addere oportet post caudam equinam cum decoctionem parare volueris, & mespilla addere convenit cum pulvere dicti unguenti. Præterea *Varignanam* in suo textu scribere: Et lavetur novies cum aqua prædicta semper innovando quacunque vice, &c. Revera melius (pace aliorum dixerim) ac præstantius esset hoc unguentum, si non ejiceretur decoctum, sed potius cum eo misceretur: quod certè fieri non potest si in promptu egeamus: si verò conservare velimus, nequimus, quia brevi temporis spatio ob decoctionem corrumperetur, & rancidum redderetur. Cæterum fieri non potest hoc unguentum, nisi mense Septembri, vel Octobri, propter multa simplicia, quæ tantum his duobus mensibus in suo statu reperiuntur. Caveat porro Pharmacopœus ne in grumos abeat hoc unguentum cum volet simplicia probè trita miscere: & si forte fortuna abeat in grumos, sic restituere poteris. Accipe setaceum & pedetentim unguentum grumatum super dictum setaceum spatula lignea fricando transcola, donec totum sit transcolatum. Hoc namque pacto restitutum erit, nec ulli grumi apparebunt.

Decoctionis hujusce unguenti signum.

Cineris ossium cruris bovis.] Ossa in cineres redigenda aptius interlunio colligi debere videntur: quod nimirum lunæ incrementum aut decrementum corporis totius partes immittantur. Nec vero dubium est quin interlunio solidæ omnes partes, quam plenilunio, longè sint ficciores. In cinerem autem hac methodo ossa convertes. Vas figulinum accipito, & ossa recentia, confracta, carne carentia cruris bovis in dicto vase imponito vasque furno fusorio circumcirca carbonibus accensis adaptetur & illic dimittatur semper ignem, continuando eoúsque dum dicta ossa alba appareant absque ulla nigredine & friabilia digitis sentiantur, quod vere signum adustionis est: sic adusta diligentissimè ad usum illa servabis: *Sicque* cætera ossa animalium ad cinerem faciendum debent eligi & aduri.

Quo tempore sunt colligenda ossa cruris bovis ad cineres faciendos.

Ossium cruris bovis usus.

Olei Myrtillorum.] Scilicet lib. 2. sem. Alii Mastichinum & Myrtinum æquis partibus sumunt. Magna est contentio inter nos Pharmacopœos, cum hoc unguentum

tum parare volumus, quale oleum Myrtinum debeamus accipere, compositum, an simplex, cum de eo nihil determinet *Varignana*, neque in suis tractatibus aliquam olei Myrtini descriptionem assignarit. Quidam sentiunt, & affirmant accipiendum esse oleum compositum Myrtinum ex descriptione *Alexandrini*, quod *Præpositus* in suo dispensario scripsit: sed (pace dixerim) perperam: nam oleum Myrtinum compositum *Alexandrini* continet crocum, quod maximè menses educit: quod certè est præter scopum: nam ad sistenda menstrua unguentum componitur: ergo Myrtinum oleum compositum à *Nicolao Alexandrino* & *Præposito* minimè conferet: nam poros & meatus referaret & aperiret & non astringeret, ratione croci: sed sua se tuentur ratione dicentes: utguentum omnino astrictivum esse, nec simplicia astringentia, quæ in unguento ponuntur, posse operari, & ad partes deferri, sine aliquo vehiculo & deferente: & hac ratione oleum Myrtinum compositum usurpant, ut crocum sit pro vehiculo, & vim aliorum sua subtilitate deferat, & ad agendum excitet. Tamen (salvo eorum judicio) existimo, ut *Luminare majus Sect.* 10. de Ceratis & Unguentis testatur, simplex oleum à *Mesue* descriptum 12. *Distinctione* de Oleis sumendum, cum scilicet non sit opus dilatatione meatuum, sed omnimoda astrictione. Nihilominus medicorum ratiocinantium esto ea de re judicium.

Vires à doctoribus Medicis notatæ.

Incœptum abortum prohibet: hæmorrhoidas sistit, ac laxatos lumbos conciliat.

CAP. XIX.

Unguentum mundificativum de apio, authore incerto: interdum Usuale, & mihi frequens.

Verus Textus in codice manuscripto repertus.

℞. Absinthii nostri vulgaris foliorum,
Foliorum solani hortensis,
Foliorum portulacæ sativæ,
Caprifolii, Mille folii,
Poligonii maris,
Sempervivi minoris cum albis floribus,
Foliorum Plantaginis majoris,
Radicis rubiæ majoris,
Sempervivi majoris,
Foliorum Betonicæ,
Foliorum Verbanæ, an. M. 3.
Foliorum Apii, M. 5.
Foliorum Pimpinellæ,

Florum

Florum hyperici.

Foliorum Galiopſis, id eſt, Urticæ fœtid.

Centaurei minoris ſummitates.

Foliorum piloſellæ.

Foliorum chelidoniæ ana M. 1. ſem.

[a] *Per Roſtrum porcinum, Dentem leonis vel caninam herbam à quibuſdam Caput monachi dictam ſume.*

Foliorum [a] roſtri porcini.

[b] *Symphytum petræum.* Dioſcoridis *ſcilicet, quodque habet folia thymi & origano tenui ſimilia, intellige.*

Foliorum [b] ſymphyti petræi ana M. 2.

[c] *Symphytum majus illud, quod aliqui* pecton *vocant,* eape.

Radicis [c] ſymphyti majoris unc. 5.

Piſtentur herbæ & radices, & bulliant una cum

Succi peti lib. 2. &

Olei communis veteris lib. 9.

ad conſumptionem humiditatis herbarum & ſucci, tunc colentur, colaturæ adde

Ceræ citrinæ lib. 2.

Sepi Caprini.

Reſinæ puræ ana unc. 12.

Terebinthinæ communis unc. 9.

Miſce, fiat unguentum.

SCHOLIA.

SEcundum veram collectionem, nempe cum tempus opportunum erit, herbæ recentes legantur, & nitidæ menſuratæque incidantur ordine, & in mortario lapideo vehementiſſime tundantur. Deinde in fictili ſtricti oris bene cooperto, cum quantitate olei prædicta, & ſucci peti, ſpatio unius diei, ut infundantur, igne lento fovebis. Infuſione peracta eodem igne ad totius humidi aquei herbarum, & ſucci peti conſumptionem coques: quo humido conſumpto, panno cannabino maximè rudi calidè totum velociter extorquebis: colatum igni prædicto unà cum cera confracta & ſepo caprino, ut liqueſcant, appones: paulopoſt reſinam pariter diviſam, ſpatula ducendo. His liquatis, & ab igne depoſitis Terebinthinam addes. *Hoc itaque modo* mundificativum de apio arte erit paratum, quod ad uſum ſervabis. Auguſto & Septembri menſe confici debet, eo quod hoc tempore herbæ maximè vigent.

In hoc maxime notandum chaos eſſe apud nos Pharmacopœos, & tantam diverſitatem ad mundificativum de apio conficiendum. Nam plurimi ſunt qui ex aloe, Mirrha, Sarcocolla, Terebinthina & Melle roſato conficiunt. Alii ex Terebinthina & Melle roſato: alii ex Myrrha, Melle roſato, & Terebinthina: alii unguento Ægyptiaco, & Apoſtolorum utuntur pro mundificativo. Sed (ut verum fatear) nullum mundificativum debemus tenere paratum, pararique debet ſecundum exigentiam morbi, ſimplex vel compoſitum. Nam in dies magis minuſve morbus mundificatione indiget. Igitur cenſerem mundificativum componi, cum à medicis & chirurgicis indicitur pro ratione morbi.

Vires à quibuſdam probatæ.

Ad ulcera ſordida emundanda & detergenda maximè proſeſt.

CAP. XX.

Unguentum *Neapolitanum* maximè expertum authore incerto : Interdum Uſuale.

Vera deſcriptio in codice manuſcripto reperta.

℞. Radicis althææ.

Radicis ireos noſtratis.

Radicis inulæ campanæ.

Radicis Brioniæ.

Radicis lapathii acuti ana unc. 3.

Foliorum ſalviæ.

Roſmarini ana M. 1. ſem.

Fumariæ.

Scabioſæ cum toto ana M. 2.

Incidantur rădices minutim & contundantur, herbæ ſimili modo, & omnia in

Vini albi odoriferi lib. 3.

Aquæ fontis lib. 1. ſem.

Spatio ſex dierum infundantur, bulliántque una cum

Butyri recen. ſine ſale unc. 4.

Axung. porcinæ veteris non fœtidæ lib. 1.

Olei communis veteris unc. 4.

Ad conſumptionem vini & aquæ, exprimantur & infrigidentur, addendo

Theriaces veteris unc. 1. ſem.

Mithridatii veteris unc. 1.

Sulphuris vivi drach. 2.

Argenti vivi extincti cum Terebinthina unc. 6.

His omnibus additis, diúque agitatis in mortario, totum ad uſum reconde.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

IN prædicto vino albo & aqua radices omnes tempore convenienti lectas, & à sordibus repurgatas, minutim incisas, ordine in mortario lapideo, pistillo ligneo, multum contundito: pariter Fumariam, Scabiosam, Salviam, & Rosmarinum: tum hæc omnia ubi contusa per se erunt, sex dierum spatio in fictili stricti orificii obturato, infusioni adaptentur igne levi & tardo ut melior omnium fiat infusio, & penetratio (melius tamen vinum igne ne acescat non calescere.) Septimo autem die eodem igne coquantur, ad mediæ partis consumptionem spatula movendo. Ubi cocta fuerint, & dum adhuc calent linteolo aspero in aliud vas contorqueantur & exprimantur: in colaturam adhuc calidam oleum, Butyrum, Axungiam porcinam, ut liquefiant, injicies, & ad alteram humidi partem concoques: coctis refrigeratisque, Theriacam & Mithridatium immiscebis perpetuo spatula movendo: paulopost tenuissimum pulverem sulphuris, denique argentum vivum (prius tamen à sordibus defæcatum & transcolatum) modum autem defæcationis & transcolationis vide supra hac *Sect. cap.* 10. in mortario cum Terebinthina extinctum & optime incorporatum cum aliis subiges & permiscebis: hocque totum, ubi probe spatio unius diei agitatum fuerit, in pixide terrea servabis. Hyberno autem tempore conficiatur propter radices.

Vires à quibusdam medicis probatæ.

Easdem enim facultates obtinet ut Emplastrum de Vigo *ne cum mercurio supra scriptum.*

CAP. XXI.

UNguentum Aregum *Myrepsi* ex *Sect.* 3. num. 48. Usuale.

Textus *Myrepsi* verus.

[a] *Rosmarini summitates emergentes cum florum eruptione intellige.*

[b] *Per sampsuchum, majoranam cape.*

[c] *Iridis* Illiricæ *radices recentes sume si secundum* Myrepsi *intentionem parare velis, ita quoque radices jari in medio autumni collectæ, si secundum mentem* Præpositi: *nam legit radicis jari.*

[d] *Serpilli & Rutæ folia sume.*

[e] *Radicis malvæ agrestis loco, legit* Præpositus *radicis scisicidis (quod plures interpretantur cucumeris asinini) & per quartam partem drach.* 1. *Grana* 15. *intellige.*

[f] *Salviæ & Sabinæ folia accipe.*

[g] *Pulicariæ majoris & minoris, & radicis Bryoniæ, inter sabinam & laureolam* Præpositus *capit.*

[h] *Calamintham montanam sume.*

℞ *a* Rosmarini.

b Sampsuci.

c Iridis.

d Serpilli.

Ruthæ.

e Radicis malvæ agrestis. Singul. unc. 2. drach. 2. & quartam partem.

Foliorum lauri.

f Salviæ.

Sabinæ. Singul. unc. 1. sem.

g Laureolæ. unc. 4. sem.

h Calaminthæ unc. 3.

[i] *Foliorum ſciſcidis inter Calaminthã & Maſtichen* Præpoſitus *ſumit.*

[k] *Thus Maſculum vel Olibanum accipe.*

[l] *Euphorbium mediæ ætatis accipe, quia ſcopus unguenti eſt calefacere.*

[m] *Per Exagia 4. ſem. drach. 6. cape: quid autem ſit exagium* Græcum, *vide ſupra* cap. 14. *in* hac Sect. 2.

[n] *Oleum Moſchatellinum videtur eſſe apud quoſdam oleum Muſcellinum, quod plurimi interpretantur de been quod ego non puto. Et per exagium, 1. & ſem. drach. 2. cape.*

[o] *Per oleum* ſanctæ Barbaræ, *iſtud oleum quemadmodum* Myrepſus *deſcripſit accipe, ſi vice petrolei excipere vis.*

[p] *Oleum Laurinum per expreſſionem intellige, non autem noſtrum vulgare, quod conficitur ex axungiis porcinis, foliis baccíſque lauri ſimul tritis, & coctis, cujus olei per expreſſionem facti, meminit* Dioſcorides & Myrepſus, *ut perfectior ſit compoſitio & calidioris intentionis.*

[q] *Butyri, an recens, an vetus ſit intelligendum nemo explicat, ſic tamen permeandi & poros ſubeundi materiam requiras, item & digerendi pro ſcopo unguenti videtur eligendum vetus, quemadmodum &* Galenus *oleum vetus ad eaſdem intentiones præferre ſolet.*

[r] *Oleum Olivarum vetus accipe.*

[s] *Ceram naturaliter albam* Ponticam *accipe, & per quartam partem libræ, unc. 3. accipe.*

[i] Maſtiches,

[k] Thuris, ſingul. drach. 3.

Pyrethri,

[l] Euphorbii, ſingul. unc. ſem.

Zinziberis,

Piperis communis,

Singul. [m] Exag. 4. ſem.

[n] Olei Moſchati, Exag. 1. ſem.

Petrolei aut pro eo [o] olei *ſanctæ Barbaræ* unc. ſem.

Adipis Urſini,

[p] Olei Laurini ſingul. unc. 1. ſem.

[q] Butyri, unc. 2.

[r] Olei communis, libr. 2. ſem.

Ceræ albæ puræ, libr. ſem. & quartam partem.

[t] Herbæ una cum radicibus projiciantur in vinum die uno: altero vero die eximantur, & in mortario probè tundantur: dein in oleum injiciantur, & illic diebus ſeptẽm permittantur. Poſtea probè decoquantur & colentur, rurſúſque bulliant, atque imponantur Butyrum, adipes, & cera, omnibúſque liquatis injicito *ſanctæ Barbaræ* oleum, Moſchatum, & Laurinum: dein imponito Thus, Zinziber, Piper, Pyrethrum probè trita. Omniáque ſimul bene in mortario ſubacta tollantur & in vaſe recondantur.

SCHOLIA.

Fictili tecto radices Malvæ Sylveſtris & Iridis per ſe minutim inciſas, ac probè in mortario lapideo cum piſtillo ligneo tuſas impone: deſuper ſeparatim quæ ſequuntur in idem mortarium velociter trita conjice, ut Rutham, Laureolam, Sabinam, Salviam, Lauri, Sampſychi, & Calaminthæ folia, Serpilli, & ſummitates Roſmarini: ſpatióque octo dierum una cum vini rubri libr. 8. ad macerandum appone. Nonnulli tepidum aut calidum eſſe liquorem infuſionis volunt: tamen melius vinum non incaleſcere igne ne aceſcat: nam per ſe ignem ſine calore ſatis retinet, & exprimit, & fervorem excitat. Sequenti verò die ad mediæ partis conſumptionem igne lento concoque, ſpatula aliquoties ducendo. Deinde oleum commune prædictum in decocto adjicies (alii oleum, Butyrum una cum adipe urſino, & vino, coquunt)

coquunt) rursúsque omnia coques donec totum vinum evaporatum, & aqueus humor herbarum in vaporem resolutus fuerit, ut prius spatula inter coquendum movendo. Postea probe per Saccum cannabium torquendo calidè exprimes. Expressioni verò Butyrum, & ursinum adipem ut liquentur addes. His liquatis iterum igni lento expressionem mixtam cum Butyro & adipe ursino appones, statimque ceram divisam ut liquefiat injicies: liquatam, ab igne depones: mox oleum laurinum, moschatum seu moschelinum, & petroleum commiscebis, celeriter subinde movendo, quousque omnia ritè frigescant. Ubi omnia refrigerata fuerint, pulveres tenuissimos radicum Pyrethri, Zinziberis & piperis insperges, desuper Thuris & Mastiches pulverem separatim factum permiscebis: ultimo Euphorbium quàm tenuissimè pulverisatum addes. Totum subactum ad usum recondes. Maximè autem in hoc parando Unguento notandum nullam descriptionem nos debere accipere præter istam quæ à *Myrepso* descripta est: nam is & primus illam descripsit, & dosis simplicium optimam habet proportionem, respectu aliorum qui hanc descripserunt. *Præpositus* quoque hanc describit, & radices iarì loco radicum iridis, radicis sciscidis & folia, loco radicum malvæ sylvestris usurpat: Bryoniam præterea & utrâmque Pulicariam ultra hanc *Myrepsi* adjungit: atque ingredientium pondera ex dimidio contrahit. quorum ferè nullum respondet ponderi à *Myrepso* descripto. Rursus simplicia *Præpositus* in oleo absque vino infundit, proclivi quidem lapsu, attamen non negligendo: Itaque id unguentum componentes falli nolumus.

Vires designatæ à *Myrepso*.

Ad omnem dolorem Stomachi & ventris, ad uterina mulierum mala, distentiones, quartanas, comitiales, spinæ dolores, & renum valet. In quartana ante invasionem utiliter eo spina & scapulæ inunguntur.

CAP. XXII.

Unguentum de Tuthia, quod oculorum affectibus confert, authore incerto, mihi frequens & Usuale.

Vera descriptio manu scripta.

℞. [a] Pompholygis lotæ drach. 6.
Stibii crudi usti & loti drach. 1.
Sacchari candi unc. sem.
[b] Trochiscorum alb. drach. 2.
Butyri recentis sine sale loti unc. 6.
Misce, fiat unguentum cum lapide calaminari.

[a] *Per pompholygem, quintam speciem Cadmiæ* Dioscoridis (*quæ Capnitis dicitur*) *lotamq; intellige. Modus autem lavandi vide supra in ista sect. cap.* 11. *ubi agitur de plumbo, nam ut lavatur plumbum, sic Cadmia & pompholix lavantur.*

[b] *Per Trochiscos albos, illos quos descripsit* Rhasis *accipe.*

SCHOLIA.

COnfice sic. Sumito lib. sem. lapidis calaminaris, eámque in quatuor parteis divide, ita ut pars una non excedat aliam. Prima autem pars igni incandescat: ignita in lib. 1. Aquæ rosarum, in qua prius coxeris foliorum Ruthæ nostræ hortensis unc. sem. & foliorum Fœniculi unc. 1. extinguatur. Tum illa prima lapidis pars abjiciatur. Deinde altera pars in eodem igne ardescat, & in prædicta Aqua rosacea restringuatu, & restincta dejiciatur: Rursus aliæ duæ partes, quæ restant ut prius sigillatim incendantur, & in aqua supradicta extinguantur & ejiciantur. Tunc aqua

Igne carbonum prius accensorum absque fumo antequam lapidem calaminarem recipiat accipe.

per

per lineum pannum nitidum coletur: ac in ea demum aqua, Butyrum pluribus ante vicibus aqua communi elotum, (aquam illam communem semper abjiciendo) longa agitatione penitus commisceatur: quod fiet, si aqua sensim Butyro instilletur, non autem affatim affundatur: alioqui enim vix unquam coincorporantur: dein pompholygem & stibium optimè levigata (ut in superioribus Emplastris & Unguentis levigationis modum docuimus) Butyro ita cum dicta Aqua rosacea incorporato inspergas: desuper Saccharum candum ritè pulverisatum, & albos Trochiscos in pollinem redactos adjicies. Omnia denique commixta ac subacta, scilicet in mortario plumbeo cum pistillo ex eadem materia facto, ad usum in pixide figulina vitreata servato. Adde unc. 1. sem. olei Amygdalarum dulcium sine igne & recens facti, pluribúsque vicibus cum æquis partibus Aquæ rosaceæ & Fœniculi loti semper inter lavandum abjiciendo aquam pro quacunque vice.

Stibii variæ appellationes. *Stibium propriè quid.* *Stibium quid, variæ sententiæ.*

Stibii crudi usti & loti.]Stibium, Stimmi, Antimonium, unum & idem significant. Est autem Stibium secundum *Plinium lib. 33. cap. 6.* lapis spumæ candidæ & nitentis, non tamen transluccenti s. *Brassavolus* vult esse plumbum: Alii lapidem plumbarium referre, magis tamen quam plumbum nitet, aut radiat, & magis friabile, manusque tingens. Alii marchesitam librariorum vel impressorum. *Matheus Sylvaticus lib. pandectarum cap. 24.* ait esse venam terræ similem plumbo. *Serapius lib. aggregat. c. ait ruad.* idem cum *Sylvatico* sentit. Alii metallum esse asserunt eo quod eliquatur ut alia metalla, & quia facile cum ipsis metallis commiscetur. Ex his variis sententiis, *Plinii* sententiam sequamur. Nam Stibium est de genere Fossilium quæ sapiunt naturam metalli & lapidis. Quatenus enim liquatur ut metalla, sapit naturam metallorum: quatenus autem friabile, est revera de genere lapidis & metalli. Duo ejus genera reperiuntur: Mas & fœmina. Mas horridior scabriórq;, & minus ponderosus minúsq; radians: Fœmina contranitet, friabilis, fissurísq; non globis dehiscens. Quæ discrimina possunt optimè demonstrari in fodinis *Germaniæ* ubi maximè abundat, ut à quodam amico *Germano* doctissimo accepi se utrúmque fodisse. Præstat autem Stibium Fœmineum, splendidissimum, nitidum, in confractu crustosum, terræ & calculorum expers. Raro hodie Fossile in nostris officinis habetur: excoctum vero seu eliquatum habemus. Uritur & lavatur in hoc unguento ad sulphureas & acres partes tollendas: vel propter acredinem à sulphure contractam: ne oculis noceat: quæ ustio & lotio talis esse debet. Quantitatem quam voles stibii accipito, & in pollinem tenuissimum reducito: deinde in fictile amplum non plumbatum, conjicito: tum demum carbonibus accensis ad calcinandum cautè exponito, quoad corpuscula illa, quæ emicant, splendorem suum amiserint, vapórque sulphuris omnis cessaverit, fœtorque obsoleverit, interdum tamen spatula ærea movendo. Stibium autem in calcem conversum subalbicantis cineris faciem contrahet. Tunc unc 4, istius calcis in pollinem rediges & in vini albi veteris unc. 2. in fictili cooperto trium horarum spatio macerabis: & infusione peracta vinum evaporabis paulatim super cineres calidos ad stibii siccationem, siccatum itidem in unc. 2 lactis mulieris pariter macerabis & lac super cineres calidos consumes. Consumpto lacte & stibio siccato aliud lac affundes & iterum stibium macerabis eodem igne ad lactis consumptionem, consumpto lacte & desiccatum stibium novies vel decies in æquis partibus stillatitiæ Aquæ rosarum & Fœniculi, semper abjiciendo aquam & áliam stillatitiam innovando in mortario lapideo ablues. Atque hoc modo stibium ustum & ablutum & siccatum reconde, tutéque ad oculorum affectus utere. *Dioscorides lib. 5. cap. 59.* alium torrendi & exurendi modum docet. *Plinius* quoque loco supra citato aliam methodum torrendi exhibet: hos tu modos poteris diligenter observare si nostra non sufficiat præparatio. Cæterum hujus unguenti nulla est authoritas, sed experientia multa & bona.

Stibii duo genera

Stibii optimi electio.

Stibii ustio & lotio secundum hujus unguenti scopum.

Per cautè *intelgendum, ut ignis parvus & admodum exiguus sit cum calcinatur.*

Vires à quibusdam medicis probatæ.

Maxime ad oculorum affectiones & ad hebetudinem confert, fluxiones & inflammationes sistit.

JOANNIS

IOANNIS DV BOYS,

De OLEIS,

Sectio III.

Iandoquidem superiori Sectione Unguenta universa, quæ passim in officinis habentur in usu, qua fieri potuit diligentia & brevitate à nobis explicata sunt: nunc ordine ad Oleorum conficiendorum methodum accedendum: quorum subjectum & materia eadem est cum materia Unguentorum & Emplastrorum, cum ex quacunque re habeatur oleum, sive simplex, sive compositum. Simplex aliquando sponte, ut *Petroleum*: aliquando per expressionem sine aliquâ additione, ut ex simplicibus quæ succum habent oleaginosum, quemadmodum ex tritis *Olivis* maturis, vel immaturis, quod maxime & proprie oleum à *Sylvio* appellatur: item ex *Nucibus, Amygdalis, Seminibus* & consimilibus, ab eodem *Sylvio* oleum abusive nuncupatur. Compositum verò aliquando per infusionem in oleo communi, vel in alio, in sole, vel igne lento coctum cum expressione fit: ut *Rosatum, Violatum, Chamæmelinum, Anethinum* & similia. Aliquando per resolutionem coctione & expressione, sine ulla additione, ut oleum *Ovorum*, de *Frumento*. Aliquando per artem Chymisticam, hoc est, per ascensum, vel descensum, ut oleum de *Cera, Butyro, Axungiis, Lignis, Seminibus*, & consimilibus. De quibus omnibus nobis est agendum, dempto oleo communi, seu maximè proprio, quod omnibus notum est. De aliis igitur quantum rei scopus & ratio exiget, dicemus.

De Oleorum genere secundo, quod à *Sylvio* Oleum abusive appellatur.

CAP. I.

Oleum Amygdalarum dulcium à *Mesue* descriptum 12. Distinctione de Oleis, Usuale.

Verus *Mesuæ* Textus.

R. Ex Amygdalis mundatis ab utroque cortice [a] quantitatem quam volueris.

Et tere contritione ultima, & fac [b] pastones ex eis, & dimitte in loco calido per spatium circiter horarum quinque; deinde iterum tere, & pone in [c] Zanari, & stringantur, & exprimantur, & emanabit Oleum. Si autem in vase duplici circiter per horæ spatium coxeris, deinde expresseris in Zaynari, emanabit abundantius. At si Amygdalis tritis sacellos impleveris, & sub cinere calido, aut arena calida inter pannos sepelieris, & postea expresseris,

[a] *Per quantitatem quam volueris, intellige lib. 1. vel 2. vel 3. ut res postulabit.*

[b] *Per Pastones, intelligit, ut habeant formam pastillorum.*

[c] *Per Zaynarium, torcular intellige, vulgo,* (presses.)

expresseris, abundabit oleum. Modus [d] operationis alius est. Malaxentur in [e] tina, sicut pasta malaxatur, & sit domus in qua malaxantur calida, & fundatur desuper aqua calida parum, & stet [f] pila declivis ubi emanat oleum: & dum sic expresseris, abundabit. Zaynari autem planta inferior sit habens concavitatem & [g] emunctorium in parte decliviori, & in inferiori parte sit globus juxta formam capacitatis concavitatis, ut figillet omni hora ambitu vacui. Hic ergo erit modus formæ ejus.

[d] *Per modum operationis, confectionem manuariam intellige.*

[e] *Per tinam, vasculum aliquod intellige.*

[f] *Per pilam intellige mortarium vel tale quid.*

[g] *Per emunctorium, intellige Epistomium vulgo* (goullet.)

SCHOLIA.

Amygdalarum dulcium electio.

AMygdalarum dulcium, quæ recentes sint, amplæ, dulces nec rancidæ, à cute membranosa expurgatarum lib. 1. vel 2. vel 3. accipe: eas in mortario lapideo nitido, pistillo ligneo contritione ultima contunde (alii in mortario æreo illas contundunt) deinde panno aspero cannabino involve & in Zaynari, id est, torcular ad exprimendum inter moras vel paulatim imponito: ne si subito & violenter comprimas, oleum sit turbidum & fæculentum: hoc namque modo oleum pellucidum, admodumque dulce habebis: quo recenti & non antiquato ad internas & externas corporis partes uti poteris, quia vetustate ob aeris intemperiem incalescit.

Amygdalarum purgatio seu decorticatio.

Amygdalis mundatis ab utroque,] Purgantur Amygdalæ, ut purius fiat oleum à cute membranosa sic. Torreantur & desiccentur in amplo fictili, aut in sartagine cum quadam quantitate furfuris mundi igne lento, manu versando atque agitando, donec cortex scindatur & rumpatur calore: deinde cribrare oportet, ut à furfure purgentur: tum in sacculo ex linteo novo & aspero confricare, & confricando à cortice mundabuntur. Alii habent aquam puram frigidam in fictili mundo, & in ea Amygdalas dulces spatio sex horarum ad macerandum imponunt, quas postea facile manu denudant: ubi denudatæ fuerint inter duo linteamina spatio trium aut quatuor horarum deficcari permittunt: postea oleum in modum prædictum conficiunt. Uterque modus optimus, sed prior altero excellentior. Cæterum minimè dubium esse debet, hoc genus olei in quotidiano usu esse, necnon ab omnibus medicis quotidiè præscribi. Necessarium ergo erit Amygdalas diligenter præparare, ne propriam & insitam qualitatem deperdant: quæ (authoritate *Mesuæ eadem Distinct. Præpositi lib. 2. Particula 13. Fuchsii lib. 2. Sect. 14. Matheoli lib. 1. cap. 33. in Dioscoridem*) posset facile immutari. Si igitur Amygdalæ calefiant, in oleo extrahendo, vel in aqua calida calorem contrahet oleum, quæ levi momento, vel temporis successu calorem illi possit conciliare, aut ranciditatem, cum temperatum esse debeat: tantúmque abest, ut tum leniret, cum partes potius, quibus apponeretur, calefaceret. Quare (salvo meliori judicio) præstantius & expeditius erit methodo à nobis præscripta illas parare, deinde oleum conficere: quæ ratio facilis est & excellentior, quam quæ à *Mesue* & aliis describitur: illáque adeo quotidie in officinis usurpatur.

Vires à *Mesue* descriptæ.

Asperitatem lenit gutturis, & pulmonis, & partium omnium exteriorum, & omnes durities, & siccitates membrorum, & junctura rum, & confert heticis & impinguat, & augmentat sperma. Et injectum confert ardori vulvæ & vesicæ.

Oleum

Oleum de Amygdalis amaris eadem distinct. à *Mesue* scriptum Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

Et modus compositionis ejus est, sicut diximus de oleo de Amygdalis dulcibus.

SCHOLIA.

EOdem modo Amygdalas amaras, quo usi sumus in dulcibus, depellabis, eadémq; methodo post decorticationem earum oleum extrahes.

Vires à *Mesue* dictatæ.

Est aperitivum oppilationum, carminativum ventositatum & resolutivum, & confert dolori aurium & surditati, & sibilo. Lenit asperitates, & delet pannum faciei, & confert doloribus nervorum, & duritiem eorum lenit.

CAP. II.

Oleum de granis sesami ex *Mesue* 12. distinct. de Oleis Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

[a] *Per modum compositionis, artem manuatiam intellige.*

[a] Et modus compositionis ejus est sicut olei de Amygdalis, præterquam quod oportet, ut grana Sesami prius excorticentur.

[b] *Per modum operationis, decorticationem granorum Sesami intellige.*

Granorum Sesami excorticatio secundum Mesuem.

[b] Et modus operationis ejus est. Mundetur Sesamus ab omnibus immunditiis: deinde roretur super ipsum aqua cum sale pauco, & confricetur manibus, iterúmque roretur, donec madefiat: postea expandatur ut exiccetur: deinde assetur assatione modica, & ponatur in sacculo panni asperi, & fricetur multum donec excorticetur: deinde mundetur à corticibus & molatur cum molis, & fiat [c] alrachine: & de cætero trahatur oleum sicut de Amygdalis. Et quandoque trahitur oleum præter quod excorietur: & ejus operatio est ut assetur primo Sesamus, deinde molatur, & fiat alrachine, & extrahatur oleum sicut diximus.

[c] *Per Alrachinam pastam vel pastillos intellige. Alii codices habent Alrachmam.*

SCHOLIA.

IN mortario lapideo, pistillo ligneo, granorum Sesami l. 2. à cortice extraneo prius purgatas & panno cannabino, & rudi, sine ulla calefactione, vel assatione, torculari exprime, usuíque recens exponito.

Granum Sesami, vera excorticatio.

Purgatur autem semen Sesami hoc modo. In pelui aqua frigida & nitida Sesamum macerabis ad mollitiem & humectationem corticis, deinde aquam projicies, & semen panno, aut sacculo ex cannabe rudi, aspero, & denso (ne semen egrediatur) agitabis & contractabis, donec cortex à pulpa separetur: deinde aquæ frigidissimæ & nitidæ quantitatem accipies ad seminis proportionem, ut pro lib. 2. seminis, lib. 6. aquæ sumes, & semen sic confricatum in eam aquam una cum cortice projicies, simul miscendo, ac spatula lignea aliquoties tractando: deinde aliquo temporis spatio quiescere permittes: tunc videbis seminis cortices supernatare, & pulpam in fundum descendere: quam pulpam diligenter colliges, prius tamen aqua cum corticibus abjecta, & inter linteola paulatim desiccabis in sole. Denique (ut superius dictum fuit de Amygd.) oleum conficies. Cæterum notandum erit semen Sesami methodo superius scripta mundari vel decorticari posse sine sale: tum etiam ubi erit decorticatum, facilè oleum extrahitur sine assatione, aut torrefactione, in quantitate sufficienti: videlicet pro duabus libris Sesami decorticati unc. 6. vel 7. olei extrahuntur. Quare qui volunt hoc semen præparare ad oleum conficiendum, caveant ne *Mesuen* imitentur: nam oleum, quod secundum modum *Mesuæ* extrahetur, erit rufum, rancidum, adustionem redolens, cum debeat esse dulce, candidum, nec posset ad quartam operationem olei Rosati, quam *Mesue* describit pervenire.

Vires à *Mesue* designatæ.

Impinguat, & addit in spermate, & lenit durities & asperitates, & clarificat vocem, & lenit guttur, & est materia aliorum oleorum multorum.

De oleorum genere tertio quæ à *Sylvio* composita nuncupantur, fiuntque per expressionem, ac infusionem, facultatémque recipiunt variam ex incoctis variis simplicibus.

CAP. III.

Oleum Rosaceum completum *Mesuæ* distinctione 12. de oleis Usuale.

Mesuæ descriptio vera.

℞. Folia Rosarum rubearum recentium contusarum[a] quantitatem sufficientem,

& sepelias in oleo quod modo lavisti, & reconde in vase vitreo, & obtura orificium ejus, & exponas soli per dies septem, deinde coque in vase duplici per horas tres, deinde fac permutationem foliorum Rosarum, & utere aliis recentibus, & dimitte per alios dies 7. Deinde exerce decoctionem in eo, sicut fecisti prius, & fac denuo permutationem foliorum Rosarum, & projice super illud,

Aquæ infusionis Rosarum quam tradidimus in cap. de Syrup.[b] sicut quantitas olei, & stringe orificium vasis, & dimitte in sole per dies 40. deinde excola & iterum expone soli, & dimitte[c] tempore extenso.

[a] *Per quantitatem sufficientem lib. 4. intellige: possumus tamen lib. 1. vel 2. vel 3. accipere pro animi arbitrio.*

[b] *Sicut quantitas olei, intelligit* Mesues *tantundem aquæ infusionis Rosarum, quantum olei ponendum, quantitas autem dicetur infra in methodo conficiendi.*

[c] *Per tempus extensum longum intellige.*

SCHOLIA.

SCHOLIA.

ANtequam ad methodum olei Rosati deveniamus, notandum imprimis *Mesuem* certum olei ac Rosarum pondus non definire, quatuórque hujus olei componendi formas descripsisse: quarum prima omnibus officinis usitata, à nobísque Pharmacopœis oleum Rosatum maturum & completum appellatur: cujus descriptionem restitutam suis certis ponderibus infrà proximè produximus. Tres quæ supersunt à *Mesue* descriptæ minimè in usum veniunt.

Vera olei Ros. completi & maturi *Mesuæ* usualis descriptio, ponderibus certis definita.

℞. [a] Olei Olivarum veteris, & maturi loti, libr. 10.

[b] Rosarum rubearum recentium completarum, libr. 4.

Confice sic. Rosæ in mortario lapideo pistillo ligneo contundantur optimè: mox fictili arcte obturato soli diebus septem ad infundendũ, una cum oleo prius loto pluribus lotionibus cum aqua fontium nitida ac depurata, exponito. Deinde in [c] vase duplici (vas ubi continetur infusio coopertum esse debet) ad humidi Rosarum consumptionem coquito. Post coctionem torquendo exprimito: Rosas expressas projicito: & tot novas ac recentes, modo prædicto tusas, in oleum colatum eodem vase bene obturato immitte, ac rursus per dies septem insolari permitte. Posthæc ut *prius eodem vase* duplici prædicto ad humidi peremptionem coquito, deinde torquendo calide fortiter exprimito: Rosas abjice, & alias totidem recentes tunde, & in oleum colatum impone unà cum

Aqua [d] infusionis Rosarum. lib. 2. sem.

Eodémque vase quam optime obturato soli ad macerandum, dierum quadraginta spatio expone: denique in diplomate, vel cineribus calidis coquantur, donec tota humiditas Rosarum, vel succus deperdatur: demum torquendo velociter colentur: colatum tectum reconde.

Nicolaus Alexandrinus cap. 740. unum certis ponderibus definitum scribit quod nos omphacinum viride, seu crudum, immaturum, acerbúmq; appellamus, officiníque nostris frequens & usuale, cujus descriptio talis.

[a] *Alii oleum sesaminum recens factum loco communis ponunt, & pro animi arbitrio quantitatem accipiunt.*

[b] *Rosas completas, eas intellige quæ nodos suos explicarunt.*

[c] *Per vas duplex, intellige id genus vasis quod veteres Græci diploma dixere, quod ex duobus vasibus constituatur, quorum unum ferventem aquam, alterum res coquendas cõtineat.*

[d] *Per aquam infusionis Rosarum, illam, scilicet, quam* Mesue *in Distinct. 6. descripsit, ubi agitur de syrupis intellige: præterea tantum aquæ infusionis Rosarum, ac olei jubet ponere: sed re vera quarta pars ipsius infusionis sufficit. Alii succum Rosarum loco aquæ infusionis accipiunt, quod maximè laudo. Alii nullam infusionem, neque ullum succum ponunt; quod mihi minus probatur. Videtur autem infusionis quantitas à* Mesue *descripta major esse quam decet: nam si tota quantitas apponeretur, vix calore solis consumeretur: præterea nimium coquendo, oleum incalesceret, aut alienum odorem acquireret.*

Olei Rosarum incompleti & immaturi, vera *Alexandrini* descriptio eodem capite prius citato repetita, Usualis.

[a] *Oleum omotribes, oleum crudum ex immaturis drupis expressum, intellige.*

[b] *Rosas recentes exungulatas, neque expansas author intelligit.*

℞. [a] Olei Omotribeos abluti, lib. 3.

[b] Rosarum, libr. 1.

Rosæ exungulatæ in mortario diutissime tritæ, cum Oleo in vase vitreo condantur, & ad solem per octo dies exponantur: nono autem die colentur, & ejectis prioribus totidem novellæ contritæ immittantur: iterúmque octo diebus vas in [c] apricum proponatur: circa nonum diem diligenter colentur, & eodem oleo aliæ ejusdem ponderis immittantur: & vas fortiter obturatum, diebus quadraginta soli exhibeatur. Transactis verò constitutis diebus, in temperato loco usui reservetur.

[c] *In apricum, id est ad, solem.*

SCHOLIA.

[a] *Simplex oleum dicitur illud, quod fit ex unica infusione & coctione Rosarum: tamen* Nicolaus *quale oleum an maturum aut immaturum: pariter quas rosas, an expansas, aut non expansas debeamus accipere, non explicat: sed videtur secundum scopum olei ab ipso descriptum, immaturum oleum & rosas minimè expansas accipiendas esse.*

Flat ea methodo qua usi sumus in Rosato completo. Legitur in antidotario *Nicolai Mesuæ* conjuncto, aliud, quod nos oleum Rosatum [a] simplex appellamus, quódque etiam hodie multum est in usu apud nos Pharmacopœos, videlicet, avaritiæ causa, propterea quod non tanti laboris & artificii est, nec tantorum sumptuum: unica enim infusione, & coctione perficitur: cujus descriptio vera talis est.

Olei Rosati simplicis descriptio in antidotario *Nicolai Mesuæ* conjuncto reperta, Usualis.

[b] *Oleum Olivarum immaturum accipe.*

[c] *Rosas quæ nondum sunt expansas, exungulatas sumito.*

℞. In duabus libris [b] olei communis, & ad nostram doctrinam abluti lib. 1. & mediam [c] Rosarum viridium aliquantulum contusarum.

Ponatur in olla, in caldario pleno aqua suspensa, & tamdiu bulliat quoúsque ad tertiam partem veniat, quod demum albo panno lini immissum torculari exprimatur, & liquor reservetur.

SCHOLIA.

Olei Olivarum maturi, seu immaturi electio. Oleum commune olivarum maturum, seu immaturum lavandi modus.

PErfectè & vehementissimè Rosæ exungulatæ, recentes tundantur in mortario lapideo cum pistillo ligneo: deinde cum oleo communi abluto, fictili bene obturato, in diplomate ad humidi consumptionem coquantur: revera satius esset eas prius in dicto oleo infundi, spatioque quadraginta dierum soli exponi, antequam decoquantur. Post coctionem albo lini, vel cannabino panno involvantur, & torculari exprimantur. Expressum optimè tectum reservetur. Alii istud componunt cum oleo maturo, & rosis exungulatis maturis & expansis: & cum à medicis præscribitur oleum Rosatum simpl. maturum istud exhibetur.

Olei Olivarum veteris maturi, aut maturi loti.] Elige olei candidi, dulcis, perlucidi, odorati, modicè calidi, aut immaturi recentis viridis, seu crudi omphacini, & acerbi, quantitatem sufficientem accipe in ampulla vitrea forti, ac satis ampla, in fundo & orificio superiori foramen habente, foramine utroque obturato aquæ fontis calidæ & olei semiplena, satis violenter agita semihoræ spatio.

Deinde

Deinde quiescere permitte unius horæ momento, donec videas oleum aquæ supernatare, & aquam in fundo ampullæ subsidere: quam hac methodo, separabis, videlicet foramen inferius aperiendo, quo tanquam exiguo canali effluet: & ubi tota aqua effluxerit, diligenter foramen obtrudere oportet, ne oleum effluat. Deinde per superius orificium aquam calidam fontanam super oleum infundes, & obturato orificio agita & quiescere ut antea permitte, post simili modo aquam ab oleo segrega: id semel atque iterum repetendo factita, sicque oleum lotum habebis, ad oleum Rosatum completum, incompletum, simplex, vel aliud oleum quod lotum requirit. Eo quoque pacto oleum & cera simul lavantur in Ceratis, Emplastris, & Unguentis, quando usus postulat.

Vires olei Rosati completi ex *Mesue.*

Est confortativum & resolutivum convenienter, lenitivum, & sedativum.

Vires olei Rosati incompleti ex *Nicol. Alexandrino.*

Virtutem habet frigidam & stipticam, & ideo ad dolores capitis ex febre, seu ex ardore solis, optimum est. Ardores autem & dolores, quos ventriculus biliosis humoribus plenus sua ventositate in loco aut in parte capitis progignit, cum[d] aminei aceti quarta parte capiti & fronti illitum arcet. Tormina & dolores in stomacho, seu intestinis ex acredine acerrimæ choleræ illatos cum Mastiches drach. 2. & sufficienti cera in ipso solutis locis inunctum ipsis quam primum emendat. Ad erysipelata utile est, quibus in superficie non apparent, & alia hujusmodi multa.

[d] *Per amineam uvam ruberrimam in vepribus nascentem intellige.*

Vires olei Rosati simplicis ex antidotario *Nicolai Mesuæ* conjuncto.

Virtutem habet frigidam & stipticam: & ideo ad dolores capitis ex febre seu ex calore solis optimum est, ardores autem & calores quos Stomachus plenus sua ventositate in toto seu in parte capitis aufert, &c. Easdem enim vires obtinet, quemadmodum incompletum ab Alexandrino *descriptum. Igitur si easdem vires obtineat ut oleum incompletum ab* Alexandrino *scriptum, exungulatæ in hoc conficiendo esse debent Rosæ: cum* Nicolaus Mesuæ *conjunctus nihil in suo antidotario determinarit. Cumque etiam* Alexandrinus *exungulatas quærat ad illud componendum.*

CAP. IIII.

Oleum violatum *Mesuæ* distinctione de oleis Usuale.

Vera *Mesuæ* descriptio.

[a] *Per operationem, manuariam confectionem intellige.*

Et modus [a] operationis est sicut olei Rosati, excepto quod debet fieri cum oleo viridi, & aut Amygdalino aut Sesamino cum illis modis operationum quos diximus.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

℞. Flores violarum martiales quæcumque sunt ex primis quas non deprehendit calor virtutem resolvens, aut pluvia dissipans, recentes. lib. 2.
Olei immaturi seu Omphacini olivarum loti. lib. 5.
Aquæ infusionis violarum recentium. lib. 1. unc. 3.

Confice eo modo quo sumus usi in Rosato.

Vires ex *Mesue* desumptæ.

Oleum violatum inflammationes sedat, ubicunque sint, & lenit asperitates etiam pectoris, & pulmonis, & sedat Apostemata calida, & pleuresin.

CAP. V.

Oleum de Cotoneis *Mesuæ* 12. distinctione de oleis Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

Accipe carnium cotoneorum tritorum

Cum cortice suo, quibus medietas accidit maturationis.

Succi eorum ana [a] Partes æquales.

Olei ex olivis incompletis, [b] quantum sufficit.

Et pone in vase vitreo per dies quindecim ad solem, deinde coque in vase duplici per horas quatuor: post illud fiat permutatio cotoneorum, & succi eorum: fiat sicut diximus bis, vel ter, deinde cola & reconde.

[a] *In hoc Partem sume pro lib. 1. & lege ana lib. sem. Alii nullum succum imponunt.*
[b] *Per quantum sufficit lib. 1. & unc. 3. accipe.*

SCHOLIA.

Cotoneorum pro scopo olei electio. Succi cotoneorum extractio.

Cotonea poma lanugine detersa rotunda & odorata pene immatura, aridisq; locis nata ad hunc usum laudat *Plinius*: quæ cum corticibus ad infusionem, & succum parandum in scobem tenuem cum lima lignea radere oportet: deinde in panno cannabino, rudi, celeriter torquendo, ut emanet succus exprime. Expressum, & pariter scobem tenuem non expressam, quantitate idonea, una cum olei quantitate præscripta, 15. dierum spatio ad maceranda in fictili cooperto ad solem expone. Macerata in diplomate ad succi humidique consumptionem decoquantur. Decoctione facta torquendo colentur: & colaturæ succus recens ac recentia cotonea, ut prius præparata, dicto fictili cooperto immittantur, & rursus totidem diebus insolentur, & eodem igne supradicto ad humidi peremptionem coquantur. Post coctionem & colationem, alia cotonea atque succus expressus colaturæ injiciantur, & superiore doctrina insolentur & coquantur: Idem, si præstantius vis habere oleum, bis aut ter dicto modo repetes. Postremo colatum repones: eritque constans & certa ejus facultas.

Vires

Vires à *Mesue* notatæ.

Stomachum & membra nutrientia confortat, & nervos quibus accidit laxitas, & prohibet multitudinem sudoris.

CAP. VI.

Oleum Irinum *Mesuæ* 12. Distinct. de Oleis, Usuale.

Verus *Mesuæ* Textus.

[a] *Per radicum ejus, Ireos intellige, & per quantitatem aliquam libr. 1. sume.*

Accipe [a] radicum ejus quantitatem aliquam & florum ejus [b] duplum &

[b] *Per duplum, lib. 2. cape.*

[c] *Per quod sufficit, libr. 1. sem. unc. 4. sem. accipe.*

Aquæ decoctionis radicum ejus [c] quod sufficit: & funde super ea.

[d] *Oleum Olivarum lotum cape, & per quantum oportet lib. 7. sem. accipe: alii lib. 5. accipiant.*

Oleum sesaminum aut de [d] Olivis maturis quantum oportet.

[e] *Per folia Liliorum folia Iridis purpureæ intellige.*

Et decoque in duplici vase, deinde permuta radices & folia [e] Liliorum, & fac ut diximus de oleo Rosato.

SCHOLIA.

RAdices recentes tempore & loco collectas minutissimè incisas ac velociter in lapideo mortario cum pistillo tusas, unà cum floribus recentibus *mediocriter* tusis, in Oleo sesamino, fictili cooperto impone (aut Oleum commune Olivarum dulce, insalsum ac maturum accipe) spatióque 7. dierum calidè macerabis: deinde in diplomate ad humidi radicum & florum consumptionem coquantur: dein[illegible] calide torquendo vehementer exprimantur. Tunc tantundem radicum & florum [illegible]li modo tusorum, *in expressione colata eodem vase obturato immitte, ac rursus in* solari per dies septem dimitte. Posthæc ut prius prædicto igne ad humidi consumptionem percoquito, deinde extorquendo calidè comprimito, radicésque unà cum floribus siccis abjicito: & tantundem recentes contunde, & in Oleum colatum impone una cum aquæ decoctionis radicum quantitate prædicta, eodémque fictili cooperto soli ad macerandum dierum septem spatio expone. Peracta maceratione, igni levi, hoc est, in diplomate vel cineribus calidis percoque, ut tota radicum humiditas, florum & aquæ decoctionis radicum consumatur. Humiditate consumpta cannabino panno calide oleum transcoletur, colatum verò optime coopertum ad usum conservetur.

Cæterùm neminem latere debet *Alexandrinum cap.* 718. hoc describere & pariter *Myrepsum nn.* 30. variántque ab isto. *Dioscorides lib. 1. cap.* 55. pretiosissimum habet, sed nobis factu ob ingredientium inopiam impossibile. Præterea notabimus ad decoctionem prædictam faciendam radicum Ireos unc. 12. cum aquæ fontanæ libr. 4. sem. sufficere: totúmque ad medias coquere licet, aut paulo plus. Atque hæc ideo monui, ut nihil tyrunculi temere agant.

Verè proportio aquæ, & radicum ad decoctionem prædictam faciendam.

Vires à *Mesue* scriptæ.

Hoc Oleum est absterssivum, resolutivum, & maturativum, & sedativum dolorum frigidorum, & subtiliativum, et maturativum materierum quæ sunt

in

in pectore & pulmone, & confert doloribus hepatis, & splenis, & calefacit ea. Et confert doloribus junctura rum: & lenit durities earum, & apostemata dura & scrophulas. Et confert dolori & frigiditati matricis, juvamentum manifestum. Et confert spasmo, & destillatur in aurem, & confert dolori ipsius, & fœtori narium.

CAP. VII.

Oleum de Absinthio authore incerto mihi, Usuale.

[a] *Alii Absinthii unc. 4. sumunt.*

℞. Olei Olivarum maturi loti, lib. 2. sem.
Cimarum [a] Absinthii Pontici, lib. 1.

[b] *Alii succi ejus unc. 4. ponunt, sed melior dosis nostra.*

[b] Succi ejus, unc. 7. sem.
Confice eadem methodo, qua usi fuimus in oleo Rosato completo.

Vires à quibusdam doctoribus dictatæ.

Frigida membra roborat, & calefacit, & præsertim ventriculum: appetentiam excitat, obstructiones aperit, & morbis omnibus obstructionum à causa frigida occurrit: vermes interficit si unguentis vel Emplastris apponatur.

CAP. VIII.

Oleum Anethinum *Mesuæ* Distinctione 12. de Oleis, Usuale.

Verus *Mesuæ* Textus.

[a] *Per modum operationis manuariam confectionem intellige.*

Modus [a] operationis ejus est ficut olei de Chamæmelo.

SCHOLIA.

[b] *Summitates Anethi uno die siccatas* Paulus *assumit.*

℞. Florum vel [b] summitatum Anethi recentium, libr. 2.

Olei Olivarum completi & loti, lib. 5.

Aquæ decoctionis summitatum anethi, lib. 1. unc. 3.

Confice veluti Rosaceum completum, hoc est, pari methodo.

Ad decoctionem autem prædictam faciendam apponendæ sunt florum Anethi unc. 4. aquæ verò lib. 1. sem. Fiat decoctio ad unc. 3. consumptionem.

Vires

CAP. XVII.

Oleum Nardum *Mesuæ* 12. distinct. de oleis, Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

[a] *Per spicam Aromaticam, nardum in licam intellige.*
[b] *Vinum rubrum odoriferum, accipe.*
[c] *Loco olei Sesamini, oleum Amygd. dulcium recens factum usurpamus secundum* Mesuen: *nam sæpissime pro eo illud non raro substituit dum ait. Sesamini olei, vel dulcis, hoc est, Amygdalini recenter & sine igne facti.*

℞. *a* Spicæ aromaticæ. unc. 3.
b Vini & aquæ, ana unc. 2. sem.
c Olei Sesamini. lib. sem.
Decoquantur in vase duplici lento igne quasi per horas quatuor, & frequenter moveantur.

SCHOLIA.

SPica quam minutissimè incidatur, spatioque horarum quatuor, vase fictili cooperto, una cum oleo, vino, & aqua, calidè maceretur. Alii spatio unius diei spicam, vinum & aquam absque oleo macerant: quod fieri minimè debet, quia infusio tepida & calida debet semper esse: igitur si tanto macerentur temporis calidè in vino & aqua, magna fiet consumptio, ita ut parum supersit ad decoquendum cum oleo: exhalabitque vis spicæ, si coquatur sine oleo. Macerata igitur, ut dixi, omnia simul ad consumptionem vini & aquæ vase duplici aut cineribus calidis, decoquantur: deinde per pannum cannabinum extorquendo transcolantur: colatum ad usum serva.

Vires à *Mesue* descriptæ.

Oleum nardinum est oleum benedictum multorum juvamentorium, & propriè ad omnes ægritudines frigiditatis, & ventositatis, & propriè nervorum, stomachi, & hepatis, & splenis, renum, & vesicæ, & matricis: & confert dolori capitis, & hemicraniæ, secundum omnem modum administrationis ejus: etiam facto ex eo caput purgio, purgat caput, & colorem efficit bonum, & corporis dolorem.

Oleum nardinum compositum *Alexandrini* in lib. de compos. medicamentorum secundum loca cap. 711. interdum, Usuale: quod ille inventum fuisse à *Vindiciano* medico profitetur.

Veri *Alexandrini* textus pars media.

[a] *Oleum* Hispanicum *olivarum maturum ab* Hispania *allatum intellige.*
[b] *Semen nigellæ* Romanæ, *accipe: nam Aromatica est, alia quasi venenum est, & caput tentat, quæ apud nos inter segetes deprehenditur.*
[c] *Spicam, Indicam accipe.*

℞. *a* Olei Hispanici. lib. 3. unc. 1. sem.
Asplati.
Myrrhæ.
b Nigellæ viridis.
c Spicæ. ana unc. 3.

Xylobalſami.

Caryophyllorum.

Cyperi.

Schœnanthos.

[d] *Ariſtolochiæ, radices, longæ, accipe.*

d Ariſtolochiæ.

[e] *Inulæ radices accipe.*

e Inulæ campanæ. ana drach. 1. ſem.

Balſami.

[f] Alexandrinus *in margine iſtius compoſitionis ſic ait. Caſſamum legit* Simon Ianuenſis: *&* Haliabas lib. 2. *Caſſamum ponit pro Seſeli:* lib. *vero* 10. *pro Keiſim quod plurimi interpretantur eſſe liguſticum: alii vero pro caſſamo, panis porcini radices hoc loco ſumunt.*

Cinnamomi.

Calami aromatici. Folii.

Carpobalſami.

f Caſſami.

[g] *Cardamomum majus accipe, non autem granum paradiſi, ut multi faciunt.*

g Cardamomi. ana unc. 1.

[h] *Nuces myriſticas, moſchatas intellige.*

h Nucis myriſticæ.

[i] *Per Styracem, calamitam intellige.*

i Styracis.

[k] *Per coſtum, radices coſti amari accipe.*

k Coſti.

[l] *Per caſſiam fiſtulam, intellige ligneam caſſiam veram, quæ eſt caſſia fiſtula* Græcorum: *ſyrinx vocata.*

l Caſſiæ fiſtulæ.

Labdani.

[m] *Per Phu, radices Valerianæ accipe.*

m Phu.

[n] *Radices Aſari ſume.*

n Aſari.

[o] *Per Amaracum, intellige Sampſuchum: & puto potius legendum eſſe Tamaricis quam Amaraci, ut* Præpoſitus *legit.*

o Amaraci.

Maſtiches.

[p] *Per faſcem* Gallicam *ſpicam Celticam intellige.* Præpoſitus *faſcis* Gallici *loco capit fraxinum.*

p Faſcis gallici,

[q] *Per Samum, Samiam terram accipe, & loco ſami* Præpoſitus *baccas juniperi capit.*

q Sami.

[r] *Myrti folia accipe.* Præpoſitus *loco Myrti ſumit mentham.*

r Myrti.

[ſ] *Per Syriacam intelige malvam.* Luminare majus *pro Syriaca capit flores hyperici.*

ſ Syriacæ. ana drach. 2.

Confice ſic. Aſpaltum, Myrrham, Inulam, Phu, Aſarum, Carpobalſamum, Myrtum, Xylobalſamum, & Sampſuchum, particulatim tuſa & in aquæ ſextario uno die ac nocte infuſa, oleo admiſce, & tandiu coque, donec aqua conſumatur, non tamen uſquequaque, ne oleum exardeſcat: cumque

cúmque refrigeratum fuerit, die eodem accuratissimè cola, & species injice: deinde Cyperum, Schœnanthum, Aristolochiam, Cassamum, fascem Gallicam, Cardamomum, folium, nigellam, calamum, cassiam fistulam, samum, seorsim contusa, & in vini semisextario diebus tribus infusa, ubi decoxeris, eodem modo effervefacito, oleóque bene colato, species extermina: tertióque die Spicam, Caryophyllos, Cinnamomum, nuces mysticas, costum, trita in vini optimi semihemina per biduum infunde, & superiori documento ad vini cõsumationem coque, & non colatum ab igne depone & in parte ipsius olei Labdanum, Mastichen, Styracem, contusa cum Balsami medicamine admisce, & ad leves prunas aliquantulum bulli, spatula assiduè agitando: ab igne depositum, in ampulla brevi foramine prædita conde, diligentérque obtura ne suavissimus odor exspiret.

Semihemina non sufficit ad Spicam caryoph. Cinnamomum, nuces Myrist. & Costum infundẽdum, proinde licet heminã integram accipere, ut simplicia coctione vinúmq; possit centrũ præd. ctorum penetrare.

SCHOLIA.

SImplicia diligenter electa, crassiuscule in mortario metallico pistillo ferreo, seorsim terantur, ut Cyperus, Cassamum, Aristolochia, calamus, cassia lignea, Scœnanthos, fascis gallica, Cardamomum, Nigella, Folium & Samum: tusa in vini rubri odoriferi Sextario dimidio, una cum oleo spatio trium dierum super cineres calidos vase probè obturato infundantur: secundo die infusionis adde desuper sequentia seperatim denséque trita, ut Costum, Spicam, Caryophylla, Cinnamomum, nuces Myristicas, cum Hemina una vini rubri odoriferi: quæ omnia rursus spatio duorum dierum calidè maceranda vasi cooperto imponantur: tertio verò die macerationis, quæ subsequuntur particulatim crasséque trita ut Inulam, Xylobalsamum, Phu, Asarum, Asphaltum (satius & rectius esset si Asphaltum cum pauco liquore non oleaginoso *infra scripto dissolveretur*) *Carpobalsamum, Syriacam,* Myrtum, Sampsuchum, vel Tamariscum & *Myrrham (præstantius esset Myrrham* dissolvi in eodem liquore *quo* Asphaltus *fuit dissolutus,* vel in pulverem redigi tenuissimum, & dissolutam vel pulverizatam cum oleo cocto ac colato, una cum ladano, Syrace, Mastiche, & Balsamo admisceri) calidè vasi ad infundendum spatio unius diei in aquæ clarissimæ Sextario uno conjicientur: deinde finitis diebus macerationis, nempe, quarto die, hoc modo coquantur. Superponatur capitellum vitreatum rostratum cum suo recipienti, fictili in quo simplicia sunt macerata, lutetúrque diligentissimè circumcirca luto forti ne spiritus in auras abeant, & in diplomate, vel in cineribus adaptetur, subtérque ignis accensorum carbonum construatur, ut vapor ferè totus aquei & vini humoris fictili impositus in summitatem capitelli ascendat qui statim in recipiens descendet, & cum omnino descenderit (quod planè dignoscetur quando vapores non amplius ascendant *in capitellum nihilque* in recipiens descendet: vel ferè vinum & aqua quæ author postulat misceri oleo & simplicibus tota in recipienti contineantur: (quod ferè pondus trium librarum æquabit) tunc capitellum à fictili & à recipienti delutetur, & liquor totus in recipienti contentus, in fictile infundatur, & ut prius eadem methodo ad destillandum adaptetur (semper tamen fictile cum capitello, una cum recipienti lutando) hæcque destillatio pluribus vicibus repeti debet, semper aquam extractam in vas prædictum affundendo, & toties pari forma distillando, donec libr. sem. aut ad summum unc. 9. remaneant, ad aliqua scilicet, quæ cum oleo conservari debent dissolvenda. Tunc fictile à diplomate, vel à cineribus extrahatur, eo extracto oleum & simplicia in eo contenta per pannum cannabinum non mediocriter rarum velociter extorquendo colentur: in parte autem olei colaturæ dissolve in vase duplici Ladanum, mox Styracem & Mastichen segregatim cum aqua extracta & conservata pariter dissolves: omnibus *dissolutis & à diplomate depositis, residuum* colaturæ una cum Balsamo, aut ejus succedaneo admisceatur. His itaque diligenter

Per sextarium, à Saladino, videlicet, descriptum intellige: quæ ponderat unc. 30. taleque pondus maximè ad supradicta infundenda convenit.

Per heminam, illam videlicet, descriptam à Saladino, quæ ponderat unc. 15. intellige, quia etiam videtur pondus ipsius heminæ ad simplicia macerandasufficere.

genter commixtis, vase stricti orificii cooperto, ne jucundissimus odor evanescat, condatur.

Alii alia utuntur methodo, videlicet, simplicia primæ infusionis mediocriter trita, una cum olei & vini quantitate ab authore scripta tempore dicto calidè infundunt: deinde diplomate ad humidi peremptionem coquunt, humiditate perempta colant: colaturæ simplicia secundæ macerationis parum contrita una cum vini quantitate requisita ut supra, tempore designato macerant & ad humidum usque decoquunt, consumpto humido iterum colant, & colaturæ simplicia ultimæ infusionis crasse tusa, una cum aquæ quantitate descripta tempore determinato superiori documento infundunt & ad humidi consumptionem coquunt, & rursus percolant. In parte autem colaturæ Ladanum & Mastichen liquant, liquatis & ab igne depositis Balsamum addunt, desuper partem reliquam colaturæ spatula lignea movendo conjungunt: utérque modus optimus, sed prior efficacissimus quamvis in officinis raro usitatus sit. Cæterum in hoc notare debemus *Alexandrinum* & *Præpositum* in methodo conficiendi syriacam omisisse: rursus *Præpositum* maximè in simplicibus variare, & à methodo *Alexandrini*. Quare ea quæ sunt observanda in hoc conficiendo tyrunculus observet.

Et in aquæ sextario uno.

Et in vini semisextario.

Trita vini optimi semihemina.] Sextarius æquivalet Heminis duabus: sed in his explicandis magna est controversia: propterea quod aliquando pondere definiuntur: aliquando mensura: pondere quidem ut cum pro varietate eorum quæ excipiuntur & continentur, quorum quædam graviora sunt, quædam leviora. Nam Hemina ponderat unc. 9. si de oleo agitur. Hemina aquæ vini & aceti unc. 10. vel potius ut nos experti sumus excedit unc. 12. mellis lib. 1. vel potius lib. 1. semis, si libra medica usurpetur quæ continet unc. 12. ut decet. Mensura autem definiuntur, ut cum *Galeno* explicanti *Andromachi* oleum Ricininum Cotilas sive Heminas unc. mensuralibus 9. constare probabile est, ut sex cotilæ sint unc. quatuór & quinquaginta, quod idem est cum libris mensuralibus *Romanis* quatuor & dimidia. Eadem ratio Sextarii quia est duplicata Hemina, ut quod de una horum dictum sit, de altero intelligatur. Si Hemina mensuralis acciperetur, non essent distinguendæ Hem. olei, aquæ, vini, & mellis, sed tantum ingerendum quantum capacitate vasis contineretur, at plerique authores ponderant non contenti mensuralibus. Tamen ut apertè intelligatur sextarius vini, aquæ, aceti, olei & mellis, secundum *Saladini* mentem æqualis accipitur penditque unc. 30. ubi pondus intelligit librarum duarum semis quodcunque sit quod ponderetur: alii autem limatius ista definiunt, ut res aliæ aliis sunt graviores aut leviores: ut Avicennas unc. 24. aquæ, vini, & aceti Sextario contineri, olei vero unc. 12. videntur autem potius legendæ unc. 18. quia satis constat ut sæpè experti sumus, pondus mellis, pondus olei ex dimidio exuperare, & aquam olei pondus ex tertia parte excedere: atque oleum esse levius melle & aqua. Itaque valde observare oportet quid solitus sit author per Heminas intelligere, anne scilicet pondus majus aut minus requirat, pro varietate eorum quæ in medicamentis desiderantur: ut si olei Heminam nominet, anne intelligat unc. 9. si verò aquæ, vini, vel aceti Heminam quia gravior est, anne unc. 12. quod tamen plerique non distinguunt, quia habent rationem capacitatis. *Dioscorides, Galenus* & *Paulus* sic Heminam in liquidorum ponderibus & mensuris definiunt. Hemina vini, aceti, & aquæ, unc. 10 pendet: olei unc. 9. mellis unc. 12. *Paulus* capit unc. 13. semis. Sed communis sententia est quæ prius descripta, ut Hemina significet unc. 15. id est, libram unam medicam cum quarta parte. Sed hæc quæstio valde ardua quæ instituitur de ponderibus & mensuris. Plura autem leges apud *Agricolam*, *Paulum*, *Galenum*, & alios qui hac de re controversa scripserunt.

Sextarii & Heminæ explicatio varia.

Hemina spectata pondere.

Hemina spectata mensura.

Maximè usitata Heminæ & sextarii acceptio.

Avicennæ opinio de pondere olei aquæ & mellis

Ejusdem restitutus locus. Conclusio disputationis.

Vires ab *Alexandrino* probatæ.

Virtus ejus calefactoria & relaxatoria est. Inunctum cephalalgicis & hemicranicis

micranicis prodest, dolorem aurium cum pipere trito veterannm aufert, paralyticis & tremulis summum remedium est, arthriticis & podagricis inunctum furiosos dolores mitigat: Antidotis & electuariis, ad lapidem renum & vesicæ confectis admixtum non vulgariter opitulatur: matricis dolores, suffocationes, & tumores, pessariis adhibitum & suppositum mirabiliter sedat. Stranguriam & dysuriam cum tertia parte succi ocymi per catheterem clysterizatum absque mora solvit, & ad multa alia facit.

Catheter *est instru mentum in quo imponuntur injectiones enematum: vulgo* (Seringue.)

CAP. XVIII.

Oleum de castoreo simplex *Præpositi*, in 14. particula de oleis, Usuale.

Verus *Præpositi* textus.

[a] *Oleum, olivarum maturum accipe.*

Decoquatur unc. 1. castorei in lib. 1. [a] olei usque ad consumptionem tertiæ partis, & conservetur oleum cum pulvere castorei.

SCHOLIA.

TEstium castorei *Pontici* à tunicis purgatorum naturalibus, liquorem recentem, intus cerosum odore gravi virus redolentem, gustu acri mordente accipito, & oleo communi dissolvito: dissolutum in diplomate cum unc. 2. vini albi odoriferi ad vini consumptionem decoque, coctum usui servetur. *Castorei electio.*

In hoc maximè notandum, Præpositum decoctionem castorei facere cum oleo, sine aliquo liquore, ad tertiæ partis olei consumptionem: quod re vera nunquam fieri poterit hac methodo: nam si oleum infinitis diebus in igne remaneret, nec gutta quidem illius consumeretur, ut satis nobis operantibus notum est: sed potius adureretur, nec aliquam virtutem retineret. Quare, ut suppleatur quod necessarium est ad hujus olei præparationem, consuevimus unc. 2. vini albi addere ut vinum quod subtile est, faciat liquorem castorei oleum penetrare coquendo. Præterea maximè cavendum, ne hoc oleum transcolemus, immo castoreum cum oleo servari oportet etsi recens non sit.

Vires à quidusdam medicis præscriptæ.

Valet ad omnes nervorum & cerebri offensas frigidas, sanat rigores acerrimos, & frigora febrium sedat, si spinæ dorsi illitum apponatur.

Oleum de Castoreo compositum ex *Luminari majori* Sect. 11. tractatu de oleis magistralibus, Usuale.

Textus *Luminaris* verus.

℞. Castorei.

Styracis calamitæ.

Galbani. Euphorbii.

Cassiæ ligneæ.

Croci.

Croci. Opopanacis.

Carpobalſami.

Spicæ nardi.

Coſti. [a] ana drach. 2.

Cyperi. Schœnanthi.

Piperis longi.

[b] Bratheos.

Pyrethri.

Piperis nigri. [c] ana drach. 2.

[d] Olei olivarum. lib. 4.

[e] Vini albi & boni. lib. 2.

Bulliant omnia ſimul ad conſumptionem vini deinde exprime, & reſervetur.

[a] *Alii ana, drach. 3. legunt, & melius.*

[b] *Brathin* Serapius *in capite de junipero dicit eſſe ſabinam.*

[c] *Legendum eſt ana drach. 2. ſem. ut multi alii codices legunt.*

[d] *Oleum olivarum, maturum accipe: alii loco lib. 4. lib. 3. capiunt.*

[e] *Legendum eſt vini albi unc. 12. quæ ſufficiunt: ad omnia aromata coquenda cum oleo: vel ad ſummum lib. 1. ſem.*

SCHOLIA.

CRaſſiuſcule omnia ſimplicia electa (dempto Galbano, opopanace & euphorbio) ordine & per ſe terantur: videlicet, quæ teri debent terantur: ut coſtum, &c. quæ verò incidi, incidantur, ut Spica nardi, Schœnanthum, die uno in magna parte vini albi prædicti, una cum oleo ſuper cineres calidos, vaſe bene obturato macerentur. Secundo die in vaſe duplici ad vini evaporationem coquantur: poſtea exprimendo colentur: colaturæ Galbanum, Opopanacem, & Euphorbium, in reliqua portione vini ſupradicti per ſe liquata, colata, & ad humidi conſumptionem lento igne cocta, ſpatula movendo permiſce, demum omnia probè commixta & conjuncta reconde.

Cæterùm notabis, quod ſi recens ſit caſtoreum, illius liquorem liquidum & ſeroſum eſſe debere, quem cum Gummi generibus diſſolutis, colatis, & coctis paulatim admiſcebis, ut facilius cum dicto oleo commiſceri poſſit. Quod ſi caſtoreum ſit ſiccum, contundes, & cum oleo cocto, & colato, recondes. Alii pulverem caſtorei prædictum, oleo cocto, in fundo vaſis recondunt, una cum Styrace pulveriſato, ut vis caſtorei, & Styracis, in oleo remaneat, quod maximè laudo.

Vires ex *Luminari* majore deſumptæ.

Valet in omnibus ægritudinibus, & confert tremori, & tetano, & doloribus nervorum & junctur arum: alii paralyſi & ſpaſmo mederi affirmant.

CAP.

CAP. XIX.

Oleum costinum *Mesuæ* 12. distinct. de Oleis Usuale.

Textus *Mesuæ* verus.

[a] *Radicis costi, intellige, & quia vero costo caremus,* Avicenna *ponit medietatem radicis Pyretri.* Syl. *radices inulæ, aut Galangam majorem sumendam esse docet.*

[b] *Per cassiam, ligneam author intelligit.*

[c] *Per quantum sufficit unc. 9. vel ad summum unc. 12.*

[d] *Olei Sesamini loco si deficiat, dulce, hoc est, ex Amygdalis dulcibus substituendum erit, & legendum est lib. 2. loco lib. 3.*

℞ *a* Costi amari. unc. 2.

b Cassiæ. unc. 1.

Extremitatum Sampsuci. unc. 8.

Vini odoriferi *c* quantum sufficit ad infundendum noctibus duabus.

d Olei Sesamini. lib. 3.

Decoquantur sicut oleum nardinum horis sex.

SCHOLIA.

RAdix costi, & cassia lignea simul probè concassentur & in vino odorifero unà cum extremitatibus Sampsuci viridis crassè contusis, fictili novo cooperto spatio horarum quatuor, ad summum sex, ad infundendum super cineres calidos imponantur. Alii spatio unius diei simplicia infundunt: unà cum oleo Sesamino aut ejus succedaneo: & in diplomate omnia ad humidi consumptionem coquunt: ubi cocta fuerint, calidè exprimendo transcolant. Colatum verò oleum ad usum reservant.

Vires à *Mesue* descriptæ.

Nervos & lacertos calefacit, & aperit oppilationes eorum, & confortat omnia membra nervosa, & confert stomacho, & hepati, & confortat capillos, & prohibet canitiem, & facit colorem, & odorem corporis bonum.

CAP. XX.

Oleum de euphorbio *Mesuæ* 12. distinctione de oleis, Usuale.

Textus verus *Mesuæ.*

[a] *Euphorbium recens, si reperiatur accipe, si vero deficiat, vetus.*

[b] *Oleum de cheiri* Mesuæ *scilicet.* Galenus *olivarum & maturum capit.*

[c] *Per tantundem, unc. 5. intellige.*

℞ *a* Euphorbii. unc. sem.

b Olei de cheiri. unc. 5.

Vini odoriferi *c* tantundem.

Decoque usque ad vini consumptionem, & utere.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

REcens euphorbium accipito : si autem recenti careamus, veteris dupla, vel tripla esse debet proportio. Illud in tenuissimum pulverem reducito : sed inter pulverisandum pauco vino aspergito, ne nares feriat. Pulverisatum una cum oleo, vinóque rubro, lento igne, vase duplici, spatula movendo ad consumptionem vini prædicti decoquito. Coctum nec colatum ad usum reconde.

Per invalidum recens & album intellige.

Maximè hic notandum *Galenum* in fine lib. 2. Pharm. pro vario scopo oleum de euphorbio parare. Sic enim inquit, *si euphorbium invalidum sit*, vel si vetus est, ut bimum, trimum, & jam pallidum, aut flavum, drach. 6. si sensus in auribus vel parte alia est acerrimus minus, semiunciam vel drach. 3. si obtusus, validi euphorbii unc: sem. vel drach. 5. præsertim si affectus est contumax, ut alopecia, licet apponere. Quocirca diligenter attendat Pharmacopœus electionem veram euphorbii, antequam istud oleum conficiat, ut possit hanc compositionem rectè parare. Cæterum notabimus *Galenum lib. 2. de compos. it. medicam. secundum loca*, oleum commune maturum ad lib. 1. capere in quantitate prædicta euphorbii, illúdque minuere aut augere pro scopo vario.

Vires à *Mesue* notatæ.

Ad ægritudines nervorum frigidas, & dolores eorum, & junctur arum, & dolores hepatis & splenis valet : fit caput purgium ex eo ad sodam, hemicraniam & lethargiam.

CAP. XXI.

Oleum de piperibus ex *Mesuæ* 12. distinct. de oleis cum additione, raro Usuale.

Verus textus *Mesuæ.*

[a] *Legendum trium piperum ana drach. 2.*

Rc. Trium piperum. *a* ana unc. 3.

[b] Ex his *quatuor myrobalanorum generibus cortices sumendi sunt.*

b Chebulorum.

Bellericorum, & Emblicorum.

Indorum. ana drach. 5.

Radicum apii.

Fœniculi. ana drach. 3. sem.

Sagapeni. Opopanacis.

[c] Hyosciami loco, *legendum est Ammoniaci secundum mentem & correctionem novam* Mesuæ. *Tamen licet scopus, hujus compositionis sit calefacere, attenuare, roborare nervos, nihilominus nisi ab authore fide digno hæc correctio facta sit, non mihi videtur recipienda. Nam licet in hyosciamo sit vis frigida, nihilominus potest commisceri ad contemperationem calidorum.*

c Hyosciami albi. ana drach. 2. sem.

[d] *Turbith, legendum est drach. 2. loco drach. 12.*

d Turbith albi boni. drach. 12.

Zinziberis. drach. 3.

Caulis recentis.

e Hasech

[c] *Hasech humidi Thymi viridis summitates intellige.*

e Hasech humidi.

Foliorum Rutæ humidæ. *f* ana quantum de singulis manu capi potest.

[f] *Per ana quantum de singulis manu capi potest, intellige manipulum unum quod refero ad unc.* 1.

Decoquantur omnia prima contritione earum cum

Aquæ. *g* lib. 24.

[g] *Legendum est aquæ lib.* 12 *loco lib* 24.

usque ad tertiam partem: deinde colentur & projiciantur super ea

[h] *Oleum de cherva, oleum factum ex semine cataputiæ majoris accipe, & per Heminas* 2. *olei, à* Saladino *scriptas intellige, quæ ponderant unc.* 30. *vel lib.* 2. *sem. medicas.*

h Olei de cherva. Hem. 2.

& coquantur usque ad consumptionem aquæ: & sunt ex hominibus qui addunt in eo.

Ireos. drach. 6.

[i] *Tapsiæ loco, legendum est cassiæ lignea.*

i Tapsiæ. drach. 2.

Anisi.

[k] *Per cordumenum, semen carui agreste, intellige.*

k Cordumeni. ana drach. 1. sem.

Calami aromatici. drach. 2. sem.

Spicæ Indicæ. drach. 1.

[l] *Per expressionem alchasech succum vel decoctum thymi colatum, & per Sextaria* 3. *lib.* 7. *sem. medicas intellige: hic quarta pars Sextarii unius (quæ sunt unc.* 7.*) semis sufficit.*

l Expressionis alchasech. Sext. 3. administretur ut oportet.

SCHOLIA.

RAdices recentes apii, Fœniculi prius à corde interno purgatæ, incisæ, ac tritæ, quatuor genera Myrobalanorum, Turpetum, Anisi semen, hyoscyamus, cordumenum, caules recentes, Rutha, Thymum, seorsim crassiuscule trita, in aqua prædicta, spatio duorum dierum calide infundantur vase bene obturato, interdum spatula movendo. Tertio die spicam incisam, ireos radicem, calamum Aromaticum, Cassiam ligneam, Zinziber, species piperis, omnia particulatim obiter trita desuper injicies, spatióque unius diei macerari permittes: peracto infusionis & macerationis tempore, ad medias vel ad tertias, lento igne continuo agitatione concoques (*alii vase duplici* coquunt) tum panno lineo rudi transcolabis fortiter exprimendo. Colatum una cum oleo de cherva, aut illius loco Amygdalarum amararum, vel irino, & expressione Thymi, ad humidi consumptionem, eodem igne semper agitando decoques: postea transcolabis, & refrigerari permittes: quo omnino refrigerato, Gummi genera, ut sagapenum, Ammoniacum (*si liceat addi*) opopanacem, *seorsim arte soluta* (*ut* Sect. 1. & 2. satis copiose modum solvendi docuimus) & ad humidi non radicalis consumptionem cocta, paulatim spatula agitando in oleo colato dissolves & simul miscebis, atque usui servabis.

Alii hac sequenti methodo componunt. In aqua prædicta radices apii, Fœniculi incisas, quatuor genera Myrobalanorum, Turpetum, Piperisque species, Gummi genera, Zinziber seperatim trita, Caules recentes, Rutham & Thymum, in mortario lapideo pistillo ligneo tusa igne lento ad tertias concoquunt spatula ducendo, dein-

de fortiter torquendo exprimunt. Expreſſum una cum oleo de cherva, aut ejus ſuccedaneo, ad humidi peremptionem ſimili igne prædicto, ſpatula ducendo percoquunt, & ſine aliorum additione ab aliis authoribus conjuncta, ad uſum recondunt. Cæterum ut verum fatear, primus modus à nobis deſcriptus excellentior eſt, quam altera methodus. Volunt alii omnia ordine concoqui ad tertias, non diſtinguendo, an ſint aliqua ſimplicia, quæ diſſolvi debeant, & ſervari cum oleo, ut ſunt Gummi genera: id quod diligenter in noſtra methodo nobis uſitata obſervavimus. Deinde nemo miretur, ſi aquæ quantitatem præſcriptam ab authore non obſervem, cum loco 24. aquæ librarum, duodecim tantum aſſumo, & loco ſextariorum trium expreſſionis Thymi, quæ lib. 7. ſem. valent, uncias ſeptem & ſemiſſem aſſumo. Hæc enim quantitas aquæ, & expreſſionis, idonea eſt ad omnia ſimplicia infundenda maceranda & coquenda. Nam omnia ſunt calida, ſicca, & tenuia. Quocirca verendum, ſi decoquantur in tanta aquæ quantitate, ne ſubſtantia, ac illorum facultas evaneſcat. Nam ut docet *Meſues*, oportet ut gradatio fiat decoctione, plus vel minus, commenſurando calorem, & proportionando illum ſubſtantiis rerum debilibus, vel fortibus. Præterea omnia quorum virtus facilè reſolvitur aut quæ ſunt debilis texturæ, aut virtutem habent poſitam in ſuperficie, debili coctione egent. Ea ratione illa quæ hoc oleum ingrediuntur debilis texturæ ſunt, virtutémque habent in ſuperficie poſitam: ergo debili coctione egent. Quantitas igitur aquæ à *Meſue* præſcripta minuenda. Atque hæc ſunt in hoc oleo notanda. Adde etiam conſuetudinem, quam obſervavimus in proportione aquæ ad ſimplicia in decoctionibus: nempè ad unam partem ſimplicium, tres vel quatuor aquæ partes: quam proportionem in noſtrâ methodo obſervavimus. Præterea id notare quoque convenit: ſi in omnibus compoſitionibus *Arabum* reperiatur Sextarius, Sextarium *Italicum* licet accipere. Rurſus ſi hemina inveniatur, *Italica* vel *Ægyptiaca* ſumenda erit.

Per tenuia tenuis eſſentiæ intelligentia.

Vires à *Meſue* dictatæ.

Expertum ad ægritudines nervorum frigidas, ſicut paralyſim, ſpaſmum, torturam, tremorem & mollificationem: & confert ad epilepſiam, & veram iſchiaticam, & dolorem junctura rum, & dorſi, & cholicam: & aperit oppilationes, & confert matrici juvamentum manifeſtum, & calefacit eam & confert humiditati ejus, & confert dolori ani à frigiditate, & dolori renum, & veſicæ, & frangit lapidem.

CAP. XXII.

Oleum de Mentha incerto authore, tamen mihi frequens & Uſuale.

Vera deſcriptio manu ſcripta.

℞. Menthæ criſpæ ſativæ & viridis, lib. ſem.
Olei olivarũ completi & loti. lib. 1. unc. 3.
Succi menthæ. unc. 3. drach. 6.
Conficiatur ut oleum de majorana ter, aut quater mutatis foliis, antequam ſuccus addatur.

[a] Valerius Cordus *id vult parari cum oleo Omphacino eodem modo quo Myrtinum ſimplex aut Ruthaceum* Meſuæ.

Vires à doctoribus medicis probatæ.

Optimum ventriculo eſt: nam ventriculum imbecillum ac frigidum calefacit ac roborat, nauſeæ ſuccurrit, & vomitum ſedat, concoctionem adjuvat, appetentiam inducit, durities, & abſceſſus, qui in ventriculo fiunt, ſolvit.

CAP.

CAP. XXIII.

Oleum Lumbricorum terreſtrium incerto authore, frequens & Uſuale.

Vera deſcriptio in quodam libro reperta.

℞. Vermium terræ, libr. 2.

[a] Olei Olivarum maturi & loti, libr. 4.

[b] Vini nigri & generoſi, unc. 8.

Bulliant omnia ſimul,& fiat oleum,deinde percoletur.

[a] *Olei Olivarum, multi pondus duplicant.*

[b] *Vini quantitas hæc, revera non ſufficit, ſi perfectè decoctionem vermium vis parare : & loco unc. 8. legendum lib. 1. ſem. quia ſi coqueretur uſque ad conſumptionem vini ureretur oleum.*

SCHOLIA.

A Terra ſeparentur Lumbrici & laventur diligenter in aqua fontana pluribus lotionibus donec à terra ſint immunes,ſemper tamen aquam pro quacunque lotione innovando. Peracta lotione,in vaſe cooperto una cum vini nigri generoſi lib. 1. ſem.& oleoprædicto,vaſe duplici ad vini ferè peremptionem coquantur:dein per pannum rudem cannabinum colentur : colatum ad uſus neceſſarios recondatur. *Petrus Montagnana* in Antidotario ſuo capite 6. de Oleis unum habet minimè varium.

Vires à Medicis notatæ.

Nervos infrigidatos confortat, & utile eſt ad dolores junctur arum.

CAP. XXIIII.

Oleum de Croco *Meſuæ* 12. diſtinctione de oleis interdum Uſuale.

Verus *Meſuæ* Textus.

℞. Croci, unc. 1.

Myrrhæ puræ, drach. 4.

[a] Cordumeni, drach. 9.

Calami Aromatici, drach. 8.

Infundantur medicinæ in [b] Aceto.

Diebus quinque,præter cordumenum : die ſexto projiciatur ſuper ea cordumenum, & dimittatur die uno, deinde fundatur ſuper ea

[c] Olei, lib. 1. ſem. & coquantur lento igne uſque ad aceti conſumptionem : & ſunt qui loco aceti, vinum ponunt.

[a] *Per Cordumenum, carui agreſte, intellige,* Sylvius *loco cordumeni, Cardamomum capit.*

[b] *Aceti quantitatem* Meſue *non definit, & ponendæ ſunt unc. 8. ad ſummum unc. 10.*

[c] *Oleum, lotum, immaturum Olivarum, accipit* Alexandrinus *cap. 732. Alii maturum.*

SCHOLIA.

[d] *Satius esset crocum dissolvi, cum suo dissolvente quam integrum ponere, ut major sit vis olei.*

IN fictili cooperto calamum aromaticum crasse tusum, [d] Crocum integrum, & Myrrham confractam, una cum Aceti unc. 8. vel unc. 10. diebus quinque calidè infundes sexto die desuper cordumenum mediocriter tusum projicies, & adhuc spatio unius diei omnia macerari permittes : maceratis & infusis oleum Olivarum immaturum lotúmque affundes, & lento igne ad aceti consumptionem, spatula movendo, concoques : cocta per pannum rudem colabis : colatum reconde & utere.

Avicenna 5. canone, Summa 1. Tractat. 10. unum describit. *Alexandrinus* cap. 732. alterum habet, qui minimè cum *Mesue* convenit.

Vires à *Mesue* probatæ.

Confert doloribus nervorum & confortat eos, & lenit duritiem eorum, & confert spasmo, & dolori matricis, & colorem efficit bonum.

CAP. XXV.

Oleum de capparibus incerto authore, Usuale & frequens.

Verus Textus in quodam libro repertus.

℞. Corticum radicum capparum, unc. 1.

Corticum tamarisci,

Foliorum tamarisci,

Seminis agni casti,

[a] *Asplenium, Scolopendriam intellige* Dioscoridis *quam barbara voce* Ceterach *vocant.*

[a] Asplenii,

Cyperi, an. drach. 2.

Ruthæ, drach. 1.

[b] *Acetum album, vel rubrum, nihil interest quale hoc loco accipiatur.*

[b] Aceti,

Vini albi clari odori, an. unc. 2.

[c] *Oleum, alii maturum vel immaturum accipiunt dummodo sit tenue, participet ex utriusque excessu nihil interest. Tamen hoc unum considerare oportet si velimus lienem corroborare, immaturum accipere convenit, cum astringentia hic magis competant, si vero tumorem lienis schirrosum emollire contendamus, maturum esse debet. Hoc autem oleum præcipuè ad lienis vitia accommodatur.*

[c] Olei maturi Olivarum, libr. 1.

Coquantur in duplici vase ad aceti & vini consumptionem.

SCHOLIA.

RAdices Cyperi minutissimè incidantur, & in mortario æreo una cum corticibus capparum & tamarisci obiter tundantur : tusæ fictili novo cooperto injiciantur.

Desuper

Desuper semen agni casti contusum, folia Rutæ, tamarisci & scolopendriæ separatim in mortario lapideo contusa imponantur: mox acetum & vinum una cum oleo desuper affunde, & spatio 15. dierum insola, peracto die infusionis in diplomate vel in cineribus ad vini & aceti consumptionem concoque: statim cola, colatum usui reserva.

Animadvertite plures esse hujusce olei descriptiones apud *Musam Brassavolum* ab ista differentes. Nam aliæ recipiunt corticem radicis Capparis, Scolopendriam, Tamariscum, Absinthium, oleum commune & Acetum. Aliæ radicem corticis Capparis, radicem iridis, Agnum castum, Tamariscum, oleum, & vinum. Aliæ cortices radicis Capparis, Scolopendriam, Tamariscum, iridis radicem, Radices Cyclaminis, Galangam, oleum & acetum. Aliæ corticem capparum & iridis radices, Agnum castum, Tamariscum, oleum, & vinum. Idcirco parva mihi videtur differentia, & video omnes pro animi arbitrio istud oleum parare. Tamen quamvis reperiantur multæ descriptiones diversæ, ista præscripta mihi videtur usitata & longa experientia celebrata.

Vires à medicis quibusdam probatæ.

Confert duritiei, oppilationi, & dolori splenis ac omni ejus ægritudini.

CAP. XXVI.

Oleum de scorpionibus simplex *Mesuæ* 12. distinctione de oleis interdum Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

[a] *Scorpiones vivos & terrestres accipe.*
[b] *Per quantitatem eorum, magnitudines eorum intellige.*

℞. [a] Scorpiones circiter 20. vel plus vel minus, secundum [b] quantitatem eorum, & pone in vase vitreo, & funde super eos olei Amygdalarum amararum. lib. 2. &

[c] *In sole, scilicet vigente diebus caniculatibus.*

stringe caput vasis & dimitte [c] in sole diebus 30. deinde cola & utere.

SCHOLIA.

TErrestres ac vivos Scorpiones secundum eorum magnitudines, hoc est, si magni, crassi, & plurimum farcti sint, viginti: si vero parvi quadraginta quinque, vel ad summum l. accipe & vase vitreo cooperto ipsos una cum quantitate olei Amygdalarum amararum prædicta, soli diebus canicularibus spatio 30. dierum ad macerandum appone. Melius si antequam soli apponantur igne levi bullirent tribus vel 4. ebullitionibus, quamvis non sit scopus authoris scorpiones decoqui, sed tantum macerari. Exactis diebus macerationis oleo minime colato reconde, & utere.

Oleum de Scorpionibus compositum *Mesuæ* 12. distinct. de oleis frequens & Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

[a] *Aristolochiæ, radices recentes accipe.*
[b] *Gentianæ, radices recentes intellige.*

℞ *a* Aristolochiæ rotundæ.

b Gentianæ. Cyperi.

Corticum radicis capparis. ana unc. 1.
funde super ea

c Olei

[c] Olei Amygdalarum amarum Kist. 1.

Et pone in sole 20. diebus, deinde projice super ea ex

[d] Scorpionibus à 10. usque ad 15.

& iterum stringe orificium vasis, & dimitte in sole per dies 20. deinde coletur & reponatur.

[c] *Oleum olivarum antiquum capit* Manardus, *& per Kist unum olei, intellige lib. 1. sem.*

[d] *Scorpiones vivos, terrestres, magnos, crassos & plurimum farctos intellige.*

SCHOLIA.

RAdices cyperi minutissimè incisæ, aristolochia, gentiana & cortices capparum seorsim in mortario obiter conquassentur, & una cum oleo Amygdalino amaro, vase vitreo obturato reponantur, spatióque viginti dierum insolentur. Peracta infusione Scorpiones vivi & ut supra diximus electi 15. num. desuper projiciantur & iterum tantundem insolentur. Tempore macerationis peracto totum coletur, & recondatur. Cæterum lubenti animo ad simplicia infundenda aliquid liquoris huic oleo convenientis concederem addere, penetrationis causa, nisi à Medicis doctissimis absurdum, & præter artem videretur. Scio etenim oleum solum non posse virtutem crassam harum prædictarum rerum, quæ sita est in centro penetrare absque liquore: quamvis forsitan à Medicis dicentur simplicia omnia huic compositioni ingredientia satis subtilem & penetrantem habere substantiam. Quapropter consulo omnes Pharmacopœos qui hoc oleum parare volunt, Medicos peritissimos qui confectionem manuariam norunt consulere, an aliquid liquoris sit addendum ad harum dictarum rerum penetrationem. Sed si non ab eis concedatur, consulo ut antequam *secunda vice simplicia insolentur, bulliant duabus ebullitionibus: vel omnia recentia capiat*, ut oleum virtutem prædictarum rerum acquirere possit. Animadvertite quoque plures reperiri descriptiones: unam apud *Joannem Anglicum*, in capite de lapide renum: aliam apud *Rhasim* in lib. divisionum cap. medicinarum urinæ: aliam apud *Matheolum Senensem* comment. in præfat. lib. 5. *Dioscoridis*, omnes minimè usuales. Proinde necessarium est utrumque oleum à *Mesue* hic descriptum paratum habere: quia utrumque usui convenit.

Vires prædictorum oleorum à *Mesue* designatæ.

Lapidem in renibus & vesicâ frangit, & expellit eum, & propriè in renibus & fœmore, & supra collum vesicæ inunctum, & injectum per virgam, expellit enim eum.

Primum quod est simplex, plus attinet frigiditati ratione Scorpionum, sed secundum plus attinet caliditati ratione Aromatum, & utrumque est aperitivum easdem facultates similimas habens.

CAP. XXVII.

Oleum Sambacinum authore incerto, frequens & Usuale.

Verus textus in quodam libro repertus.

Fit etiam oleum ex floribus Iasmini, quod Sambacinum *Arabes* vocant, chamæmelino aut cheirino viribus proximum.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

℞. Florum Jasmini, seu Sambaci, lib. sem.
Olei Olivarum completi loti, lib. 1. unc. 3.
Aquæ infusionis seu fervefactionis prædictorum florum. unc. 3. drach. 6.
Conficiatur ut rosatum completum. Paretur autem infusionis aqua, cum unc. 2. florum Jasmini recentis, & aquæ unc. 7. ad mediæ partis consumptionem, vel ad unc. 3.

Vires ab ipso authore incerto.

Chamæmelino aut Cheirino viribus proximum.

CAP. XXVIII.

Oleum Hypericonis incerti authoris usitatum.

Verus Textus usitatus.

℞. Summitatum seu comarum Hyperici jamiam matureſcentis, lib. 1.
Olei Olivarum completi antiq ui & loti, lib. 2. sem.
Aquæ infusionis florum prædictorum, aut ejus loco [a] succi eorum, unc. 7. sem.
Paretur ad normam Rosati completi. Paretur autem aqua infusionis cum unc. 3. florum prædictorum & aquæ unc. 10. sem. fiátq; decoctio ad unc. 3. consumptionem.

[a] Mesues *tantundem succi vel infusionis, ut olei affundit.*

Vires à doctoribus probatæ.

Est resolutivum, sedativum dolorum qui fiunt in nervis, in junctur is, & pectore, renibus, & vesica.

CAP. XXIX.

Oleum Vulpinum *Mesuæ* 12. distinct. de Oleis Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

℞. Vulpem integram, cujus interiora sint evulsa,
Et pone in vase, & infunde super ipsam,
Aquæ fontium, &
[a] Aquæ marinæ, an. Kist. 1.

[a] *Aquæ marinæ loco, aquam salsam accipe, quid autem sit aqua salsa vide in fine istius cap. Et per kist unum ex* Serap. lib. 7. *in confect. electuarii de Cytoniis authoritate* Gal. *si est* Rom. *est lib. 1. se. Ex doctrina* Græcorum *est* Cadus: *tamen parva dosis ad vulpem exanteratam coquendam videtur esse, nisi statim nova fiat aquæ dulcis suffusio una cum aliis simplicibus. Quod ad me attinet, soleo primo aquæ fontium & marinæ an. lib. 6. apponere, deinde ut vulpes commixtis simplicibus coquatur, ad consumptionem & dissolutionem artuum super addo aquæ dulcis libr. 8. quamvis* Mesues *quantitatem non determinavit.*

Olei

[b] *Per oleum antiquum clarum, & salsum sume, & per Kist. 2. se. olei lib. 3. unc. 9. intellige, quia omnes qui hoc oleum à* Mesue *transcripserunt in suis dispensariis Kist. 2. se ita explicant, quæ explicatio videtur convenire cum ista à* Saladino *descripta.*

[b] Olei antiqui clari, Kist. 2. sem.

Decoque igne lento, cum

Salis, unc. 3.

Usque ad aquæ consumptionem, deinde pone in vase, & projice super ipsam

Herbæ anethi,&

[c] *Per halasech, summitates thymi intellige. Alii origanum explicant* Bertrutius cap. *de Hyssopo* Sect. 2. Tract. 4. *capit. Hyssopum. Alii Tribulum marinum.*

[c] Halasech, an. lib. 1.

Et funde super ea

[d] *Aquæ dulcis quantitatem author non specificat, nec declarat: apponendæ sunt autem lib.* 8.

[d] Aquæ dulcis in qua coctæ fuerunt ex iisdem herbis, an. M. 1.

Decoque sicut prius, usque ad aquæ consumptionem: & administretur.

SCHOLIA.

VVlpem integram mediæ ætatis pinguem, venatu longáque insectatione defatigatam (quia tunc oleum fiet digerentius) recentérque occisam, cujus interiora *sint evulsa accipito, & minutissimè conscindito, ut ab ossibus* medulla defiliat: & in quantitate olei & salis communis prædicta, fictili novo & amplo ponito: desuper aquæ marinæ & fontanæ lib 12. injicito. Melius si leviter vel ad medias in aqua decoctionis herbarum, fontana & marina absque oleo coquatur vulpes, ne oleum nimia coctione uratur, & vis ipsius vulpis facilius eliciatur coctione aquarum quam oleorum. Coctæ ad medias oleum addatur, & ad reliquum humiditatis coquatur igne lento: consumpta fere aqua, aliæ item aquæ dulcis in qua Anethi & Thymi singulorum M. 1. incocti fuerint circiter lib. 8. affundito, simúlque cum lib. 1. Thymi summitatum, & lib. 1. summitatum Anethi ad hujus aquæ peremptionem & artuum dissolutionem, vel ut ipsius pinguedo ac caro in jus colliquata abierint, & omnia sint liquefacta præter ossa recoquito: deinde velociter extorquendo calidè exprimito: expressum ad usum recondito.

Anethi & Thymi summitates accipe.

Aquæ fontium & aquæ marinæ. In hac urbe *Lutetiana* non reperitur aqua marina, nec ad manum haberi potest, neque etiam in quibusdam locis. Igitur ii qui prope mare non habitant, ejus loco *muriam sumunt. Muriæ* autem varia est acceptio & significatio apud authores, accipitur enim aliàs pro liquamine piscium conditorum, ut apud *Simonem Ianuensem*, qui dicit salsum esse liquorem piscium exenteratorum quo pro salsamento multi utuntur. Cui subscribere videntur *Dioscorides*, lib. 2. cap. 31. & *Constantius Constantinus* lib. 2. capite ultimo: qui liquamen piscium conditorum *Garon* vocant: quod pro muria nonnulli esse volunt. Alia verò species muriæ ab *Arabibus* describitur, quæ liquor est resudans ex farina hordei, dum panis conficitur, ut testatur *Azaravius* scribente *Simone Ianuens.* Præter hæc duo muriæ genera, alterum est, quod fit ex liquamine carnis sale conditæ, & pro muria verius accipitur: quod nonnulli Pharmacopœi inepte pro aqua marina sumendum putant: nam liquamen illud acre est, fœtidum & corruptibile, & si plurimum coquatur, rubrificandi vim acquirit. Igitur ejus loco aquam accipimus cum sale ad spissitudinem muriæ coctam, quæ potius eligi debet, ut quæ astringens sit pro scopo olei præsentis, cum in muria aliter parata sit potius vis evocandi foras, quam astringendi.

De muria varia sententia.

Aquæ marinæ, & muriæ loco quid.

Vires

Vires à *Mesue* dictatæ.

Oleum vulpinum est medicamen nobile, ultimum ad arthriticum, & podagram & dolorem renum & dorsi.

CAP. XXX.

Oleum nenupharinum *Mesuæ* 12. distinct. de Oleis, Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

Et fit sicut oleum violatum.

SCHOLIA.

℞. Florum nenupharis viridium, dempto intermedio illo croceo, & illo viridi folio superiori & superjecto, contusorum. lib. 2.

Aquæ decoctionis prædictorum florum. lib. 1. unc. 3.

Olei olivarum immaturi loti. lib. 5.

Confice sic: reponantur in vase terreo, bene cocto, & facias prout de oleo rosato & violato tibi dictum fuit, & provideas de depositione ad solem, & de decoctione in vase duplici, & de permutatione florum, & de additione infusionis.

Decoctio autem florum nenupharis sic parari debet: nempe, cum florum nenupharis unc. 4. & aquæ fontanæ lib. 1. sem. ad unc. 3. absumptionem.

Vires à *Mesue* dictatæ.

Oleum de nenuphare in virtutibus convenit quasi cum oleo de papavere: tamen non est tantæ stupefactionis, nec est somni provocativum, sed alterativum.

De genere oleorum quarto.

QUæ fiunt tribus modis. Unum, ubi materia coctione in spiritus resolvitur & exprimitur, ut oleum ex vitellis ovorum. Aliud, ubi materia in spiritus pariter resolvitur, & in recipiente condensatur: ut oleum Terebinthinæ, & multa alia oleorum genera. Tertium, cum calcinata materia & in modum salis reducta super porphyrio aut marmoreo vel linteolo contenta in loco frigido dissolvitur: ut olea ex quibusdam mineralibus calcinatis. Unde vulgare proverbium, *habes sal, ergo oleum.* De quibus oleis & salibus chymisticis plura dicerem, cum methodus illorum satis mihi nota sit, si in usu quotidiano essent: de his tamen alio brevi compendiolo spero me dicturum, si superi in spatium temporis vitam producere concedant.

CAP. XXXI.

Oleum de ovis *Mesuæ* 12. distinctione de Oleis, Usuale.

Verus *Mesuæ* textus.

[a] *Elixatorum, hoc est, coctorum in aqua.*

[b] *Per sartaginem lapideam figulinam accipe.*

[c] *Lignea spatula magis præstat quam ferrea, propter nigredinem.*

Accipe vitella Ovorum [a] Elixatorum circiter 30.

Et comminue ea manibus, & pone in [b] sartagine lapidea & frige super ignem, movendo cum [c] ligneo aut ferreo cochleari, donec rubescant, & resolvatur ab eis oleum. Et tunc exprime ea cum cochleari, & manabit abundantius.

SCHOLIA.

OVa recentia gallinacea accipiantur, quæ in aqua calida probè igni indurare facies, non autem in cineribus calidis (ut efficacius efficiatur oleum) illáque manu decorticabis, & album auferes, vitellóque illorum manu vel spatula lignea confricatos, sartagine figulina, flagrantissimo igni apposita, rursus spatula lignea (non autem ferrea propter nigredinem) assiduè celeritérque undiquaque agitando, eoúsque dum assi vel tosti sint, vel in chylum æquabilem pervenerint. Tunc subito & sine mora linteo rudi calido involve, & torculari immitte: quod statim expresseris oleum, flavum emanabit, quod repones ad usum. Hoc ita extractum, quia crassum & maximè terrestre est, potest subtilius fieri (nisi scopus authoris varietur) si cucurbita aut retorta, in quam oleum imponitur, bene cum recipiente lutata & obturata (ne spíritus in auras effluant) cum aqua vitæ & sale fusili (ad fæces retinendas) ita ut eadem aquæ & salis fusilis quantitas sit, in arena vas ad destillandum apponatur. Appositó vasi pro animi arbitrio ignem subdito, & continuato donec totum oleum destillatum sit. Revera si spectemus scopum istius olei, rectificatio hæc minimè fieri debet, sed potius absque rectificatione uti debemus.

Vires à *Mesue* probatæ.

Cutim mundificat & impetiginem, & serpiginem, & alios morbos cutis curat: & facit nasci capillos, & confert fistulis & ulceribus malis.

CAP. XXXII.

Oleum de Terebinthina simplex ex thesauro Euonymi, Usuale.

Verus *Euonymi* Textus.

[a] *Per quantum videbitur intellige lib. 1. vel sem. vel unc. 3. pro capacitate vasis.*

[b] *Cineris è ligno duro aut forti dixit, ne elevetur destillando Terebinthina. Revera nihil cum Terebinthina est addendum, ut sum expertus, capitque unc. 3. prædicti Cineris, videlicet, pro lib. 1. Terebinthina.*

Accipe Terebinthinæ claræ [a] quantum videbitur.

[b] Cineris è ligno duro aut forti, unc. 3.

Et in retorta fornaci accommoda. A principio fiat ignis lentus ad humiditatis dissolutionem, postea augeatur ignis ad olei destillationem.

SCHOLIA.

SCHOLIA.

OLeum Terebinthinæ fieri potest [c] arte Chymistica, in cucurbita vitrea cum capitello rostrato, vel in retorta: ita ut utrumvis vas Terebinthinâ sit semiplenum, absque arena, aut cinere è ligno duro, & optimè obturatum cum recipiente amplissimo ut spiritus libere spatiari possint (alioquin vas rumperetur) cucurbita vel retorta Terebinthinam continens, vasi arena pleno imponatur, & super furnum quadratum adaptetur ut distilletur. Tum ignem mediocrem facito, & continuato donec ex lib. 1. Terebinthinæ unc. 4. olei clari ac albi habueris. Tunc ignem parum augebis, continuando quousque tibi sint unc. 2. olei subrufi, aureique coloris, ac lucidi. Præterea rursus ignem augebis dum rursus iterum unc. 2. sem. olei rubri croceique coloris & clari effluant.

[c] *Per artem chymisticam, distillatoriam, vel distillandi: intelligens nam chymistici distillatores dicuntur.*

Hac enim methodo tria genera olei Terebinthinæ arte & industria facta habebis. Tandem hoc unum operando erit notandum, ut pro quacunque ignis auctione recipiens permutetur ad olea diversa è Terebinthina recipienda, quæ diligentissimè in vitreis vasis obturatis servabis, & cum opus fuerit uteris.

Vires ex Euonymo.

Simplicia vulnera intra 24. horas sanat: valet ad nervos contractos à frigiditate: Accipiendo drach. 1. cum vino urinam movet, & omnes dissolvit corporis nervositates. Punctiones lateris curat: mirabiliter febribus pestilentibus confert, eodem pondere per os accipiendo & unguendo stomachi orificium digestionem movet.

HÆc sunt (candide lector) quæ tribus hisce sectionibus tuum in usum comprehensa, crebro amicorum suasu & rogatu impulsi, in lucem tandem emisimus. Fructum vero laboris nostri ad eos uberrimum spero perventurum qui rei medicamentariæ serio addicti, præcepta & consilia nostra insequentur. Nos siquid ad publicam utilitatem contulerimus, id singulare Dei Optimi Maximi beneficium esse agnoscimus. Interim dum tu qualescúnque has ingenii nostri primitias explorabis, ad alia studia, non minus his utilia, animum & calamum paramus, Vale.

FINIS.

Errata sic corrigito.

PAg. 2. lin. 8. radiculis, lege radicalis: lin. 35. obtinet, leg. obtinent: lin. 36. infunditur, legè infunduntur: pag. 6. lin. 11. excedentes, lege excedentes: pag. 44. lin. 7. Ceræ citrini, unc. 1. sem. lege Ceræ citrinæ, unc. 4. sem. pag. 52. lin. 21. vasibus, lege vasis: pag. 103. lin. 2. Nardum, lege Nardinum: pag. 104. lin. 6. drach. 1. sem. lege unc. 1. sem.

BIBLIOTHÈQUE
UNIVERSITAIRE
TOULOUSE

INDEX MEDICAMENTORVM Compositorum, quæ hoc libro describuntur, per Sectiones distinctus.

Sectionis primæ capita.

Ceratum de santalis. Mesuæ, *Cap.1, Fo.3*
Ceratum, Joannis de Vigo, *cap.2 fo.4*
Cerat. œsypi ex Philagrio, *cap.3. fo.8*
Cerat. infrigidans Gal. *cap.4, fo.10*
Emplastrum diachil. parvum, Mes. *cap.5 fo.*ibid.
Emplast. diachil. magnum, Mes. *cap.6, fo.12*
Emplast. gratia dei. N. Præpositi, *cap.7 fo.14*
Emplast. de janua. N. Præpositi, *cap.8 fo.16*
Emplast. divinum. N. Præpositi, *cap.9 fo.18*
Emplast. ceroma. N. Alexandrini, *cap.10 fo.21*
Emplast. oxycroceum. N. Myrepsi, *cap.11 fo.23*
Emplast. de ceruſa, N. Præpositi, *cap.12 fo.24*
Emplast. tripharmacum, Mes. *cap.13, fo.25*
Emplast. palmeum, Mesuæ, *cap. 14. fo.26*
Emplast. contra rupturam, N. Præpositi, *cap.15, fo.29*
Emplast. de baccis lauri, Mesuæ, *cap. 16 fo.32*
Emplast. de mucaginibus, Fuschii, *cap.17 fo.33*
Emplast. de minio, Joannis de Vigo, *ca.18 fo.34*
Emplast. apostolicum, N. Præpositi, *cap.19 fo.36*
Emplast. pro stomacho, N. Præpositi, *cap.20 fo.40*
Emplast. de meliloto, Mesuæ, *cap.21, fo.41*
Emplast. pro matrice, Nicolai Præpositi, *cap.22, fol.43*

Sectionis secundæ capita.

Unguentum album, Rhasis, *Cap.1, Fo.45*
Unguentum tripharmacum, Mesuæ, *cap.2 fo.46*
Ung. aureum, Mesuæ, *cap.3, fo.48*
Ung. basilicon minus, Mesuæ, *cap.4. fo.*ib.
Ung. egyptiacum magnum, seu de melle, Mesuæ, *cap.5, fo.49*
Ung. populeon, N. Myrepsi, *cap.6, fo.50*
Ung. de althæa, N. Myrepsi, *cap.7, fo.51*
Ung. Agrippæ, N. Myrepsi, *cap.8, fo.53*
Ung. rosatum, Mesuæ, *cap.9, fo.54*
Ung. inulatum, N. Præpositi, *cap.10, fo.56*
Ung. diapomphol. N. Alexand. *cap.11 fo.57*
Ung. Apostolorum, Avicennæ, *cap. 12 fo.60*
Ung. desiccativum rub. N. Præpositi, *cap.13, fo.61*
Ung. martiatum magnum, N. Præpositi, *cap.14, fo.63*
Ung. resumptivum, N. Præpositi, *cap. 15 fo.66*
Ung. citrinum, ex antidotario Nicolai, Mesuæ *conjuncto, cap.16, fo.68*
Ung. ad scabiem, incerto Authore, *cap.17 fo.72*
Ung. Comitissæ, Varignanæ, *cap.18. fo.74*
Ung. mundificativum de Apio, incerto Authore, *cap.19, fo.78*
Ung. Neapolitanum, incerto Authore, *cap.20, fo.80*
Ung. Aregon. N. Myrepsi, *cap.21, fo.81*
Ung. de tuthia, incerto Authore, *cap.22 fo.83*

INDEX.

Sectionis tertiæ capita.

Olei amygdalarũ, duæ descriptiones, Mesuæ *cap.*1. *fo.*85

Oleum de granis Sesami, Mesuæ, *cap.* 2 *fo.*87

Olei rosati, tres descriptiones, N. Alexand. & Mesuæ. *c.*3, *fo.*88,89,90

Oleum violatum, Mesuæ, *cap.*4, *fo.*91

Oleum de cotoneis, Mesuæ, *cap* 5, *fo.*92

Oleum irinum, Mesuæ, *cap.*6, *fo.*93

Oleum de absinthio incerto Authore, *ca.*7 *fo.*94

Oleum anethinum, Mesuæ, *cap.*8, *fo.* ib.

Oleum chamæmelinum, Mesuæ, *cap.* 9, *eodem*, *fo.*95

Oleum de lilio simplex, Mesuæ, *cap.* 10 *fo.*ib.

Oleum de cheiri, Mesuæ, *cap.* 11, *eodem*, *fo.*96

Oleum mastichinum, Mesuæ, *cap.* 12. *fo.*ib.

Olei myrtini duæ descriptiones, N. Alexandrini & Mesuæ, *cap.*13, *fo.* 97,98

Olei ruthacei duæ descriptiones, N. Alexandrini & Mesuæ, *cap.*14, *fo.*99,100

Oleum de majorana, Mesuæ, *cap.*15, *fo.*101

Oleum moschelinum, N. Alexandrin. *cap.* 16, *fo.eodem*

Olei nardini duæ descriptiones, Nicolai Alexandrini, & Mesuæ, *cap.* 17, *fo.* 103

Olei de castoreo duæ descriptiones ex Præposito, & Luminari majore. *cap.*18 *fo.*107

Oleum costinum, Mesuæ, *cap.*19, *fo.*109

Oleum de euphorbio, Mesuæ, *cap.* 20, *fo.*ib.

Oleum de piperibus, Mesuæ, *cap.* 21, *fo. eodem* 100

Oleum de mentha incerto Authore, *cap.*22 *fo.*112

Oleum lumbricorum incerto Authore, *cap.*23. *fo.eodem* 113

Oleum de croco, Mesuæ, *cap.*24, *fo.* 113

Oleum de capparibus incerto Authore, *cap*,25. *fo.*114

Olei de scorpionibus duæ descriptiones, Mesuæ, *cap.*26, *fo.*115.

Oleum sambacinum incerto Authore, *cap.*27. *fo.*116

Oleum hypericonis incerto Authore, *cap.* 28. *fo.*117

Oleum vulpinum, Mesuæ, *cap.*29. *fo.*117

Oleum nenupharinum, Mesuæ, *cap.* 30 *fo.*119

Oleum de ovis, Mesuæ, *cap.*31. *fo.*120

Oleum de Terebinthina ex Thesauro Euonymi, *cap.*32, *fo.*ib.

BIBLIOTHEQUE UNIVERSITAIRE TOULOUSE

INDEX

INDEX RERVM,

quæ hoc Opere continentur, quæque notatu digna paſsim occurrant.

A.

Acetum duplex 61
Adeps, quid? 6
Adipis & axungiæ præparatio, & repoſitio ibid.
Adipis & axung. quo tempore ex animalibus ſumendæ ſunt ibid.
Adipis & axungiæ origo ibid.
Æs quorundã ſimplicium materia 38
Æs uſtum, quid? ibid.
Æris uſti vera electio ibid.
Æris uſti duo genera ibid.
Æris uſti modus conficiendi ex ſervitore ibid.
Æris uſti modus conficiendi verus ib.
Æris nativi tria genera ſecundum Plinium ibid.
Ærugo 19
Ærugo raſilis ibid.
Ærugo ſcoletia duplex 20
Æruginis duo genera ibid.
Æruginis factitiæ tria genera ibid.
Æruginis materia 19
Æruginis ſuccedaneum 20
Æthiopia ibid.
Alipta Moſchata, quid? 44
Alrachina, quid 87
Alumen Capillare, ſeu ſcyſton vel plumæ ſpecies chalcitidis 28
Alumen Plumoſum noſtrum non eſt ſciſſile Dioſcoridis 70
Aluminis plumoſi vel ſcyſti electio, & quid ibid.
Amaracus quid 104
Amygdalarum electio 86
Amygdalarum excorticatio ibid.
Amianthi electio, & quid, variæ opiniones 70
Aminæa uva quid 91
Ammoniaci infuſio, coctio, diſſolutio, Colatura 2. 19
Antalium quid 71
Aphronitri duo genera 71
De Aphronitro Plinii opinio ib.
Aphronitri ſuccedaneum ibid.
Aqua marina vix in quibuſdam locis reperitur 118
Aquæ marinæ loco quid 117
Argentum vivum quid 57
De Argento vivo variæ opiniones ib.
Argenti vivi depuratio ſecundum ſcopum unguenti inulati 56
Argenti vivi extinctio ſeu incorporatio 57
Argenti vivi tranſcolatio ibid.
Argenti vivi varia nomina ibid.
Argenti vivi duo genera ibid.
Argyritis quid 47
Aſplenium 114
Ars chymiſtica quid 120
Atramentum ſeu Vitriolum quid 27
Atramentum ſutorium veterum 20
Atramentum album ſecundum Avicennam quid ibid.
Atramenti Sutorii, vel Chalcanthi diviſio ſecund. Plinium ibid.
Atramentorum diviſio ſecundum Gal. ibid.
Atramentorum diviſio, ſecundum Serap. ibid.
Avicennæ de Pondere olei, aquæ, vini, & mellis opinio 106
Aurei pondus quid 49
Axungiæ & pinguedinis differentia 6. 9

B.

Brathys quid 108

INDEX.

C.

Cadmia duplex 62
Cadmiæ factitiæ species quinque ibid.
Cadmiæ lapidosæ electio, quid ibid.
Cadmia nativa duplex ibid.
Cadmiæ Capnitis origo ibid.
Caprini stercoris collectio, & electio 32
Cassami variæ appellationes 104
Cassia fistula quid in oleo Nardino compositio ibid
Cassia lignea quid in Emplastro de Meliloto. 41
Cassia quid in methodo conficiendi Emplast. Apostolici Præpositi, 37
Castoreum quid 107
Castorei electio ibid
Catheter quid ibid.
Cauda Cabalina quid 74
Cera rubea quid in Empl. contra rupturam 29
Cera Virginea modernorum quid 15
Ceræ acris ablutio ibid.
Cera alba qualis in Cerato de santalis 3
Ceræ albæ veræ succedaneum ibid.
Cera Citrina, qualis in Cerato oesypi Philagrii 8
Ceræ proportio ad Emplast. conficiendum 1
Ceratum quid ibid.
Ceratorum materia ibid.
Cerusa quid secundum Dioscor. 46
Cerusæ ablutio, & electio 24
Chalcitis, & colcotar idem, secundum Serapium 27
Chalcitis quid secundum Marcellum Virgil. ibid.
Chalcitidis electio 28
Chalcitidis nomen multa significat 27
Chalcanti, seu atramenti sutorii divisio secundum Plinium ibid.
Chalcos Cecaumenos quid 38
Chrysitis quid 47
Chrysocolla 20
Chrysocolla duplex 69
Chrysocolla nativa quid? variæ sententiæ 70
Chrysocolla propriè quid ibid.
Chrysocollæ veræ electio ibid.
Chrysocollæ nativæ species variæ 69
Chrysocollæ factitiæ tres species ibid.
Chrysocollæ electiones variæ 70
Cinnabaris quid secundum Plinium & Solinum 35
Cinnabaris quid secundũ quosdam ib.
Cinnabaris triplex secundum Antiquos ibid.
Cinnabaris duplex secundum Neotericos ibid.
Cinnabarim veram à falsa modus cognoscendi ibid.
Colcotar, & Chalcitis idem 27
Colophoniæ factitiæ electio 30
Colophoniæ factitiæ parandæ ratio ib.
Colophoniæ veræ electio ibid.
Confita rubea quid, & variæ appellationes 21
Cordumenum quid 41
Costi radicis succedaneum secundum Gal. & Neotericos 101
Costi radicis succedaneum secundum Avicennam & Sylvium 109
Cotoneorum electio, in oleo de Cotoneis 192
Chrystallus verus quid 71
Chrystalli electio ibid
Chrystalli variæ sententiæ 70

D.

Dentalium quid? 71
Diploma quid? 89
Draconteæ radicis minoris electio 71

E.

Emunctorium quid 86
Emplastrum quid 1
Emplastrorum materia ibid.
Exagium Græcorum *pondus, quid?* 66. 82

F.

Fascis Gallica *quid* 104
Flos æris quid 19
Floris æris succedaneum ibid.

INDEX.

Floris æris electio 19
Floris æris materia 18

G.

Galbani infusio, dissolutio, coctio, & Colatura 2. 19
Gallia Moschata quid 44
Garon quid secundum Dioſco. *& secundum* Conſtantium Conſtantinum 118
Gersa serpentaria, quid 71
Gersæ serpentariæ faciendi modus 72
Gluten alchanna quid 13
Glutinis alchannæ dissolutio, & coctio ibid.
Gypsi consideratio, & quid secundum Albertum Magnum 31
Gypsi & calcis differentia ibid.
Gypsi duo genera ibid.
Gypsi electio secundum Dioſc. *ibid.*
Gypsi ustio ibid.

H.

Halasech, vel Hasech, seu Halachasech, quid 111. 118
Halinitrum quid 71
Halinitri electio ibid.
Hemina spectata mensura 106
Hemina spectata pondere ibid.
Heminæ, & sextarii explicatio varia ibid.
Heminæ maximè usitatæ, & sextarii acceptio ibid.

I.

Ichyocolla quid 13

K.

Kist olei in oleo vulpini quid 117
Kist aquæ in oleo vulpino quid ibid.

L.

Lapis Calaminaris quid 62
Lapidis calaminaris electio ibid.
Lapidis calaminaris extinctio 63
Lapidis calaminaris præparatio ad oculorum affectus 83
Lepis chalcu quid 38
Lini seminis præparatio ad mucaginem faciendam 33
Linimentum quid 45
Lythargirum simpliciter quid 7
Lythargyri vera materia 47
Lythargyri variæ appellationes 47
Lythargyri secundum Dioſcorid. *&* Plin. *tres species* 47
Lythagyri lotio 7
Lythargyri nutritio, ad cerata, Emplast. & unguenta conficienda 5
Lythargyri extinctio 47

M.

Magnes quid secundum Dioſcor. 20
Magnes secundum Plinium, *unde nomen sumpsit. ibid.*
Magnes secundum Nicandrum, & Anth. Lod. Olysipponenſem *medicum unde ibid.*
Magnetis secundum Cardanum *tria genera ibid.*
Magnetis secundum Plinium *quinq; genera ibid.*
Magnum, quid, in titulo unguenti ægyptiaci 49
Malva Sylvestris, quid? 51
Manipulus in aridis quid 111
Marchesita librariorum vel impressorum quid 58
Medullarum extructio, liquatio & repositio 9
Melanteria quid secundum Sylvaticum 28
Melanteria triplex secund. Dioſc. *ib.*
Melanteriæ electio ibid.
Minium quid secundum Dioſcor. 35
Minii nativi tria genera ibid.
Minii factitii tria genera ibid.
Misy propriè quid 28
Misy duplex ibid.
Misy factitium quid, secundum Plinium *ibid.*
Miseos electio secundum Dioſcoridem. *ibid.*
Molybdena quid 47
Molybditis quid ibid
Mucagines quonam pacto in Emplast. & unguentis injiciendæ sunt 11

Muca-

Mucaginum maceratarum & coctarum verum indicium 11
Mucaginum a radicibus & seminibus vera extractio ibid.
De Muria variæ sententiæ 118
Muria quid secundum Dioscorid. Simonem Januensem, & Constantium Constantinum ibid.
Muria Arabum *quid secundum* Azaravium *scribente* Simone Januensi ibid.
Muriæ tria genera ibid.
Muriæ loco quid ibid.
Myrti succi extractio 98

N.

Nitrum nativum quid, & electio 71
Nitri factitii genera plura ibid.
Nitri variæ appellationes ibid.
Nitri succedaneum ibid.
Nux myristica quid? 104

O.

Oculorum populi collectio vera 51
Oenanthe quid in oleo myrtino compositio 98
Oesypus humida quid? 9
Oesypus quo tempore fieri debet ibid.
Oesypi conficiendi modus ibid.
Oesypi ablutio ibid.
Oesypi ablutæ, verum indicium & repositio ibid.
Oesypi succedaneum 8
Oleum abusive quale 85
Oleum dulce quid secundum Mesuen 103
Oleum maxime proprie quale 85
Oleum omotribes quid? 90
Oleum utrumvis lavandi modus ibid.
Olei olivarum maturi & immaturi electio ibid.
Olei proportio ad ceratum & Emplastrum conficiendum 1
Olei Sesamini succedaneum 103
Opopanacis infusio, dissolutio, coctio, & colatura 2,19
Ossa cruris bovis, quo tempore colligenda ad cineres faciendos 77
Ossa cruris bovis & vaccæ quo tempore colligenda ad medullam extrahendam 9
Ossium cruris bovis & aliorum animalium ustio 77

P.

Pars quid? 47,92
Pastones quid? 85
Phu quid? 104
Pila quid, in methodo conficiendi ol. Amygd. dulcium 86
Pineæ resinæ tres species 17
Pinguedo quid? 6
Pinguedinis origo ibid.
Pinguedines quo tempore ex animalibus accipiendæ sunt ibid.
Pinguedinum præparatio & repositio ibid.
Pix navalis quid? 21,29
Pix liquida quid secund. Gal. & Dioscor. 17
Pix simpliciter quid? ibid.
Picis liquidæ electio ibid.
Picis liquidæ succedaneum, in Empla. de Ianua 18
Plumbago quid? 47
Plumbum antiquorum quid? 58
Plumbum quid? ibid.
Plumbi tres species, quod excoquitur ibid.
Plumbi duæ species ab antiquis secundum Plinium ibid.
Plumbi nigri origo ibid.
Plumbi cinerei origo 59
Plumbi Candidi, & stanni differentia ibid.
Plumbi candidi origo ibid.
Plumbi ustio secundum Servitorem ibid.
Plumbi ustio perfacilis ibid.
Plumbi lotio ibid.
Pompholyx vera quid? 60
Pompholygis origo ibid.
Pompholygis electio ibid.
Pompholygis, & spodii differentia ib.

INDEX.

Pompholygis duo genera ibid.
Propolis Antiquorum quid & electio 15
Propolis veræ succedaneum ibid.
Psimmithium quid? 58
Psyllium simpliciter quid? 12
Psyllii seminis præparatio ad mucag. faciendam ibid.
Pulverum proportio ad ceratum & ad Emplast. conficiendum 1

R.

Ranarum Viventium electio 7
Resinæ, quæ è Terebinthino fluit duplex 15
Resina vera quid? ibid.
Resina rasa quid? 14
Resina simpliciter quid? 15
Resinæ veræ electio ibid.
Resinarum liquidarum & aridarum differentiæ 15,17

S.

Sampsuchum quid? 41,81
Samum quid? 104
Sandix Antiquorum quid? 35
Sanguis humanus à quibus colligitur 31
Sanguinis humani electio & desiccatio ibid.
Sanguinis humani loco quid secundũ Gal. Avicen. & Recentiores 31
Scilla tres sapores habet 13
Scyllæ collectio & electio ibid.
Scyllæ succi extractio ibid.
Serapini infusio, dissolutio, coctio & colatura 2,19
Sesami seminis decorticatio secundũ Mesuen 87
Sesami decorticatio vera 88
Sextarius simpliciter apud Græcos *qualis* 99
Sextarii, & heminæ explicatio varia 106
Sextarii, & heminæ maxime usitata acceptio 106
Sextarii Rom. *olei, vini, aquæ, & mellis differentia* 99
Sory Antiquorum quid? 27
Soreos electio ibid.
Spodium in compositionibus Arabum *quale* 3
Spodii Græcorum *origo* 60
Spodii Græcorum, *& pompholygis differentia* ibid.
Spumæ nitri, & aphronitri differentia 71
Spumæ nitri succedaneum ibid.
Squamma æris duplex secund. Diascoridem 38
Squamma æris quid? ibid.
Squammæ æris electio ibid.
Squammæ æris lotio ex Diascoride 39
Squammæ æris lotio vera ibid.
Squammæ æris lotio duplex ibid.
Stanni origo 59
Stanni & plumbi differentia ibid.
Stercoris caprarum, & vaccarum collectio & electio 32
Stybium quid variæ sententiæ 84
Stybium propriè quid? ibid.
Stybii variæ appellationes ibid.
Stybii duo genera ibid.
Stybii electio & ustio secundum scopum unguenti de tuthia ibid.
Styracis calamitæ mollitio 40
Succi cotoneorum extractio 92
Succi è baccis myrti succedaneum, in oleo myrtino compositio 98
Sulphur quid variæ opiniones 73
Sulphur proprie quid? ibid.
Sulphuris duo genera ibid.
Sulphuris nativi effoditio ibid.
Sulphuris nativi electio ibid.
Sulphuris factitii conficiendi varii modi 75
Sulphuris factitii electio 73
Sulphuris varia nomina ibid.
Suriaca quid? 104

T.

Terebinthina simpliciter quid? 15
Terebinthina vera quid? ibid.
Terebinthinæ veræ electio ibid.
Terebinthinæ, resinæ & Colophoniæ usitatæ differentia ibid.

INDEX.

Terræ ſigillatæ loco, quid? 61
Tina quid? 86

V.

Vaccini ſtercoris, collectio & electio 32
Vas duplex quid? 89
Violarum electio 92
Viride æs quid? 20
Viride æris, aut ærugo raſilis, idem 19
Viſcus quercinus quid, & à quibus arboribus gignitur 30
Viſci quercini electio 31
Vitriolum ſeu attramentum ſutorium idem 27
Vitrioli metallicum, ſeu Atramentum ſutorium quid? ibid.
Vitrioli ſeu Chalcanthi vel Atramenti ſutorii diviſio ſecundum Plinium ibid.
Vitrioli conſideratio, ex Neotericorum *ſententia* 28
Umbilicus marinus quid, & unde nomen ſumpſit 70
Unguentum quid? 45
Unguentum duplex ibid.
Unguenti & linimenti differentia 45
Unguentorum materia 1
Uva Lupina quid? 77

X.

Xerantica i. exiccans. 99
Xylocinnami ſuccedaneum 102

Y.

Yſopus quid? 29
Yſopi præparatio in Emplaſtro contra ruptura 29

Z.

Zaynarium quid? 85
Zirbus quid? 6
Zopiſſa quid? 23

FINIS.

BIBLIOTHEQUE UNIVERSITAIRE TOULOUSE

BIBLIOTHEQUE UNIVERSITAIRE TOULOUSE

